



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Quæstio LXXV. De conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

Secundo sequitur, si contingat aquam conuerti in vinum, in eodem momento, in quo perfitur forma consecrationis, & conuertitur vinum in sanguinem, in eo casu aquam conuerti in vinum, & non in sanguinem. Probat, quia dictum est aquam non posse immediatè transire in sanguinem, in eo autem casu nec immediatè posset, quia neq; in eodem momento potest fieri duplex conuersio, alias in eodem instanti aqua inciperet esse vinum per primum sui esse, & desineret esse vinum per primum non esse, quæ est aperta implicatio contradictionis, neq; post illud instans potest aqua transire in sanguinem, quia iam actio formæ cessauit.

Secundo sequitur, si contingat aquam conuerti in vinum, in eodem momento, in quo perfitur forma consecrationis, & conuertitur vinum in sanguinem, in eo casu aquam conuerti in vinum, & non in sanguinem. Probat, quia dictum est aquam non posse immediatè transire in sanguinem, in eo autem casu nec immediatè posset, quia neq; in eodem momento potest fieri duplex conuersio, alias in eodem instanti aqua inciperet esse vinum per primum sui esse, & desineret esse vinum per primum non esse, quæ est aperta implicatio contradictionis, neq; post illud instans potest aqua transire in sanguinem, quia iam actio formæ cessauit.

Aqua non conuertitur in sanguinem, si quando profertur pro more, hic, non est conuersio in vinum.

Tertio difficilior est, quid sit dicendum, si contingat, conuersionem aquæ in vinum fieri, ante finitam formam, tamen post illam inchoatam, & post dictum pronomen, hic, videtur enim probabile tunc conuerti in sanguinem, quia in instanti consecrationis aqua iam est vinum, & tota significatio formæ refertur ad illud instans, vt videbimus. In contrarium autem est, quia vt consecratio fiat, oportet materiam esse presentem, quando illo pronomine designatur: ergo multo magis necesse est, vt iam exiit. Sicut in consecratione panis, si quis inciperet proferre formam, antequam panis esset præfens, vel propinquus, nihil conficeret, quamuis fingamus panem fieri presentem, antequam abfoluatur forma: quia, licet significatio formæ referatur ad vltimum instans, tamen tota est in ordine ad species, quæ presentes adesse debent, quando tota forma profertur, & hæc ratio videtur mihi vrgentior. Et hæcenus de materia remota.

QVÆSTIO LXXV.

De conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi, in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de conuersione panis & vini in corpus & sanguinem CHRISTI.

Et circa hoc quaeruntur octo.

- Primo, vtrum in hoc sacramento sit corpus CHRISTI secundum veritatem, an solum secundum figuram, vel sicut in signo.
- Secundo, vtrum in hoc sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem.
- Tertio, vtrum substantia panis, vel vini, post consecrationem huius sacramenti annihilatur, aut in pristinam materiam resoluatur.
- Quarto, vtrum panis possit conuerti in corpus Christi.
- Quinto, vtrum in hoc sacramento post conuersionem remaneant accidentia panis & vini.
- Sexto, vtrum facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis.
- Septimo, vtrum ista conuersio fiat in instanti.
- Octauo, vtrum hæc sit falsa, ex pane sit corpus Christi.

ARTICVLVS I.

Vtrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem.

Sup. q. 65. ar. 3. cor. p. 106. & infr. q. 76. per totum. & 4. d. 10. ar. 1. & d. 11. prin. & 4. cont. c. 71. & 1. Cor. 11. l. 5. col. 2. & 4.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod in hoc sacramento, non sit corpus Christi secundum veritatem, sed solum secundum figuram, vel sicut in signo. Dicitur enim Ioan. 6. quod cum Dominus dixisset, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c. multi ex discipulis eius audientes, dixerunt: Durus est hic sermo, qui-

bus ipse dixit. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam, quasi diceret, secundum expositionem Augusti. Super Ioan. 6. Psal. 98. Spiritu aliter intelligite, quod locutus sum, non procul non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibaturi illum sanguinem, quem suscipiunt, qui me crucifigent, sacramentum aliquod vobis commendauit, spiritu aliter deus dicit, intellectum viuificabit vos, caro autem non prodest quicquam.

2. Præterea, Dominus dicit Matthæi vltimo. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Quod exponens August. dicit. Donec sæculum finiatur, sursum est Dominus: sed tamen & hic nobiscum est verus Dominus: corpus enim in quo resurrexit, in vno loco oportet esse, veritas autem eius vbique diffusa est. Non ergo secundum veritatem est corpus Christi in hoc sacramento, sed solum sicut in signo.

3. Præterea, Nullum corpus potest esse simul in pluribus locis, cum nec angelo hoc conueniat, eadem enim ratione possit esse vbique. Sed corpus Christi est verum corpus, & est in celo. Ergo videtur, quod non sit secundum veritatem in sacramento altaris, sed solum sicut in signo.

4. Præterea, Sacramenta ecclesie ad vritatem fideliū ordinantur. Sed secundum Greg. in quadam homil. regibus reprehenditur, quod quaerebat corporalem Christi presentiam. Apostoli etiam impediuntur recipere spiritum S. propter hoc, quod affecti erant ad eius presentiam corporalem, vt August. dicit super illud Ioan. 16. Si non abiero, paracletus non venit ad vos. Non ergo Christus secundum presentiam corporalem est in sacramento altaris.

Sed contra est, quod Hilari. dicit in 8. de Trinit. de veritate carnis & sanguinis Christi, non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra caro eius vere est cibus, & sanguis eius vere est potus. Et Ambros. dicit 6. de sacramentis. Sicut verus Dei filius est Dominus Iesus Christus, ita vera Christi caro est, quam accipimus, & verus sanguis eius est potus.

Respondeo dicendum, quod verum corpus Christi & sanguinem esse in hoc sacramento, neq; sensu neque intellectu deprehendi potest, sed sola fide, quæ auctoritati diuina innuitur. Vnde super illud Luc. 22. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, dicit Cyrill. Non dubites, an hoc verum sit, sed potius suscipe verba Saluatoris in fide, cum enim sit veritas, non mentitur. Hoc autem conueniens est. Primo quidem perfectioni nouæ legis. Sacrificia enim veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura, secundum illud Hebr. 10. Vmbra habens lex futurorum bonorum non ipsam rerum imaginem. Et ideo oportuit, vt aliquid plus haberet sacrificium nouæ legis à Christo institutum, vt scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in significatiue, vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo hoc sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet (vt Dionys. dicit 3. cap. Eccles. Hierar.) est perfectiū omnium aliorum sacramentorum, in quibus virtus Christi participatur. Secundo hoc competit charitati Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nostra natura assumpsit. Et quia maxime proprium amicitia est conuincere amicos, (vt Philo. dicit 9. Ethicor.) sui presentiam corporalem nobis reponit in premium dicitur Matthæi vigesimo quarto. Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquila. Interim tamen nec sua presentia corporis & sanguinis sui, nos sibi coniungit in hoc sacramento, vnde ipse dicit Ioan. 6. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Vnde hoc sacramentum est maxime charitatis signum. & nostra sui subleuamentum, ex tam familiari coniunctione Christi ad nos. Tertio, hoc competit perfectioni fidei, quæ sicut est de diuinitate CHRISTI, ita est de eius humanitate, secundum illud Ioan. 14. Creditis in Deum, & in me credite. Et quia fides est inuisibile, sicut diuinitatem suam nobis exhibet Christus.

Christus inuisibiliter: ita & in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet inuisibili modo. Quae quidam non attendentes, posuerunt corpus & sanguinem Christi non esse in hoc sacramento, nisi sicut in signo quod est tanquam haereticum abijcendum, ipote verbis Christi contrarium. Vnde & Berengarius, qui primus huius erroris autor fuit, postea coactus est suum errorem renouare, & veritatem fidei confiteri.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hac auctoritate praedicti haeretici occasione errandi sumpserunt, male verba Augustini intelligentes. Cum enim Augustinus dicit: Non hoc corpus, quod videtur, manducaturus es, non intendit excludere veritatem corporis Christi, sed quod non erat manducandum in hac specie, in qua ab eis videbatur. Per hoc autem quod subdit. Sacramentum quod vobis commendamus, spiritaliter intellectum significabit vos, non intendit, quod corpus Christi sit in hoc sacramento solum secundum mysticam significationem, sed spiritaliter dici, id est, inuisibiliter, & per virtutem Spiritus S. Vnde super Ioan. exponens id, quod dicitur: Caro non prodest quicquam, dicit. Sed quo modo illi intellexerunt, carnem quippe sic intellexerunt manducandam, quomodo in caduere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur, accedit spiritus, ad carnem, & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis.

Ad secundum dicendum, quod verbum illud Augustinus & omnia similia sunt intelligenda de corpore Christi, secundum quod videtur in propria specie (secundum quod etiam ipse Dominus dicit Matth. 26. Me autem non semper habebitis) inuisibiliter tamen sub speciebus huius sacramenti, est, ubi cumque hoc sacramentum perficitur.

Ad tertium dicendum, quod corpus Christi non est eo modo in hoc sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur, sed quodam speciali modo, qui est proprius huic sacramento. Vnde dicimus, quod corpus Christi est in diversis altaribus, non sicut in diversis locis, sed sicut in sacramento. Per quod non intelligimus, quod Christus sit ibi solum sicut in signo, licet sacramentum sit in genere signi: sed intelligimus corpus Christi hic esse (sicut dictum est) secundum modum proprium.

Ad quartum dicendum, quod ratio illa procedit de praesentia corporis Christi prout est praesens per motum corporis, id est, prout est in specie visibili, non autem prout est spiritaliter, id est, inuisibili modo & virtute spiritus. Vnde Augustinus dicit super Ioan. Si intellexisti spiritaliter verba Christi de carne sua, spiritus & vita tibi sunt, si intellexisti carnaliter, etiam spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt.

COMMENTARIUS.

Veritatem distinguit Diu. Thomas a solis signis, vmbis & figuris. Vnde sensus huius tituli est, an hoc sacramentum pon tantum sit signum, & figura, sed reuera corpus ipsum Christi, quod in ipso realiter contineatur. Et hoc sensu affirmat, corpus Christi esse in hoc sacramento secundum veritatem. Quod primum probat verbis Christi Domini, quae statim diligentius expendenda sunt. Deinde adiungit coniecturas. Prima est comparatione nouae & antiquae legis, comparantur enim ut vmbra, & veritas, & ideo decuit, ut Christus, qui in veteribus sacramentis in figura continebatur, in lege noua, & in aliquo eius sacramento vere, ac realiter adesset. Quae rationem terigit Ambrosius super ad Hebr. 10. & egregie Augustinus Epistolae 7. ad Casul. & propterea Chrysostr. homil. 83. in Matth. dicit, post figuram, Christum adiunxisse veritatem, & optime Tertullus de resurrectione carnis, c. 20. Nec omnia (inquit) imagines sunt, sed & veritas, non omnia vmbrae, sed & corpora; nam si omnia figura, quid erit illud, cuius est figura? Ex quibus potest ratio facta confirmari, conferendo hoc Eucharistiae sacramentum, cum figuris, quibus Franc. Suarez Tom. 3.

in veteri lege praesignificatum est: oportet enim, ut illas antecellat, sicut res imaginem, & corpus vmbra, iuxta doctrinam Pauli 1. ad Corinth. 10. ad Galat. 3. & 4. ad Hebr. 10. & ad Colof. 2. Quam exponit Hieronymus ad Titum 1. circa illa verba, Non attendentes Iudaicis fabulis, & c. at vero parua esset excellentia huius sacramenti, comparatione illorum signorum, si tantum in figura Christum contineret. Quia, si res ad significandum imposita considerentur, saepe in lege veteri erant perfectiores, ut agnus, manna, & c. Si significatio, etiam illae significabant Christum, & quamuis dici possit hoc sacramentum excellere, tum, quia significat Christum ut praesentem, tum etiam, quia expressius significat, quam vetera, & fortasse, quia gratiam confert, tamen haec omnia non adaequant perfectionem, & excellentiam nouae legis, ut ex modo loquendi Scripturae & Sanctorum colligitur, nam propter hanc causam Christus comparando hoc sacramentum cum manna, Ioan. 6. dicit, hunc solum esse verum cibum, quia est caro eius, ut ibi Chrysostr. & Aug. notarunt, & optime Cyrillus lib. 3. in Ioan. c. 34. & Ambr. lib. de myster. ca. 9. & eodem modo Cyprianus de Passio. comparans hoc sacramentum cum agno paschali, dicit, illum agnum fuisse consumptibilem cibum, hoc vero sacramentum esse inconsumptibile. Quam comparationem profequitur etiam Leo Papa sermone 7. de Passio. Chrysostr. hom. 45. in Ioan. Si tantum (inquit) fuit figura, quid ipsa veritas? idem hom. 61. ad pop. & hom. ad Neoph. ubi tantum inquit differre hoc sacramentum a veteri, quantum sanguis Christi, a sanguine agni paschalis. Et hoc modo, explicata haec ratio D. Thom. satis probabilis est, & adiuncta Patrum auctoritate, est valde efficax. Alia praeterea duae rationes, fundatae in ostensione diuinae charitatis erga nos, & in perfectione nostrae fidei, spei, & charitatis erga Deum, sunt egregiae, non indigent tamen expositione.

DISPUTATIO XLVI.

An sit realis praesentia corporis Christi in hoc sacramento.



Agendus de materia remota huius sacramenti dictum est, nunc sequitur, ut de ipso sacramento, ac proxima materia eius, dicamus: quia vero corpus, & sanguis Christi non solum sunt res, & sacramentum, sed etiam intrinsece continentur in materia eius proxima, & illud componunt, ac sunt veluti substantia eius, ideo optimo ordine sequitur, ut de hac Christi praesentia dicamus, ex hac enim cetera pendent, quae in hac, & duabus sequentibus quaestionibus D. Thom. tractat. De hac vero praesentia, tam multa his temporibus scripta sunt, ut fere nihil addi possit, praesertim in his, quae ad eruditionem, & Patrum lectionem pertinent, attingemus igitur solum illa, quae ad Scholasticum institutum satis esse videbuntur. Ac primum de hac praesentia dicemus, an sit, deinde quid sit, ac tandem, quomodo fiat.

SECTIO I.

Verum sit de fide certum, Christum realiter esse praesentem in hoc sacramento.

Primum haeresis illa, quae hanc veritatem negauit, inter Graecos illos pullulare cepit, qui veritatem carnis in Christo negarunt, ut colligi potest ex Theodor. dial. 3. ubi de illis inquit, Eucharistia & oblationes non admittunt, quod non consistantur Eucharistiam esse carnem Saluatoris nostri Iesu Christi. Quae verba refert ex Ignatio, Ep. ad Smyrneses, in qua nunc non inueniuntur. Deinde, qui negarunt veram v-

Vu 3 nionem

monem carnis Christi ad Deum, scilicet Nestoriani, consequenter dixerunt, in hoc sacramento non esse carnem diuinam, & uisificatricem. Vnde VValdens. tom. 2. c. 19. illis tribuit, quod in hoc sacramento negauerint esse carnem Christi, licet faterentur adesse carnem alterius sancti hominis, nescio cuius. Verisimiliter tamē mihi est, negasse quidem carnem Dei, & Verbi, non tamen carnem Christi, quem ipsi dicebant esse sanctum hominem purum, vt colligitur ex Anselmo, quē VValdensis refert lib. de corp. & sang. Domini, c. vltimo. Et hunc fuisse errorem Nestorij constat ex fragmento errorum eius, quod habetur 2. tom. operum Cyrilli in fine. Vnde licet Lanfrancus lib. de Eucharist. post medium, referat fuisse quosdam haereticos, qui dixerunt, in hoc sacramento esse quidē carnem hominis, non tamen Christi: sed alterius, vel sancti, vel peccatoris: ego nullum eius erroris auctorem, aut vllam mentionē in historiis inuenio. Postea in eadem Ecclesia Graeca Iconomachi videntur hanc praesentiam negasse, vt colligitur ex VII. Synodo, actio. 6. tom. 3. in fine, vnde forte sumpsit occasionem Guid. Carmel. vt Armenos faceret huius erroris duces, quod ego verum non existimo, neq; vllō sufficienti fundamento dictum, quin potius nec in tota Ecclesia Graeca haec haereticis praualuit, aut nimium percrebuit. nam, cum in aliis rebus ab Ecclesia Latina saepe differerit, in hoc tamen dogmate de reali praesentia corporis Christi, Graeci, & Armeni, tam inter se, quam cum Ecclesia Latina consentiunt, vt ex liturgiis, & ex antiquis Patribus, actandem ex Concilio Florentino aperte constat.

Secundo in Ecclesia Latina, primus, qui aperte hanc haesim praedicauit, & defendit, fuit Berengarius, vt hic ait Diuus Thomas, & Prateolus, & Castro, & Lindanus. qui in suo dubitat, dialog. 2. eum sacramentarium omnium parentem vocat, & idem significat Guitemund. qui eo tempore contra Berengarium scripsit lib. de hac veritate. Lanfrancus autem li. contra Berengarium indicat, quendam Ioannem Scot. antea librum scripsisse, hunc errorem continētem. Vnde Sander. li. 7. haeretic. 136. sub annum 1548. dicit Berengarium ab illo libro suum errorem hausisse, imo fertur Bertramum vtroq; antiquior librum in huius erroris probationem scripsisse, qui nunc extat & prohibitus est in indice Romano. Aduertit autem Sanderus, multos suspicari hunc librum ab aliquo sacramentario post Berengarium fuisse scriptum, quia de illo antiquiori tempore nulla in historiis fit mentio talis doctrinae, aut libri, aut authoris eius. Alanus autem lib. 1. de Euchar. cap. 20. & 21. verum esse putat, hunc Bertramum fuisse ante Berengarium, & huius erroris semina in illo libro iecisse, & Paschasium ac Rabanum contra illum pugnassee, caeterosq; Catholicos Doctores clarius, & accuratius ex illo tempore de hoc sacramento scripsisse. Postea Henriciani, & Petrobrufiani secuti sunt hunc errorem, vt Prateolus refert, & hi quidem dicebat, Christum in cena vere dedisse corpus suum, & sanguinem discipulis: reliquos vero sacerdotes non habere tam efficacem potestatem, ita refert Sander. lib. 7. haeretic. 142. ex Petro Cluniacens. Epistola contra hos haereticos. Albigenes praeterea seu Albanenses eandem Christi praesentiam negarunt, vt Antonin. refert 4. par. Theologali. tituli. 11. cap. 7. §. 5. & 3. par. hist. tit. 19. cap. 1. Deinde haeretici dicti Flagellantes, teste Gerson, opusculo contra illos: postea VValdenses & VVidenses, vt late Thomas VValdens. tom. 2. de sacrament. Deinde Lutherus, quamquam praesentiam hanc negare ausus non est, se tamen in eum errorem valde propensum ostendit, & veritatem Catholicam tot erroribus immiscuit, vt sectatoribus suis realem etiam praesentiam negandi occasionem praebuerit, quod postea praestitit Oecolampadius, quem secuti sunt Zuinglius, Bulinger. Petrus Martyr, ac deniq; Caluinus, qui oc-

vValdens.

Anselm.

Lanfranc.

VII Synod. Guido.

Prateolus. Castro. Lindanus.

Guitemund.

Sanderus.

Alanus.

S. Antonin.

Gerson.

cultando errorem, mirum in modum illum auxit, cum enim negaret, corpus Christi esse realiter, ac substantialiter praesens in hoc sacramento, sed solum in caelo, nihilominus absolute concedebat, substantiam, & corpus Christi sumi & manducari a fidelibus, ineffabili quodam modo, hunc autem modum, solum per fidem & apprehensionem postea explicabat, & ita eius error in re nihil a superioribus differet, non enim intelligit, corpus, & sanguinem Christi realiter adesse, & coniungi accidentibus panis, & vini, sed fide, & apprehensione priorum fidelium, dicit, haec tria ita copulari, vt dum corporaliter sumuntur symbola, spiritualiter per fidem manducetur Christi caro. Vnde etiam dicit ab impiis accipi tantum symbola, a piis vero etiam ipsum corpus Christi & sanguinem. Fundamentum huius erroris praecipuum est, quia, vt putant, & falso interpretantur, verba Scripturae non cogunt, vt hanc Christi praesentiam credamus, addunt etiam quaedam Patrum testimonia & rationes nonnullas, quae omnia in sequentibus paulatim examinabimus.

Veritas ergo Catholica est Christi corpus & sanguinem vere, realiter & substantialiter, sub speciebus panis, & vini consecratis, in hoc sacramento contineri. Haec veritas in sequentibus sectionibus, & conclusionibus late confirmanda est, nunc solum probatur ex vniuersali Ecclesiae consensu, & definitione. Primum enim omnes scriptores Catholici hanc veritatem constanter defendunt, & contrariam doctrinam ac pullulare cepit, notari & oppugnarunt, vt Catholicae veritatis contrariam, quod est signum euidentis ad discernendam haesim a Catholica veritate: doctrina enim haeretica nouitatem praese fert, & initium eius notari potest. Vnde statim ac oritur, sua nouitate Catholico offendit, &ideo ab eis statim, vt haeretica refutatur: Catholica vero doctrina suam semper antiquitatem retinet, abique contradictione Catholico sumi suscipitur, ita tradit Irenaeus lib. 3. contra haeres. c. 3. Tertullus de praescript. haereticorum, & lib. 1. contra Marcio. Epiphanius in Enazephia, & Vincen. Lyrin. in suo libro contra prophanas nouitates. Ita vero circa hanc veritatem accidit. Doctrina enim, de reali Christi praesentia in hoc sacramento, semper in Ecclesia suscepta est, nec aliquod eius initium, post Christi, & Apostolorum aetate, inuenitur, nam omnes antiquissimi Patres illam docent, vt videbimus: ac vero contrarius error statim ac pullulare cepit, notatus est ac impugnatu a Patribus, vt de antiquis Graecis ex Theodoro citauimus. De Nestorio constare potest ex Cyrillo, & Concilio Ephesino; de Iconomachis ex VII. Synodo, & aliis Conciliis, quae statim referam, & Damasceno, qui tempore Iconomachorum scripsit libro 4. de fide, cap. 14. & Theophylacto illi aequali Matth. 26. & 1. Corin. 10. de Berengario, & sociis ex Paschasio, qui, vt diximus, contra Bertramum scripsit, Lanfranco, Guitemundo, Algero, & aliis, qui contra Ioannem Scot. & Berengarium scripserunt. Petro Cluniac. epistola seu lib. de hoc mysterio, contra sui temporis haereticos, Anselmo, Bernardo, qui eundem errorem suis temporibus oppugnarunt, quos Hugo Victor. Magist. sententiarum, & omnes Scholastici imitati sunt, idemq; vsq; ad nostra tempora obseruatum videmus. Antiquiores autem Patres cum suo tempore contraria haeresis non esset exorta, illam ex professione non impugnarunt. Quid vero ipsi de hac veritate senserint, infra videbimus.

Secundo ostenditur hic consensus Ecclesiae ex Conciliis, & vt omitteram, passim ab eis hoc sacramentum appellari corpus Christi, vt videre licet in Concilio Niceno cano. 14. alias 18. & aliis, quae frequenter occurrunt, & notantur a Garetio libro de vera praesentia corporis Christi, claf. 7. afferam solum ea, in quibus hoc definitum est. Primo in Concilio Alexandrino cum Cyrillo in Epistola ad Nestor. quae recipitur,

pitur, & probatur in Concilio Ephesino tom. 1. cap. 12. cum dictum esset, per mysticam oblationem, nos fieri participes sacrae carnis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi: subditur, Nequen. illam. vt carnem commanem suscipimus: absit hoc, neq; item vt carne alicuius hominis sanctificati, sed tanquam vere viuificam, ipsiusq; Verbi propriam. Secundo, V. II. Synodus, actio. 6. tom. 3. in fine, damnat sententiam Iconomachorum, qui Eucharistiam dicebant tantu esse imaginē seu figuram Christi, quam sententiam abominandam, & extremam dementiam esse dicit, & traditioni Apostolorum, & omnium Patrum ac veritati & proprietati verborum Christi contrariam.

Tertio Concilium Verfense (alii Romanum appellant) praesidente Leone IX. Berengarij, & Ioan. Scori sententia & scripta damnauit, vt historice referunt: hoc enim Concilium non extat. Quarto idem praesidit Concilium Tironense sub Victore II. praesidente Ildebrando Cardinale eius legato, qui postea fuit Pontifex Gregorius VII. & eandem veritatem definiuit. Quinto Concilium Rhenens. tempore Nicolai I. I. contra eandem haeresim congregatum est, in quo Berengarius sua haeresim abiurauit, vt habetur in secundo tomo Conciliorum, & in capite. Ego Berengarius. de consecratione, distinctione 2. Sexto cum Berengarius in sua abiuratione inconstas fuisse, coactum est Concilium Romanum tempore Gregorii VII. in quo veritas Catholica iterum definita est, & Berengarius etiam iterum resipuit, & confessionem suae fidei dedit, in qua fertur vsq; ad mortem perseuerasse. Legatur Gerson serm. 1. de Cena Domini. & Sabellicus Aeneade. 9. li. 3. Septimo Concilium Constantiense, sect. 8. & 15. damnauit contrarium errorē in Ioanne Hus, & Ioanne Vuicel. quod postea Martinus V. confirmauit. Octauo Concilium Lateranense sub Innocent. III. & habetur in c. Firmiter. de summa Trinitate. Nono Concilium Viennense sub Clemente V. Clementina vnica. de reliquijs & venerat. sanct. Decimo Concilium Florentinum in decreto Eugenii. Vndecimo copiosius & distinctius. quam caetera, Tridentinum sess. 13. Duodecimo tandem sunt plura alia Concilia Prouincialia, & Pontificum decreta, quae referuntur de Consecratione d. 2. & in decretalibus, toto titulo de custodienda Eucharistia, & titulo de celebrat. missar. vbi est inigne capitulum, Cum Marthae, facit etiam generalis regula, quae in c. Ad abolendam, de haereticis, traditur, vbi damnantur, qui de sacramento corporis & sanguinis Domini, aliter, qua Catholica Ecclesia, sentiunt. Quae omnia ita sufficiunt ad veritatem Catholicam confirmandam, vt licet haereticis daremus, quod falso assument, in Scriptura sacra expresse non contineri, nullum inde prauidicium, nullumque periculum veritati fidei crearetur: ad veritatem enim fidei confirmandam, non solum Scripturae sacrae auctoritas, sed etiam Ecclesiastica definitio, & traditio sufficit.

Sed quae hic obiter solet, an sit haec veritas inter articulos fidei numeranda, multi enim negant, quod haec veritas in simbolo fidei non contineatur. Aliis vero affirmandum videtur, vt Duran. in 4. d. 10. q. 1. nu. 27. Scot. q. 1. Gabr. lect. 33. in Canon. Ledefina. 1. par. quarti, q. 16. ar. 1. dubio 2. Soto d. 9. q. 2. ar. 2. quia habetur (inquit) expresse in Scriptura sacra. Quae ratio non sufficit, vt constat, non enim omnia, quae in Scriptura habentur, inter articulos fidei annumerantur. Neigitur questio de nomine esse videatur, primum statuamus, quod ad rem pertinet, videlicet, omnes fideles teneri ad hanc veritatem explicite credendam, oportet enim, vt possint se ipsos probare, & corpus Domini diiudicare, vt 1. ad Corinth. 11. dicitur, quod tamen, sine hac fide, prestare non possent, quia sine illa fieri non potest, vt debitis honor, ac reuerentia huic sacramento tribuatur. Deinde dubiu non est, quin hoc mysterium specialem difficultatem

habeat, à reliquis distinctam. Vnde propter hanc duplicem causam potest haec veritas articulus fidei vocari. Ad do tamen: quia eius cognitio non exigitur, vt ita dicam, propter solā fidem, seu cognitionem, sed propter vsum, & operationem, & huic sacramento conueniens adoratio, & reuerentia exhibeatur, ideo non esse expresse positam in simbolo, ibi enim posita sunt, quae per se sunt necessaria propter fidei perfectionem, non propter vsum, potest tamen ad illud reuocari, scilicet, ad articulum de omnipotentia Dei, vel de sancta Ecclesia, vt D. Thom. tradit 2. 2. q. 1. art. 8. ad 6.

SECTIO II.

Vtrum realis Christi praesentia in hoc sacramento, ex verbis, quibus Christus illud promissit, satis colligatur.

Stabilita fide huius praesentiae ex vniuersali consensu & definitione Ecclesiae, ad maiorem eiusdem fidei confirmationem, & haereticorum confutationem, oportet huius fidei fundamenta sigillatim ostendere, simulque haereticorum obiectionibus satisfacere. Vnum autem, ex praecipuis fundamentis, est Scriptura Sacra, ex qua, quicquid praescribitur instituto deseruire potest, ad duo capita reducitur, alterum est, institutio seu exhibitio huius sacramenti, de qua in sequenti sectione: alterum est promissio, sub qua omnis praedictio seu adumbratio huius sacramenti comprehendi potest.

Dicendum est ergo, probabilis esse ex promissionibus huius sacramenti sufficienter probari posse realem Christi praesentiam, non tamen hoc argumentum esse adeo certum, vt per se solum ad fidem confirmandam sufficiat. Haec assertio declaratur, & probatur breuiter, discurrendo per loca Scripturae, in quibus haec promissiones continentur. Et primum omnium sumi potest argumentum probabile ex figuris, quibus in veteri testamento excellentia huius sacramenti indicata est, quas supra. q. 73. in Commentario, art. 6. explicuimus, & probabilitatem huius argumenti, circa textum D. Th. declarauimus. Quibus addi possunt, nonnulla verba Prophetarum, in quibus tanta indicatur excellentia huius sacramenti, & sacrificij, vt ad merum panem, & vinum accommodari non possint, huiusmodi sunt verba illa, Malach. 1. Ab ortu Solis vsq; ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum, quonia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dns omnipotens. Quae locum ponderauit Iren. l. 4. con. haeres. c. 32. & plures alij Patres, quos ibi notat Feuar. & afferemus eos infra, agentes de sacrificio: Simile argumentum sumi potest ex verbis Zach. 3. Bibet & inebriabuntur, quasi vino: & inf. Quid n. bonu eius est, qd pulchrum eius, nisi frumentu electorum, & vinum germinans virgines? Quod testimonium de lege Evangelica, & hoc sacramento Hier. & alij Patres intelligunt, & habet sine dubio magna energiam, na si esset nudus panis, & vinum, vix afferri posset probabilis ratio, ob quam praereredum esset, non solum omnibus sacramentis veteribus, sed etiam nouis, neq; esset cur in hoc sacrificio, tam magnificus ostenderetur Deus, neque cur tota bonitas & pulchritudo Ecclesiae, in eo quoddammodo sita esse diceretur. Vnde de hoc etiam sacramento exponuntur mystice verba illa Psa. 110. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dns: escam dedit timentibus se. Quamuis enim ad literam dicta sint de manna, tamē sicut illud fuit praecipua figura huius sacramenti, ita in illis verbis indicata sunt mirabilia opera, quae in hoc mysterio Deus operatur. Vnde Amb. super Psa. 38. dicit, mysteria huius sacramenti fuisse à Prophetis adumbrata.

Deinde afferre possumus promissiones noui testamenti, in quo duae sunt praecipuae. Altera est Matt. 28. *Matth. 28.*

Malach. 1.

Irenaeus.

Touardent.

Zach. 3.

Hierony.

Psal. 110.

Ambros.

Matth. 28.



Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi. Quae verba probabiliter intelligi possunt de praesentia, quam semper se habiturum in Ecclesia sua, per hoc sacramentum, Christus promittit, vt exponit Clemens V. cum Conc. Viennens. in Clementina vnica, de reliq; & venerat. Sancti Innocent. lib. 4. de hoc mysterio c. 44. Laurent. Iustin. ser. de Eucharist. Sed licet probabilis sit, & propria expositio, vt notauit etiam Iansen. c. 149. Concordie, tamē non est efficaç, quia sancti Patres ad litterā exponunt hunc locum de praesentia diuinitatis, aut de singulari Christi prouidentia erga Ecclesiam. Vnde haeretici huic loco nobis alium opponunt, Matt. 26. vbi Christus dixit, Me autem non semper habebitis, quod intelligendum (inquunt) est de praesentia corporali. Respondemus autem, intelligi quidem de praesentia corporali, sed visibili, & per modum quantitatis, vt patet ex verbis antecedentibus. Pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper, &c.

Conc. Vien.
Innocen.
Laur. Iustin.

Iansen.

Matth 26.

Ioan 6.

Chrysost.
Augustinus.

Conc. Ephes.
Cabilonens.
Trident.

Cyprian.

Hilarius.

Ambros.

Hieron.

Magister.

Praecipua ergo promissio, qua maxime pbari potest haec veritas, facta est a Christo Ioann. 6. quam vt explicemus, supponendum est, certum esse, in principio illius capitis egisse Christum de pane materiali, quo turbas prius saturauerat, propter quam causam turbae illum sequebantur, inde vero, sumpta occasione, transiit ille sermonem ad spirituales cibū, dicens, Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam: per quē cibum intellexisse Christum generatim omne bonum animę exponunt Chryl. & alij, Augu. vero tract. 25. intelligit de Christo, & de manducatione eius per fidem, & ibi subiungit illa celeberrima verba, Quid paras dentem & ventrem, crede & manducasti: quae recte potuit eo loco ponere, quia nondum de hoc sacramento sermonem instituerat. Hinc ergo dissentio orta est, etiam inter Catholicos, an reliqua pars capitis, vbi Christus agit de manducando & bibendo corpore & sanguine suo, intelligenda sit per metaphoram de Christo secundum se, & de spiritali manducatione per fidem, an vero de Christo, prout est in hoc sacramento, & de sacramentali manducatione. Quod vero hic posterior sensus verior sit, probatur primo, quia antiqua Concilia in hoc sensu vsa sunt, illo loco; vt videre licet in Concil. Ephes. & VII. Synodo praecedente sessione citatis, & ex Concil. Cabilonens. II. cap. 46. & Trid. sess. 13. cap. 1. Vnde quando idem Concil. sess. 21. c. 1. indicat, liberum esse varie hunc locum interpretari, iuxta varias Sāctorum expositiones, intelligendum videtur, vel ita, vt vnus sensus alium non excludat, vel certe, vt iuxta omnes verum sit non esse illo loco praecipuum communionem sub vtraque specie omnibus & singulis fidelibus. Denique in hoc sensu vtitur Ecclesia illo Euangelio in festo Corporis Christi.

Secundo omnes antiqui Patres ita exposuerunt, Ex Latinis sit primus Cyprian. li. 1. ad Quirin. c. 22. lib. 3. c. 25. iuncto 26. clarius sermone de Cœna Domini, declarans quomodo Christus in illa cœna impleuit, quod hoc loco promiserat, & in expositione Orationis Dominicae. Secundus, Hilarius 8. de Trinit. colu. 6. vbi ex illis verbis: Caro mea vere est cibus, concludit, tam verum esse, nos sumere carnem Christi, quam Verbum assumpsisse carnem. Tertius Ambr. de myster. c. 8. in fin. l. 4. de fide, c. 5. clarissime 6. lib. de sacramen. c. 1. Quartus, Hierony. Matth. 6. circa illa verba, Panem nostrum quotidianum, & optime Ezech. 18. circa illa, Panem suum esurienti dedit, & Epist. 150. ad Edibiam, q. 62. & ita est intelligendus difficilis locus eiusdem Hieronym. super ad Eph. 1. circa illa verba, In quo habemus redemptionem, sic n. ait. Duplīciter sanguis Christi & caro intelligitur, vel spiritalis illa, atq; diuina, de qua ipse dixit, caro mea vere est cibus, & nisi manducaueritis carnem filij hominis, vel caro quae crucifixa est, & qui lactea effusus est sanguis. Quae verba exponēs Magist. d. 8. duplex (inqr) est caro

Christi, altera contenta in hoc sacramento, & haec est caro crucifixa, altera non contenta, sed significata, & haec est corpus mysticū. Sed haec expositio nec quadrat verbis Hieronym. nec praesenti testimonio Ioannis, quod tractamus. Distinguit ex Hieronym. duplicem carnem Christi non res, sed statū, & conditionem, vt patet ex subsequētib; verbis, sic enim ait, Iuxta hanc diuisionem, & in sanctis eius diuersitas carnis, & sanguinis accipitur, vt alia sit caro, quae visura est salutare Dei: alia quae regnum Dei non possidebit, sicut ergo eadem caro, propter duplicem statū mortalem, & immortalem, dicitur duplex, & altera, scilicet immortalis, visura dicitur salutare Dei, altera nempe mortalis regnum Dei possidere non posse, ita eadem caro Christi gloriosa, vel quae sub speciebus panis in cibum datur, dicitur spiritalis, & diuina, & à se ipsa distinguitur, quatenus in statu passibili crucifixa est. Quintus sit Greg. li. 7. moral. c. 4. Sextus, Leo Papa, ser. 6. de ieiunio septimi mensis, Dicente (inqr) Domino, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. sic sacrae mensae communicare debetis, vt nihil profus de veritate corporis & sanguinis Domini ambigatis, hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: quae vltima verba sunt valde notanda contra Caluin. Septimus sit id. lib. de officijs Ecclesiastic. c. de sacrificio. Octauus, Tertull. lib. de Oratione, cap. 6. vbi hunc locum explicat per verba Institutionis, Nonus, Prosper lib. de Promiss. & Praedic. Dei, par. 1. cap. 39. & part. 3. c. etiam 39. Decimus, Bernard. serm. 1. de Pasch. & ser. 1. de Vigil. Natiuit. in fine. Vndecimus, Lauren. Iulian. lib. de Obedientia, cap. 14. Duodecimus, Hefychius lib. 6. in Leuit. c. 22. Decimus tertius, Euseb. Emis. hom. 5. de Pasch. Decimus quartus, Casio. in illa verba, Pl. 109. Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech. Decimus quintus, Augustin. quem latius referam, quoniam auctores contrariae sententiae, eius potissimum auctoritate munitur. Igitur li. 3. de consensu Euangelistarum, c. 1. dicit, ideo Ioannem in cœna non fecisse mentionē Eucharistiae, quia alio loco proximum de illa Christi sermonem retulerat, expresse etiam ser. 46. de verbis Domini, & serm. 2. de verb. Apost. & in li. questionum in Leuit. q. 57. in fine, vbi recte ponderat, in veteri testamento fuisse prohibitum edere sanguinem, in nouo vero, Ioan. 6. praecipuum esse bibere sanguinem Christi, in hoc sacrificio. Quod prius notauerat Cyprian. serm. de Cœna Domini: est autem ponderandum, in antiqua lege, non fuisse prohibitum bibere sanguinem in signo, aut in figura, seu per fidem, nam potius hoc modo, bibebant omnes de spiritali consequētes eos peccata, vt 1. Cor. 10. dicitur, prohibebantur igitur bibere realiter, & corporaliter, hoc ergo modo intelligit Aug. mandatum esse in lege noua sumere sanguinem Christi: insignis vero locus Aug. est, Epist. 98. sed difficilis, & ab haereticis praeue intelletus, In ipsa (inquir) carne hic ambulauit: & ipsam carnem manducadam nobis ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. & infra interpretas de promissione huius cibi locum Ioannis, subdit, Carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt, quod praescissus esset Dns particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt, Durus est hic sermo, ipsi aut erant duri, non sermo, ille autem instruxit eos, dicens, Spiritus est, qui viuificat, caro nō prodest, spiritaliter intelligite quod locutus sum: & subdit difficilia verba, non hoc corpus, q; videris, manducaturi estis, & bibituri illam sanguinem, quem fusi sunt. sacramentum aliq; commēdauit, spiritaliter intellectum viuificabit vos. Sed meo Augustini ex prioribus verbis constat, clare enim dixit, nos manducare eandem carnem, q; de particulis corporis visibilib; edendis, ex quo concludit, necesse esse hoc sacramentum visibiliter celebrari, & inuisibiliter intelligi: hoc ergo idē intendit in citatis verbis, q; eodem modo, quo supra citata ver-

tata verba Hieronymi, exponenda sunt, scilicet, Non hoc corpus, quod videtis id est, non in propria specie illud manducaturis estis, sed sub aliquo sacramento, quoad hoc spiritualiter intelligendum & credendum, sic enim idem Aug. lib. 11. contra Faust. cap. 7. dixerat, in Scriptura sacra nominari rem a qualitate seu modo, non a substantia, vt i. Cor. 15. Resurget corpus spirituale: sic ergo caro Christi existens in hoc sacramento dicitur spiritualis caro seu spiritualiter intelligenda. Quod præterea confirmari potest ex alio eleganti loco eiusdem Aug. lib. 2. contra aduersar. legis & prophet. cap. 9. vbi hunc locum interpretando, inquit, Mediatorem Dei & hominum, hominē Christum Iesum, carnē suam manducadam, bibendumque sanguinem dantem fidei corde, atque ore suscipimus, licet, horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare, quam fundere. Vbi notandum est verbum illud, corde & ore, necesse est non solum de spirituali, sed etiam de corporali & sacramentali sumptione intelligi, & nihilominus statim subdit locutionem illam, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, esse figuratam, quia videlicet non est intelligenda de manducatione carnis humanæ, sermo more, & in propria specie, sed modo sacramentali, & sub specie aliena, & eodem modo libr. 3. de Doctrina Christiana, cap. 16. dicit, in his verbis contineri tropum, id est, mysterium, ne scelus appareat manducare carnem humanam. Præterea lib. 1. de peccat. merit. c. 20. Audiamus (inquit) Dominum, non quidem de sacramento lauta cris, sed de sacramento mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit, dicentem, Nisi manducaueritis carnem, & c. Vltimo tandem tract. 26. in Ioan. exponens hunc locum, inquit. Nam & nos hodie accipimus vitibilem cibum, sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti, multi de altari accipiunt, & moriuntur: videte ergo fratres, panē celestē spiritualiter māducate, innocentia ad altare portate: agit ergo de sacramentali manducatione, propter hanc enim ad altare acceditur, non tamen digne sine spirituali, quia vera fide, & puro corde accedendum est. Vnde infra subdit, Qui non manet in Christo, & in quo non manet: Christus, proculdubio non māducatur spiritualiter carnem eius, nec bibit illius sanguinem, licet præmat dētibus sacramēta corporis & sanguinis Christi.

Tertio, Patribus Latinis consentiunt Græci. Primo enim ita exponit Athanas. lib. de human. nat. suscept. vbi ait, nos habere primitias gloriæ, quia in cōmunionem corporis Domini admisi sumus, sicut ipse dixit, Panis quem ego dabo, caro mea est, spiritus n. vitificans, est caro Domini, quia de Spiritu vitificante cōcepta est, quibus vltimis verbis indicat egregiam expositionem illorum verborum Christi, Caro nō prodest quicquid, verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: quam optime et prosequitur oratione circa illa verba. Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, & c. versus finem. Denique in synopsi Scripturarum l. 4. dicit expresse, Christum hoc loco de mysteriis disseruisse. Secundus sit Basil. l. 1. de Bapt. parte vltima. & ser. 2. de Bap. c. 3. & in regul. moral. reg. 21. c. 1. & 2. Tertius Chryf. hom. 45. in Ioann. & hom. 83. in Matt. vbi aduertit, Apostolos non fuisse miratos, quādo illis tradebantur mysteria, quia iam de illis instructi fuerant hoc loco, idem hom. 21. ad populum. Quartus Epiph. hæres. 55. Quintus elegantissime Cyril. Alex. toto libr. 4. in Ioan. & lib. 10. c. 13. & lib. 2. de fide ab Regin. circa finem, sub titulo, de eo, quod Christus per paternam virtutē resurrexisset dicitur. Idem de fide ad Theod. circa finem. Sextus Cyrill. Hierosol. catechesi. 4. Septimus Damasc. libr. 4. c. 14. Octauus Theodo. libr. 4. histor. c. 10. Nonus Clemens Alexand. l. 1. de Pædag. c. 6. vbi hanc ponit expositionem, licet aliam non reiciat, & ex illo loco exponendus est alius obsecutus lib. 2. Pædag. c. 2. vbi sic inquit, Duplex est sanguis Christi, alter carnalis, quo redēpti

sumus, alter spiritualis quo vncti sumus, & hoc est bibere Iesu sanguinem, esse participem incorruptionis Domini, illa enim distinctio duplicis sanguinis iam supra in Hier. & August. explicata est. Quod vero sumptionem huius sanguinis per effectum describit, non excludit sacramentalem vsum, sed indicat hunc sine spirituali non prodesse, quod verba sequentia declarant. Temperatum enim vinum, ad fidem conuiuio excipit, spiritus autem deducit ad incorruptionem, amborum autem temperatura, potus scilicet, & verbi dicitur Eucharistia, quæ & laudatur, & bona est gratia, & qui per fidem eius sunt participes, sanctificatur, & corpore & animo. Decimus Iustin. martyr, qui expresse ita exponit apolog. 2. pro Christian. In fine. Vnde decimus Greg. Niss. hom. 3. in Ecclesiast. & lib. de perfecta Christia. hominis form. Duodecimus Orig. hom. 7. in Num. vbi eleganter exponit hunc locum simul cum illo Pauli ad Cor. 10. Omnes in Moysē baptizati sunt in nube & in mari. Omnes eandem escam spirituales manducarunt. Antea, inquit, in enigmate fuit Baptismus in nube, & in mari, nunc autem in specie, regeneratio est in aqua, & Spiritu sancto, tunc in enigmate erat manna cibus: nunc autem in specie, caro Verbi Dei est verus cibus, sicut ipse dixit, Caro mea vere est cibus. Decimus tertius Theoph. Alex. in 2. ep. paschali, circa finem in to. 1. Bibliot. Decimus quartus Theoph. Ioan. 6. Decimus quintus, Euthym. suo c. 9. in Ioan. vbi à verbis illis, Panis, quem ego dabo, caro mea est, dicit esse sermonem de hoc sacramento, & ponderat non dixisse, quem dō, sed, quem dabo, daturus enim erat in vltima cœna.

Quarto, omnes fere Scholastici cum Magist. sentent. in 4. d. 40. hunc sensum amplectuntur, & plures antiqui, & recentiores scriptores, & expositores Euan-gelij Ioan. Innocent. libr. 4. de hoc myster. c. 2. 7. 9. 19. & 28. Paschasius libr. de hoc sacramento c. 9. 10. & 19. & in alio opusculo, seu expositione Dominiæ cœnæ. Lanfrancus contra Berengarium, Guitmund. li. 3. de hoc mysterio, Adelman. in epist. ad Berengarium tom. 1. Bibliothecæ. Alger. lib. 1. de hoc sacra. c. 10. 11. & 16. qui bene examinat mentem August. Stephan. Ed. uen. li. de sacrament. altar. cap. 17. VValdenf. tom. 2. de sacra. c. 94. Gerson. li. de commun. laic. Rossenf. lib. 5. de verit. corp. & sang. Dom. Rupert. D. Th. Lyran. & alij super Ioan.

Quinto argumentari possumus illo principio generali, quia verba Scripture proprie intelligenda sunt, si commode possint, ex August. lib. 3. de doctr. Chri. c. 10. at vero quidquid in hoc capite dicitur de manducando, & bibendo corpore, & sanguine Christi, sine inconuenienti, & absurditate potest proprie intelligi, & est hic sensus consentaneus Ecclesiæ traditioni, & consonat optime cum aliis factis, & mysteriis Christi, ergo. Et cōfirmatur ex Augustino supra, quia si præceptum est locutio, & vtilitatem aut beneficentiam iubet, non est figurata, sed illa verba, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, præceptum sunt: ergo.

Vnde sexto argumentari possumus ex circumstantiis literæ. Primo, quia vt Euthymius & Adelman. supra ponderarunt, de futuro dicit, Panis, quem ego dabo, quæ verba indicant non loqui de se tantum, vt obiecto fidei, vel amoris: quia si erat datus, loquitur ergo promittendo aliquid futurum. Dices, promittit, seu prædixit, se fore dandum ad passionem, & mortem pro nobis: Sed hoc non satisfacit, nam dixit, se daturum ad manducandum carnem, quam oblaturus erat, pro mundi vita, loquitur ergo de alia promissione. Secundo, quia aperte loquitur de manducatione corporali, & sensibili, dum comparat manducationem sui corporis cum manducatione man-næ, quæ sensibilis fuit & propria figura huius sacramenti. Tertio, tam aperta fuerunt verba Christi, vt illi, qui eum audiebant, de corporali manducatione illa intelligentes, non autem intelligentes modum,

Iustinus. Greg. Niss.

Orig.

Theoph. Alex. Theophyl. Euthym.

Innocent. Paschasius.

Lanfrancus. Guitmund. Adelman. Algerus. Stephan. VValdenf. Gerson. Rossenf. Rupert. D. Thomas. Lyrus. August. Chrysof.

scam-

scandalizati fuerint dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Christ⁹ autem non solum non sedauit eorum turbationem, negando se loqui de manducatione corporali, sed potius hoc magis confirmauit, tum addendo praecipuum, Nihil manducaueritis: tum promittendo effectum huius sacramenti, Qui manducat meam carnem: tum denique concludendo, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Quae non videtur esse posse clara. Vnde confirmatur quarto, quia si Christus solum ageret de fide in ipsum, non esset, cur verbis tam obfusis videretur, toties verba, manducandi & bibendi cibi & potus, repetendo, sine maiori explicatione, praesertim cum omnes, etiam discipulos suos, turbatos videret. Vnde multiplex illa repetitio, maxime cum tanta asseueratione iurata: Amen amen dico vobis, nihil manducaueritis, &c. faciunt vehementer coniecturam, Christum proprie, & non tantum per metaphoram fuisse locutum. Quinto est optima coniectura, quam indicauit Augustin. libro 3. de consen. Enang. capit. 1. quia non est verisimile, Ioannem in toto suo Euangelio omisisse sermonem de hoc sacramento, ideo ergo in nocte cenae praetermisit institutionem, quia hoc loco satis narrauerat promissionem. Alij autem Euangelistae ostendunt Christum impleuisse in nocte cenae, quod hoc loco promiserat. Vnde ipsa consonantia Scripturarum, & concordia facti cum promissione, indicant, verum esse hunc sensum. Tandem vltimo, si hic locus non intelligitur de hoc sacramento, nullus est alius in Scriptura, in quo datum sit praecipuum de vtu huius sacramenti, nec in quo facta sit promissio gratiae, tali sacramento, non est autem verisimile, haec fuisse ab omnibus Euangelistis praetermissa.

Haec ergo formata expositione ex hoc loco conuincitur potest euidenter realis praesentia Christi in hoc sacramento. Primo, quia hic panis dicitur a Christo esse is, qui de caelo descendit & dicitur esse, sua caro, quae pro mundi vita datur. Quae verba esse proprie intelligenda, supra factis argumentis probari potest, & alijs, quae in sequenti sectione conueniemus. Secundo, quia praefere hunc panem mannae, tum in miraculo, quo vterque datus est praeter naturae ordinem, tum etiam in vtu, & fructu dicens, Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt, at illi manducabant Christum in signo, & figura: Tertio, quia ostensum est, Christum hic praecipuisse manducationem realem & corporalem, quod ex eo etiam patet, quia ad hanc manducationem, vt conuenienter fiat, requiritur fides, non agit ergo de manducatione per fidem, agit autem de manducatione corporis, & sanguinis sui: quae non possent vere & realiter manducari, nisi vere & realiter in hoc sacramento continerentur. Quarto, quia discipuli, qui Christum audiebant, ita intellexerunt, & tamen, si Christus non esset manducandus, nisi in signo, & figura, facile poterat Christus eorum errorem, & scandalum auferre: Christus autem nihil huiusmodi significauit, sed indicauit potius, alius quoddam mysterium ibi latere in illis verbis, Verba, quae ego loquor vobis, Spiritus & vita sunt: & magis in illis, Hoc vos scandalizate: si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi prius erat. Quod dupliciter potest exponi. Primo, vt dicatur, nunc conturbamini, cum ergo me videritis ascendentem in caelum, tunc intelligetis non esse incredibile, quod dico. Secundo, si hoc nunc vobis videtur difficile, quanto apparebit difficilius, posse vos manducare carnem meam, postquam illam in caelum ascendentem videritis? Itaque aperte vitus est confirmare eorum intelligentiam, quoad hoc saltem, quod vere & realiter manducaturi essent carnem eius. Denique omnes Patres citati in hoc sensu hoc testimonium intelligunt, praesertim Hilarius, Leo Papa, Augustinus, Ambrosius, vterque Cyrillus, & Chrysostomus. apertius loquuntur.

Sed obiici potest, quia multi viri Catholici negant, hoc loco habuisse Christum sermonem de hoc sacramento. Caietan. infra quaestione 30. artic. vlt. & Ioann. 6. Gabriel. lect. 54. in capit. Richard. artic. 10. 15. Ioann. à Louanio libro de communione sub vtraque specie, Nicol. Cusan. Epistol. 7. ad Bohem. lanfen. capit. 59. Concord. Respondetur, horum sententiam non esse haereticam, & propterea in assertionem in principio posita afferri, ex hoc testimonio, per se sumpto, non sumi argumentum omnino efficax ad conuincendos haereticos, est vero haec sententia parum certe probabilis, solumque excusari possunt, quia bona fide illam viam amplexi sunt, vt facilius soluerent argumentum, quod ex hoc capite sumi solet, contra communionem sub vna specie, quod tamen alia ratione facile expeditur, vt suo loco dicemus.

Sed obiiciunt primo, quia Christus, in principio illius concionis, de spirituali manducatione, & de fide in se ipsum aperte loqui videtur. Sed hoc nihil obstat, si Christi consuetudinem attendamus, quae in viris spiritualibus, & praesertim in concionatoribus frequens esse solet, scilicet, vt à re aliqua sensibili, arripere occasione, ad spirituales conuertant sermonem, & ab vno mysterio in aliud sic Ioan. 4. in colloquio, cum Samaritana, ex sensibili aqua, transitum fecit ad aquam vitam, & Luca 13. cum Christo nuntiarum esset, quosdam Galilaeos esse à Pilato interfectos, ipse respondit, Puratis, quia illi praeter omnibus peccatoribus fuerunt: & inde occasione sumptis, poenitentiam praedicandi: simili ergo modo in praesenti ex materiali cibo, transitum fecit ad spirituale, & prius in communi differens de spirituali cibo, vel de se ipso, vt per fidem manducando, tandem sermonem suum ad hoc sacramentum deriuauit, & merito cum sacramentali, manducatione spirituale coniunxit, vt significaret, illam sine hac prodelle non posse, ex quo facile soluuntur aliae obiectiones.

Secunda ergo est, quia ipsemet Christus dixit, Caro non prodest quicquam, verba, quae ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt. Vnde patres supra citati dicunt necessario in his verbis admittendam esse metaphoram, & figuratam locutionem, ergo ipsa est manducatio, & potus spiritualiter possunt intelligi, praesertim cum in Scriptura sacra frequenter habeant hanc significationem, vt Eccles. 15. Cibabit illi panem vitam & intellectus, & cap. 24. Qui edunt me, adhuc esuriunt, & qui bibunt me, adhuc sitient. R. epodetur Christum dixisse illa verba, vt falsam imaginationem, ac sensum audientium tolleret, existimabant enim, Christi carnem in propria specie manducandam fuisse, & in hoc sensu dicit, carnem non prodesse quidquam, nam, licet Augustin. Cyrillus, & alij exponant carnem puram, & à diuinitate seiuictam, non prodesse, magis tamen litterae consentaneum videtur, quod Cyprianus, & alij dicunt, carnem carnaliter intellectam, id est, vt dilaniandam, & animal modo manducandam, non prodesse, & in idem recidit quod Chrysostom. dixit, carnalem intelligentiam infructuosam esse, & in eodem sensu aliter Christus Dominus, verba illa spiritum & vitam in se continere, quia magna mysteria habebant recondita, duo praecipue, scilicet, carnem suam vere esse cibum, ac vere esse manducandum, non tamen in propria specie, sed altiori & impassibili modo, non ad corporum, sed ad animarum nutritionem, quia caro illa, propter vniionem ad Verbum viuificatrix est animarum. Nec refert, nomen manducationis in analogis locis metaphoricè tantum sumi, quia non propterea est vbiq; eodem modo interpretandum, imo potius proprie exponendum est, quando aliud non constat ex materia subiecta, praesertim quando communis Patrum expositio, & Ecclesiae sensus concordant. Adde praeterea, in illis eisdem locis Ecclesiast. supra citatis, saltem in mystico sensu adumbratum

bratum fuisse hoc mysterium, vt ibidem Iansenius aduertit.

Tertio obiicit, quia sepe sancti Patres metaphoricè hunc locum interpretantur, vt videre licet in Bernardo tract. de dilig. Deo, non longe à principio, & ferm. 3. in Psalm. Qui habitat. Hierony. super Psal. 146. vbi de scriptura sacra hunc locum exponit, Basil. epist. 141. Orig. homil. 7. in Leuit. & tractat. 26. in Matt. sed præsertim in Augustino, qui sepe figurate, & in sensu spiritali totum hoc caput exponit, cuius varia loca iam citauimus, & obiter exposuimus, & alia tractauimus supra, disput. 2. & videri etiam potest tract. 25. & 26. in Ioann. vbi sepe dicit, Christum manducari per fidem, & in his verbis esse figuram præcipientem passioni Domini communicari, vel vñiri corpori eius, quod est Ecclesia: habet etiam illa verba, Quid paras dentem, & ventrem? crede & manducalisticè etiã tract. 57. dicit, si manducare est reficere, quid est bibere nisi viuere? Respondetur primo, metaphoricum sensum nunquam excludere literalem, & ideo licet sancti interdum accomodent hunc nomenem, vt eibus sit verbum Dei, aut Scriptura, & manducare fit credere, & intelligere, non intendunt proprietatè literæ excludere: vnde rectè Origen. hom. 16. in Numeros circa finem, de hac eadem re agens dicit, Numerus sanguinem Christi, & ritu sacramentorum, & cum sermone eius recipimus. Secundo quãuis ad literam explicaretur hic locus de Christo, secundum se, & de manducatione eius per fidem, & amorem, nõ esset, a sensu literæ, & intentione Christi excludendum hoc sacramentum, probabile est enim interdum Christum Dominum eodem sermonis contextu, de rebus diuersis differuisse vt Matth. 24. multi Sancti exponunt, Christum eisdem verbis de Hierosolymitano excidio, & orbis consummatione tractasse, & Ioan. 4. in illo verbo, Aqua quã ego dabo, fiet in eo, & c. Cyp. 13. Epistola 3. intelligit, Baptismi promissionem, alij vero de gratia simpliciter intelligunt: itaq; propter analogiam, vel connexionem rerum, potuit facile fieri, vt Christus vtriusq; inuitu locutus fuerit. Tertio, interdum vocant Patres hunc sensum spiritalẽ, non vt excludant proprietatem, quam nos exposuimus, sed vt significant continere mysterium & sacramentum, sicut sepe diximus: & similiter vocant manducationem spiritalẽ, non vt excludant sacramentalem, sed, vt vel excludant sensum mere carnalem, & manducationem carnis in propria specie, non vero vt excludant sacramentalem, vel, vt significant hanc sine spiritali non prodesse, spiritalẽ vero posse prodesse sine sacramentali, quando hæc adhiberi non potest: vel deniq; vt indicent fructum huius sacramenti spiritalẽ esse, non corporalem. Et hinc oriri potuit illud Aug. Quid paras dentem & ventrem? quamuis aliter etiam supra expositum sit. Item illud Cypriani, de coena Dom. Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendũ acimus, sed fide sincera, panem sanctum frangimus, & partimur. Hinc etiam sepe hunc cibum spiritalẽ vocant Sancti, vt videre licet in Ambrosio li. de myst. c. 9. Theophyl. Ioan. 6. Hinc denique sepe ipsum effectum, seu spiritalẽ fructum, manducationem vocant, præsertim Aug. si ergo hæc perpendantur, & diuersis locis applicentur, nulla supererit difficultas.

SECTIO III.

Primum ex verbis, quibus Christus instituit & exhibuit hoc sacramentum, conuincit possit veritas presentie Christi in illo.

Tota difficultas huius sectionis est de illis verbis. Hoc est corpus meum: Quæ duobus modis considerari possunt. Primo, vt sunt forma huius sacramenti. Secundo, vt continent assertionem quandam, auctoritate Christi confirmatam: hæc enim ratio separari potest à priori, si Christus neq; illis verbis conse-

crasset, neq; vt nos illis consecrarem, instituisset: sub priori ratione agemus infra de illis, q. 78. vbi disputanda erunt scholastica quæstiones de vero sensu illius formæ: hic vero de posteriori ratione. Quartus enim verum sensum illius assertionis Christi, quoniam præcipuum fundamentum est, quo nixa Ecclesia, presentiam Christi in hoc sacramento credit, ac docet. Hæretici ergo negant ex his verbis posse colligi hanc Christi presentiam, & ideo varias metaphoras aut figuratas expositiones confingunt. Ex catholicis vero solus Caietanus, & ideo varias metaphoras aut figuratas expositiones confingunt. Ex catholicis vero solus Caietanus, & ideo varias metaphoras aut figuratas expositiones confingunt. Ex catholicis vero solus Caietanus, & ideo varias metaphoras aut figuratas expositiones confingunt. Ex catholicis vero solus Caietanus, & ideo varias metaphoras aut figuratas expositiones confingunt.

Dicendum vero est, in illis verbis, satis aperte docuisse Christum, id, quod in suis manibus habebat, quæ sunt forma consecrationis coenæ, esse suum corpus: vnde ad illorum verborum veritatem necessarium fuit, vere ac realiter corpus illud sub speciebus panis contineri, & hoc modo ex illis verbis conuincitur hæc presentia: sine qua illorum veritas consistere non potest. Tota hæc assertio de fide est, quæ probatur primo ex Conciliis, nam in V. I. Synod. act. 6. tom. 3. expresse refellitur expositio hæreticorum, de signo corporis hæc verba interpretantium: & ponderatur, non dixisse Dominum, Accipite figuram corporis, sed, corpus meum. Vnde Trident. sess. 13. c. 1. disertis ac grauissimis verbis docet, illa verba proprie, & non per tropum esse intelligenda. Dices, ergo est hæretica Caietani sententia? Respondetur, hæreticum esse, negare, in illis verbis contineri hanc veritatem, & hunc fuisse sensum à Christo intentum, & similiter hæreticum esse, negare, illa verba sufficientia esse secundum se, ad faciendam certam fidem huius mysterij, quia nullum Scripturæ testimonium potest clarius & certius veritatem aliquam confirmare. Nihilominus tamen non esset hæreticum, dicere, quoad nos, non sufficere illa verba, nisi accedat Ecclesiæ traditio & definitio: nam, si quis seclusa Ecclesiæ auctoritate, sine pertinetia aliter explicasset illum locum, non esset hæreticus, & ideo Concilium Tridentinum semper adiunxit Ecclesiæ sensum, & Patrum traditionem. Hæc tamen doctrina non solum in hoc testimonio, sed in tota Scripturæ locum habet, ideo enim est necessaria in Ecclesiâ viua regula, quæ spiritum habeat, & auctoritatem interpretandi Scripturam. Vnde Caietanus, cum aliquid peculiare indicat esse in his verbis, male loquitur, & ideo eius sententia omnino reicienda est.

Secundo principaliter probatur hic sensus, ex Patribus. Ambros. Hilar. Ansel. Beda. & aliis exponentibus loca Euangeliorum, & Pauli. ad Cor. 11. Præsertim Chrysostr. homil. 51. & 53. in Matth. & homil. 60. ad popul. præterea Epiph. Qui non credit (inquit) esse verum hunc ipse dixit, is excidit à gratia & salute. Prosper de prædict. & promiss. Dei p. 2. c. 25. vbi ait Christus corpus suum portasse in manibus suis, cum dixit, Hoc est corpus meum. Origen. tract. 35. in Matt. vbi dicit, hunc panem esse ipsum Verbum, & corp⁹ verbi, apertius homil. 9. in Leuit. circa finem. Optime etiam Hieronymus tom. 3. Epist. 150. ad Eudibiam q. 2. Gaudens. Brixien. tractat. 2. in Exo. Ambros. 4. de sacramen. c. 3. 4. & 5. Gregor. Nilfen. in Orat. magna catechet. apud Euthym. 2. part. Panopl. titul. 21. Cyrill. Hierosoly. catechesi. 4. mystagog. Damasc. li. 4. c. 14. Qui, quoniam in ea tempora incidit, in quibus hic contrarius error pullulare incipiebat, non solum expositionem veram amplectitur, sed contrariam dissentire reuicit, quod etiam in Theophyl. obseruare licet, Matth. 26. & Marci. 14. & eodem modo loquitur Euthym. c. 64. in Matt. vnde rectè Nicéphor. li. 1. histor. c. 8. Cum vere inquit corpus & sanguinẽ suum esse, quasi fide interposita confirmasset, & c. Est denique egregius locus apud Aug. con. 1. in Psal. 33. vbi tractat verba

Ex verbis
quæ sunt forma
consecrationis
coenæ Christi
realis presentie.
VII. Synod.

Ambros.
Hilar.
Ansel.
Beda.
Chrysostr.
Prosper.
Origen.
Hic.
Gaudens.
Ambros.
Greg. Niff.
Cyrill. Hier.
Damasc.
Theophyl.
Euthym.
Nicéph.
August.

verba illa, quæ 1. Reg. 21. David dicta sunt, & vbi nos legimus, Collabebatur inter manus eorū, ipse legit, Et ferebatur in manibus suis: & subdit, Quomodo autē hoc in David inuentum sit, secundum litteram, non inuenimus, in Christo autē inuenimus, ferebatur n. Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait, Hoc est corpus meū, ferebat n. corpus suum in manibus suis. Vbi ponderandū est verbum illud (secundum litteram) id est, sine metaphora, nam per metaphorā non dubitaret Aug. quin possent verba illa de David exponi.

August.

Tertio probatur hæc veritas, ex illa regula generali tradita ab Augustino 3. de Doct. Christ. capit. 7. quod verba Scripturæ proprie intelligenda sunt, & non per tropum, nisi, vbi vel euidentis necessitas, vel Ecclesiæ autoritas aliud docet, quod maxime verū est, quando & materia, de qua est sermo, per se nō est apta ad metaphoram, quia nimirū sunt dogmata aut præcepta, in quibus tradendis maxime est proprietas verborum necessaria, vt aliquid certum ac firmū in Scriptura esse possit, & alioqui neq; ex circumstantiis neque ex aliis locis Scripturæ, neque ex ipsis verbis, & frequenter vsu eorum talis tropus vel metaphora colligi potest, vt in proposito accidit: Quod probatur discurrendo per singula.

Vnde argumentor quarto, ex materia subiecta, quia, quando Christus hæc verba prætulit, instituebat sacramētum, & sacrificium perpetuo in Ecclesia duraturum, cuius vsus statim præcepit dicens, Hoc facite, &c. ergo oportebat verbis propriis hoc explicare, nam sacramenta sunt Ecclesiæ fundamenta, & si per metaphoram traderentur, omnia redderentur incerta, & ideo hoc seruatum reperimus, tam in lege veteri, quam in noua. In illa enim, licet plena sit figuris, & metaphoris, tamē vbi traduntur ceremonie legales, propriis & clarissimis verbis præcipiuntur: In hac vero quādo Christus agens de Baptismo aquā nominauit, propriam aquam intelligimus, & similiter, cum dixit, Quorum remisistis peccata, & sic de aliis, & in vniuersum, quādo Scriptura tradit dogmata fidei, vel præcepta morum, propriis verbis loquitur, & sic alicubi fortasse vtitur metaphora, vel est tam clara, & patens, vt sensui proprio æquiualeat, vel adiungit aliquid, quo metaphoram explicet, vel quod in vno loco figurate dicit, in alio diserte explicat, vt recte docuit Tertull. li. de resurrectione carnis cap. 10. 18. & sequentibus, & August. li. 2. de Doctrina Christiana ca. 6. & 9. & colligitur ex Irenæo lib. 2. contra hæres. ca. 46. Confirmatur, quia Christus Dominus, institucendo hoc sacramētum, vltimam suam voluntatem declarauit, iuxta illud, Hic calix nouū testamentum est in meo sanguine: at vero in significatione verborum alicuius testamenti non licet à proprietate, verborum recedere, nisi vbi manifestū est aliter sensisse testatorem, vt dicitur in I. Non aliter. ff. delegat. 3. Et naturali ratione per se notū videtur, quis enim, si testator sibi domum legasset, imagine vel figura domus contentus esset?

Tertull.
August.
Irenæus

Quinta probatio sumi potest ex circumstantiis, quæ solent Scripturæ sensum explicare, vt dixit Aug. lib. 83. quaestio in 69. nam sermo metaphoricus vturari consuevit, vel gratia occultandi sermonem vel, quando aliquis pro cōdione loquitur, gratia amplificandi, seu delectandi: nō autem in communi seu familiarī sermone, vbi simpliciter inter amicos de rebus agitur, vel inter magistrum & discipulos, vel quādo aliquis vult alios instruere, & intelligi cupit. In hoc autem Christi sermone hæc circumstantiæ seruatae sunt: agebat enim familiariter cum discipulis suis, & eos instruebat, vt Ecclesiæ essent magistri, & cum iam iam ab eis discessurus esset, testamentū cōdebat, loquebatur ergo simpliciter ac proprie, ita vt facile posset intelligi: vnde paulo post dixit illis, Vos dixi amicis quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis: & postea dixerunt Apostoli illi, Ecce palā

loqueris, & prouerbum nullum dicis: ad Apostolos n. Christus dixerat Luc. 8. Vobis datum est nosse mysterium Dei, aliis autē in parabolis. Præsertim, quia, cum Apostoli essent statim communicaturi, oportebat vt bene perciperent verba Christi, vt cum debita fide, ac reuerentia sacramētum susciperent. Vnde per illa verba etiam proposuit illis mysterium, vt illud crederent, sed ad hæc omnia nō erant apta verba metaphorica, sed propria & simplicia, ergo sine dubio ita locutus est Christus, præsertim cum non occurrerit in illo verbo esse tropus, nisi valde obscurus, & inusitatus, & Christus nullam eius expositionem vel significationē ad dederit: si enim addidisset, non prætermisissent illam omnes Euangelistæ, & Paulus: iussisset enim valde necessaria Ecclesiæ, multumq; ad substantiam huius sacramenti pertinere. Adde, vehementem esse contecturam, Apostolos ita intellexisse verba Christi, quia nihil omnino interrogarunt, solebant enim, quando nō intelligebant figuratum sermonem, magistrum dicere, Ediscere nobis parabolam: ita hic autem nihil interrogant, sed statim hęc adhibent, & communicant: ergo.

Sexto ex aliis locis Scripturæ non potest colligi aliquam figurā vel tropum in his verbis contineri, sed potius contrarium: quoniam vbi sit mentio huius sacramenti in aliis locis semper verborum proprietatem magis ac magis indicatur, quod perficere licet in illo loco. 1. Cor. 11. vbi post narratam institutionē subdit Paulus. Probat autē se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui n. manducat, & bibit, indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini: vbi plane significat esse verum corpus Dñi, & non tantum signum eius. Propter hanc n. causam, tantam requirit probationem & dispositionem, tantumq; exaggerat peccatum indigne sumenti hoc sacramētum: quia, vt Cyp. art. li. de lapsis, Vis infertur corpori Christi, & ore ac manibus in Dñm delinquitur: & elegatē idē profectur, tum ibi, tum ep. 11. & 75. & optime Bas. ser. 2. de Bapt. c. 3. & 1. de B. in fine Chryf. hom. 83. in Mat. 23. in Ioan. 3. in ep. ad Eph. Amb. ad Hebr. 10. vbi dicit, hoc peccato conculcari corpus Dñi. Sumitur etiam ex hoc loco nonnullū argumentum, quia Paulus ait, corp⁹ Christi etiam ad indignis sumi: quod verum est non tantum de peccatoribus, sed etiam de hæreticis: sumitur ergo in ipso sacramento realiter, & non tantum per fidem vel spirituale fructum: ergo sermo Pauli de consequenter Christi, est proprius de ipsomet corpore Christi. Vnde eodem sensu dixerat Paul. ca. 10. fractionem huius panis, esse communicationem seu participationem & distributionem corporis Domini, & calicem esse communicationem sanguinis eius. Quapropter Iren. 1. contra hæres. c. 2. dicit. Qui negat, nos communicare proprio sanguine Christi, & posse negare esse redemptos vero sanguine Christi. Quia sicut Apostolus dicit: In quo habem⁹ redemptionem per sanguinem eius: ita dicit, calicem Euchariſtiæ esse communicationē sanguinis eius, & qui per metaphoram vnum sermonem euerterit, poterit etiam alium destruere. Vnde ex his verbis conclusis, per hanc communicationem fieri arctissimam coniunctionem inter Christum & nos, accommodans etiam illa verba ad Ephel. 5. Membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Quam coniunctionem late declarant, & ex hoc loco confirmant, Chrysostomus supra, & homil. 24. in 1. ad Corinthios. Cyrill. libr. 10. in Ioan. cap. 13. Greg. Niss. tract. circa illa verba, Exiit sanguis & aqua. In quo notanda sunt illa verba, Paucæ guttæ sanguinis, eorum multum restaurantes, sunt hominibus quasi coagulatum lactis, illos cogentes & coniungentes in vinum.

Septimo ex ipsis verbis declaratur hæc veritas: Et primum suppono, illo pronome, Hoc, designasse Christum id, quod habebat in manibus, seu coram se, quodq; discipulis dabat, vt iungerent, vt euidenter pa-

térpatet ex præcedentibus verbis, Accipite & comedite: inepitissimum enim est, quod quidam hæretici dixerunt; Christum de se ipso fuisse locum, suum visibile corpus designando, Christus enim tunc non de hoc agebat, sed de re, quam ad manducandum dabat. Deinde, ut quid tunc afferuisset discipulis, quod ipsi viderant? Denique in forma sanguinis nullo modo potest hoc accommodari. Alij vero interpretantur, Hoc id est, Hic, ita ut non sit pronome, sed aduerbium locale. Sed præterquam quod hic est voluntarius abusus vocis, quæro, quem locum Christus designauerit: an illum, in quo ipse sedebat? Et hoc eisdem argumentis refellitur, quæ nuper facta sunt, erat enim res prorsus impertinens. Alij con-tingunt, non designasse Christum aliquam rem permanentem, sed actionem illam, quæ tunc agebatur. Sed hoc & per se est incredibile: quomodo enim tota illa actio diceretur corpus Christi? & in sectione vitima huius disputationis ex professo refelletur, perinet enim hæc expositio ad hæresim ibi impugnandam. Alij denique fraudulentius dixerunt, ut refert Iansen. ca. 59. concordia, pronome, Hoc, designasse Christum ipsos Apostolos, seu collegium Apostolicum, quod appellat corpus suum mysticum, ut sensus sit, Accipite & comedite, vos enim estis corpus meum. Sed hæc expositio, præterquam quod est mere voluntaria, & contra omnes Sanctos, & sensum Ecclesiæ, facile refellitur, tum ex verbo illo, quod Christus subdidit, Quod pro vobis tradetur, quod non potest corpori mystico adaptari, tum ex forma sanguinis, quæ nullo modo potest ad Apostolos referri: tum etiam quia Paul. primæ ad Cor. 11. aperte exposuit panem cælestem, quem Christus tradidit, esse corpus eius: tum denique, quia iuxta hanc expositionem, non solum Christi præsentia in hoc sacramento, sed totum ipsum sacramentum prorsus euerteretur.

Secundo suppono, vltimam particulam, meum, non possessiuæ sumi, sed naturæ proprietatem significare: dixerunt enim quidam hæretici, sensum Christi in illis verbis fuisse, Accipite & comedite, hoc n. id est, hic panis, est corpus meum, i. res à me creata, & cuius ego sum Dominus. Sed est inepta expositio, nã si Christus nudum panem dabat, quæ magnificentia aut excellentia in illo dono apparebat, ut oporteret tanto verborum apparatu dicere, illud esse suum? Deinde Christus non dixit. Hoc corpus est meum, sed, Hoc est corpus meum, & ut euidentius sensus cõstaret, addidit, Quod pro vobis tradetur: loquitur ergo de suo naturali corpore. Item, in forma sanguinis nullo modo potest pronomen, meus, ita torqueri. Alij exponunt verbum illud, meum, per communicationem idiomatum, dicunt enim Verbum assumptis naturam panis, & ratione illius vnionis vere appellasse panem corpus suum. Sed contra hunc falsum sensum late dicturi sumus articulo sequenti, nunc breuiter reuocetur, quia vel illa vnio est hypostatica, vel non: si hoc posterius dicatur, nulla alia vnio potest sufficere ad veritatem, & proprietatem illius locutionis, substantiæ enim naturis & suppositis distinctæ, & disparatæ non possunt inuicem vere prædicari, propter coniunctionem accidentalem, ut in dialectica per se cõstat, & in hoc principio fundat Theologia veritatem Incarnationis. Si prius autem dicatur, & absurdissimum a hæreticis est, talem vnionem hypostaticam fingere, & non sufficit ad veritatem locutionis Christi, dixit n. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; at vero corpus panis, etiam si fingatur vnitem hypostaticæ Verbo, non est pro nobis traditum, seu crucifixum: neque etiam per communicationem idiomatum, potest substantia panis dici corpus Christi crucifixum pro nobis: & multo

Franc. Suarez. Tom. 3.

minus poterit vinum appellari sanguis, quia cõmunicatio idiomatum non est inter partes & abstracta. Igitur (corpus meum) in illa propositione necessario significat ipsum corpus naturale Christi. Tertio tandem addendum est, verbum (est) quod coniungit illa duo extrema, secundum propriam significationem requirere, ut id, quod designatur per pronome, hoc, sit id, quod per prædicatum significatur: sic igitur ex proprietate verborum illorum necessario concluditur, illum cibum, quem Christus dedit Apostolis, fuisse verum corpus eius.

Sed occurrunt multi hæretici, qui licet inter se differant in modo explicandi, omnes tamen in conueniunt, ut transferant hæc verba ad metonymiam & figuratam locutionem, quæ iuxta August. q. 57. in Leuit. res representata solet de signo vel imagine efferi, ut cum visa imagine Regis, dicimus, hic est rex. Vnde quidam exponunt, hoc est, hoc significat corpus meum, sicut Genes. 42. dixit Ioseph. Septem spicæ septem anni sunt, & Matt. 11. dixit Christus, Iohannes ipse est Elias. Alij vero ponunt metaphoram in prædicato. Hoc est corpus meum, id est, hoc est signum corporis mei. Sed hæc, & similia omnia in idem recidunt, ut ex doctrina Augustini supra cõstat: quia etiam si figura ponatur in verbo, in prædicato transfunditur necesse est. Nam idem est, hoc est, id est, hoc significat, vel, hoc est significans, seu, hoc est signum, igitur vno & eodem principio refelluntur: quia cum hæc metaphora sint contra proprietatem verborum, non sunt ad libitum fingendæ, nisi vbi vel res est euidentissima, vel necessitas, aut autoritas cogit, alias fides nostra nullum firmum fundamentum habere potest in Scriptura sacra. Vnde Nestoriani hæretici, etiam corrumpent locutiones Scripturæ, in quibus & Deus homo, & homo dicitur Deus, per metaphoram illas explicantes: quia absurdè & difficillimè illis videbatur, si proprie intelligerentur: & tamen ex sola proprietate illorum verborum Ecclesia illos conuicit, & condemnauit. Quod argumentum generatim contra hæreticos recte tractat Tertull. libr. de resurrect. carnis. Et hic est vrgentissimum, propter omnia, quæ adducta sunt. Quibus addi potest primo, quod si Christus Dominus voluisset affirmare id quod discipulis dabat, esse corpus suum, nõ potuisset, clarioribus verbis id facere. Non enim adiungere debebat. Hoc est proprie, seu, in veritate, seu quid simile; non est enim hic vitatus loquendi modus, satis enim fuit in singulari verbis, quantum fieri potuit explicare proprietatem. Nam in subiecto abstinnit à nominando pane, vel alia re, sed simpliciter dixit, hoc, ut absolute designari posset, quod sub illis speciebus continebatur. Deinde vsus est verbo simplicissimo, & substantiali, est, quod inter omnia minus est aptum ad metaphoras, & figuras. Ac denique in prædicato, non contentus proprietate verbi, adiunxit explicationem, Quod pro vobis tradetur, quæ nõ conuenit in signum corporis, sed in verum corpus. Secundo addo, quod si in illis verbis nullus esset tropus, ille esset obscurissimus, nullum in his verbis, nec in aliis Scripturæ locis habens fundamentum, nec in communi more loquendi. Non enim solemus appellare imaginem, aut signum nomine rei significatæ, nisi quando manifestum ac per se notum supponimus, id, de quo loquimur, esse imaginem, aut aliquid aliud significare, quod autem panis significaret corpus Christi, nondum erat Apostolis notum, sed illa futura erat prima institutio talis signi. In prima vero institutione nunquam solet talis metaphora vsurpari: esset enim obscurissima, & magna erroris occasio. Vnde maiori ratione potuisset Christus de agno paschali dicere, Hoc est corpus meum, & de Baptismo, Hic est sanguis meus, vel, mors, seu, sepultura mea, & de hoc sacramento, hoc est Ecclesia mea, vel, corpus mysticum meum, quia illud est aptissime significat, ac representat. Tertio addo, nullum ibi esse verbum

Xx bum

Alia explicatio
iones per
metaphorã.
S. August.

Genes. 42.
Matth. 11.

Tertull.
Confutatio
heretic.

bum talem metaphoram indicans; imo (quod obferuatione dignissimum est) tam tres Euagelistæ, Matt. Marcus, & Lucas, quam Paulus 1. ad Cor. 11. cum hanc institutionem narrât, licet in aliis diuerso modo loquantur, cum veniunt ad hæc verba, diligentissime illa referunt, cum omni proprietate, & sine vlla fere varietate, & nihil addût, quod ad eorum explicationem pertineat, supponentes simpliciter esse intelligenda: alioquin in re grauissima, & maximi momenti, occasionem erroris & deceptionis Ecclesiæ tribuissent.

Aliorū hæreticorū interpretatō.

Refellitur.

Quod vero alij tandem excogitarunt, vt propositionem inuertent, & subiectum facerent prædicatum, & prædicatum subiectum, ac si Christus diceret, corpus meum est hoc, id est, panis, non materialis, sed spiritualis, sicut Ioannes dicitur Elias, nõ persona, sed spiritu; hoc (inquam) nihil eorum causam iuuat. Primo, quia id, quod assumitur, est plane falsum: quia, vt ostendi, Christus non de se, sed de illa re, quam Apostolis dabat, loquebatur, & ita Paulus aperte exposuit, cibum ipsum, qui fidelibus datur, esse corpus Christi, quod expressius ostendunt verba Græcæ, quæ, aliquantulum mutato ordine verborum, ita habent; Hoc meum est corpus, & illæ etiam determinationes, quod, p vobis tradetur, & qui pro vobis effundetur, nisi magna vis literæ inferatur, satis ostendunt, corpus meum, & calix sanguinis mei, esse illarum propositionum prædicata. Deinde, quia hoc nihil ad præsens institutum refert, nam cum particularis propositio affirmatiua simpliciter conuerti possit, siue dicas, hoc est corpus meum, siue, corpus meum est hoc, si proprietatem verborum retineas, eodem modo veritas confirmabitur: si vero per solâ figuram, & metaphoram interpretaris, eadem argumenta redibunt. Necessè est enim, vt isti hæretici ita exponant, corpus meum est, id est, repræsentatur per hoc, vel nutrit sicut hoc, aut alio simili modo: qui sensus eisdem argumentis falsus esse conuinci potest. Plures hæreticorum insanias & absurdas interpretationes refert Sander. lib. 7. de visibil. Monarch. hæres. 204. sub anno 1549. & impugnat latissime Robert. Bellar. loco citato.

Sanderus Bellarmin.

1. Corin. 10.

Rupert.

Vltimo confirmatur hæc expositio, soluendo, quæ contra eam obiici possunt. Primo ergo obiicitur videtur Paul. 1. ad Cor. 10. vbi dicit, antiquos Patres eandem escam manducasse, & eundem potum nobiscum bibisse: ex illo ergo loco, explicandum est hic, de quo agimus, scilicet illam escam, quam Christus dedit, tantum fuisse figuram: quia sicut antiqui Patres tantum in figura manducarunt, ita & nos. Hanc obiectionem refert Rupert. Abb. lib. 5. in Ioan. tractans illa verba. Patres vestri manducauerunt Manna in deserto. Et rectè respondet: Paulum non dicere, antiquos Patres eandem escam, vel eundem potum nobiscum manducasse, sed solum Hebræos ipsos omnes eam escam manducasse, & eundem potum bibisse. Nulla enim est in textu Apostoli particula, qua illa esca, & potus antiquorum referatur ad nostram, seu dicatur esse eadem cum illa, de qua Dominus dixit, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus. Neq; enim Apostolus potuit esse contrarius Christo dicenti; Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Vnde statim subdit Apostolus, Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, ac si diceret, licet omnes eandem escam manducauerint, non tamen omnibus æque profuit. Cõfert ergo illos inter se, non nobiscum: nam respectu nostri postea dicit, omnia in figura cõtinebant illis. Et hic sine dubio est literalis sensus, vt ex ipso textu, & ex Chrysoftomo, Theodoro, & aliis expositioribus constat. Addi vero potest, licet Paulus diceret, antiquos eandem escam spiritualement nobiscum manducasse, id est, Christum, non tamen dicere eodẽ modo manducasse: illi ergo tantum per fidem: nos vero & per fidem, & realiter in sacramento.

Secundo obiici possunt Patres: Dionys. epist. 9. ad Titum habet obscura verba: loquens enim de sacris figuris, & tropicis locutionibus ait, Nec sanctos Angelos ab illis abstinuisse: & subdit: ipsumq; Iesum in parabolis, per typicæ mensæ apparatus, Deifica mysteria tradere. Secundo, Hieronymus Marth. 26. inquit, Postquam typicum Pascha fuerat impletum, assumit panem, & ad verum Pascha transfuditur sacramentum, vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech panem & vinum offerens fecerat, ipse quoq; veritatem sui corporis, & sanguinis repræsentaret. Tertio idem Hieron. Marc. 14. Accipit, inquit, Iesus panem, & benedicens fregit, transfigurans corpus suum in panem, quod est Ecclesia præsens, quæ accipitur in fide, benedicitur in numero, frãgitur in passionibus, datur in exëplis, sumitur indoctrinis, formã sanguinem suum in calicem vino & aqua miltum, vt alio purgemur à viticiis, alio redimamur ab eis. Quarto, sunt obscura verba Tertul. lib. de anima. ca. 17. dicentis, non mutasse vinum saporem, quod in memoria sanguinis sui Dominus consecrauit: & difficultius li. 4. contra Marcio. c. 20. Panem (inquit) corpus suum fecit, dicens. Hoc est corpus meum, id est, hoc est figura corporis.

Ad primam respondetur. primo: ex alio loco Dionys. de Eccles. Hierar. c. 5. non obscure colligitur ipsum sensisse, hoc sacramentum esse ipsum Christum. Nam ad ipsum sacramentum loquens dicit, Tu dixisti, Hoc facite: & deinde ipsum sacramentum inuocat, sicut ipsum Christum. In illo ergo alio loco, cum Deifica mysteria appellat, ipsum Christum sub figuris sensibilibus latentem intelligit, & ideo vocat, typicæ mensæ apparatus, quia sub figuris sensibilibus diuina continentur. Quod vero ibi ait Iesum in parabolis diuina tradidisse, non est necesse, vt ad verba consecrationis referatur, sed ad Christi prædicationem: sunt enim illa duo diuersa, in parabolis diuina, & per typicæ mensæ apparatus Deifica mysteria tradere.

Ad primam locum Hieron. respondetur, verbum illud, repræsentare, esse æquiuocum. Interdum enim idem est, quod rem significare: interdum vero idem, quod rem præsentem facere: Hieronym. ergo hoc posteriori modo illo verbo vtitur, vt clarus constat ex eodem Hieronymo, circa illa verba, Psalm. 109. Tu es sacerdos in æternum, vbi comparans. Sicut hic, Melchisedech & Christum, dicit: illum obtulisse panem: hunc vero corpus & sanguinem suum. Responderi potest secundo, etiam si verbum repræsentandi in alio sensu sumatur, non propterea excludi veritatem. Nam Christus dando corpus, dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Vnde consecrando corpus & sanguinem, illius passionem repræsentamus. Quam solutionem sæpe repetimus sectione sequent. Tertio deniq; dicitur, Hieron. in eo loco non explicare hæc verba forme metaphorice, sed potius dicere Christum repræsentasse veritatem sui corporis: potius ergo indicat locutum fuisse Christum de vero suo corpore, quod in pane repræsentauit, sub speciebus panis illud discipulis tribuens. Vnde idem Hieron. in d. epi. 150. q. 2. ad Heb. dicit hæc eadem verba tractans. Ipse (inquit) Iesus conuiuia & conuiuium ipse comedens, & qui comeditur. Vnde ad alium eiusdem testimonium responderi potest, illos Commentarios in Marcum non esse Hieronymi, vt Marian. Victor. & alij adnotarunt. Deniq; cuiuscunque sint, sensus mysticos, & non literales explicant. Dicit ergo potest, cum in hoc sacramento sint plura mysteria, Patres in vno loco explicata quædam, in alio alia. Et licet alicubi aliqua omittant, non tamen negant. In Commentariis igitur in Marcum Hierony. non tam ex professo omnia exponit, quam breues quasdam annotationulas adhibet. Et ideo in illo loco explicuit breuissime, quomodo in hoc sacramento vnitas corporis mystica repræsentatur.

presentaretur: non tamen declaravit literalem sensum verborum Christi: neque etiā illum exclusit, quāquam, cum dicit, Transfigurans corpus suum in panem, & formans sanguinem suum in calicem. Nō obsecure indicet conversionem panis in corpus & vini in sanguinem: licet et explicuerit diuerso modo, quam exponi soleat. Proprie enim dicitur panis conuerti in corpus, vel etiam transfigurari, vt loquitur Ambros. lib. 4. de fide, c. 5. dicens, Nos autem quotiescumque sacramenta sumimus, quæ per sacræ orationis mysterium, in carnem transfigurantur & sanguinem, mortem Domini annunciamus. Hieronymus vero e contrario asserit, corpus transfigurari in panem, quia sub forma, & specie panis cibus Ecclesie efficitur. Et eodem modo dicit, Formas sanguinem suum in calicem, i. accommodans & adaptans illum sub speciebus vini, vt, tanquam verus potus, possit in calice sumi. Ad primum locum Tertulliani respondetur, cum inquit, non mutasse vinum saporem, satis indicasse, mutasse substantiam, non accidentia. Quod vero addit, hoc fecisse Christum in memoriam sanguinis sui, i. passionis suæ, omnino verum est, nam hic calix, & est sanguis Christi, inuisibiliter tibi contentus, & est memoriale sanguinis visibiliter effusi, sicut Lucas dixit: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, quia scilicet sanguis contentus in calice sub speciebus potus, est sacramentum continens diuinam promissionem, sanctam & fundatam in sanguine effuso in passione. In alio vero difficiliore loco, primum cum dicit, panem corpus suum fecit: satis aperte veritate transubstantiationis explicuit, quam aliis etiam locis, quæ sectione sequenti referemus, non obscure docuit. Cum ergo subdit, Corpus suum fecit, hoc est, corpus meum dicens, id est, figura corporis mei, dupliciter explicari potest: primo, vt hoc ipsum sacramentum, quod vere est corpus Christi, speciebus panis velatum, vocet figuram, id est, representationem eiusdem corporis visibilis, in propria specie existentis. Hoc enim modo interdum loqui patres ostendimus sectione sequenti. Optime vero intelligitur ex loco Ambros. lib. de sacram. c. 5. vbi prius inquit, Dicit Sacerdos, Fac nobis hanc oblationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. statim vero vim & proprietatem verborum explicans, inquit: Antequam consecratur, panis est: vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. & infra. Ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus: vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, gorbem redemit. Ergo videre, quantis generibus potens est sermo Christi vniuersa conuertere. Deinde ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quod corpus suū accipiamus & sanguinem. Numquid debemus de eius fide & testificatione dubitare? Quæ verba non solum ad explicandum Tertullianum, sed et ad veritatem confirmandam aptissima sunt. Secundo responderi potest, Tertullianum non sacramentum, sed panem vocasse figuram corporis Christi: ita vt particula illa, i. figura corporis mei non cadat super prædicatum, corpus meum, sed supra subiectum, scilicet panem, quæ vocat figuram corporis Christi: & hanc figuram dicit effecisse Christi corpus suū, dicens, Hoc est corpus meū. Docet. n. ibi, in veteri testamento, carnem Christi, panis nomine metaphoricè significatam fuisse, & panem fuisse figuram corporis Christi. Hanc ergo figuram adimpletam dicit esse in nouo, quando Christus panem, i. figuram corporis sui, corpus suum fecit. Vnde paulo inferius inter alia dicit, Nunc sanguinem suum in vino consecrasti, qui tunc (id est, in lege veteri) eum in vino figurauit. Et ita hic locus potius confirmat veritatem. Et eodem modo loquitur l. 3. contra Marcion. c. 19. quibus locis Pamela hunc sensum erudite expendit. Eodem modo exponunt Richard. ar. 13. & alij moderni. Et potest etiam accommodari ad verba Ambrosij paulo ante citata, cum enim figuram corporis

poris & sanguinis appellat, de pane & vino ante consecrationem plane loqui videtur, de qua re plura in sequenti sectione dicemus.

Tertia obiectio sumitur ex materia & coniecturis, materia enim erat sacramentum quoddam, cuius ratio est, vt sit signum & figura: ergo forma, seu verba Christi fuerunt verba sacramentalia: ergo sacramentaliter tantum & metaphoricè significare intelligenda sunt: ergo non veritatem, sed signum tantum significare debent. Confirmatur primo, quia non possunt multæ metaphoricæ locutiones in illis verbis vitari. Nam in verbis illis: Hic est calix sanguinis mei, omnes figuram metonymiæ admittunt: dum continens pro contento accipitur. Item dicitur, Hic calix est nouum testamentum: cum tamen non sit, nisi signum, & confirmatio testamenti. Preterea verbum, manducandi, non potest intelligi proprie, si illud quod manducatur proprie, & non metaphoricè dicatur esse corpus Christi: quia corpus Christi non arretitur dentibus, vt proprie manducari dicitur: ergo necesse est, metaphoram inesse in aliquo illorum verborum, scilicet, aut in verbo, manducandi, aut in voce corpus, aut enim id quod Christus dabat, proprie manducandum erat, & sic non poterat esse verum Christi corpus: aut si hoc erat, non poterat proprie manducari: ergo conuenientius dicitur, metaphoram esse in voce, corporis, quam in voce, manducandi, vt res sit facilior, & expeditior. Confirmatur secundo, quia Apostoli ita videntur intellexisse verba illa de signo corporis, & non de vero corpore: alias turbati essent, & aliquod signum admirationis, in tanta rei nouitate præstitissent.

Ad præcipuum argumentum respondetur, variè intelligi posse verba Christi fuisse sacramentalia. Primo, vt sacramentalia verba dicantur, id est, figurata quæq; solum metaphoricè sensum habent: & hoc modo negatur assumptum: hoc enim est, de quo est controuersia. Secundo, vt sacramentalia verba dicantur, quæ mysterium aliquod habent recòditum: & hoc modo fateor verba Christi fuisse sacramentalia. Non est autem necesse, vt propterea caruerint sensu proprio: nam hoc familiare est verbis diuinis, vt sub sensu proprio altiore, mysticum, ac recòditum contineant. Tertio dici possunt propriissime sacramentalia verba, quibus instituitur, & efficitur sacramentum. Et hoc modo fuerunt etiam illa verba sacramentalia, & habentia sacram & mysticam significationem. Tamen hoc etiam sensu necesse non est, vt propria caruerint, nam in hac potius illa fundata est. Nam ad veritatem sacramenti potius necesse est, vt huiusmodi verba in propria significatione vera sint, vt tandem per eam spiritualem effectum significent: & hoc maxime verum est in verbis, quibus sacramentum simul instituitur, & conficitur, qualia sunt ea, de quibus disputamus, vt constat à simili. Nam cum Christus dixit, Baptizantes eos, tamen illa verba fuerunt sacramentalia: & nihilominus certum est proprie esse intelligenda, alioqui enim nihil de sacramentorum institutione certum haberemus. Adde, propriissimam significationem dictorum verborum. Hoc est corpus meum, esse maxime sacramentalem: quia significando hoc contentum sub speciebus esse corpus Christi, significant mysterium valde recòditum, & ad significationem nostram ordinatum, & ita hæc verba eminentissima quadam ratione & sacramentalia sunt, & propria.

Ad primam significationem respondetur: vel in illis verbis nullam esse metaphoram, vel esse adeo perspicuam, vt propria locutioni æquiualeat: primum enim de voce, calicis Titelmanus & alij contendunt: sumi pro ipso vase, quod proprie dicitur calix sanguinis, quia sanguinem continet. Deinde quamuis illa vox significet potum ibi contentum, tamen illa valde vitata significatio, licet sit translata: ex adiunctis verbis, bibendi, & effundendi, fit magis perspicua.

3. Obiectio
ex materia
& coniecturis.Confirmatio
primaConfirmatio
secunda.Respon ad
argumentu

Ad 1. confr.

Titelman.

Deniq; Matth. & Marcus proprie explicantur dicendo. Hic est sanguis. De altera autem voce, testamenti: breuiter dicitur, propriissime significare signum seu instrumentum continens seu significans voluntatem testatoris: & ita, quamuis in præsentia significet sacramentum continens, ac confirmans diuinam promissionem, nulla est metaphora, sed proprietates verbi. Deniq; verbum, manducandi, proprie etiam intelligendum est: quia corpus Christi per modum cibi vere traicitur in stomachum, per organa oris, & gutturis: Neq; enim est necesse, vt ipsum corpus dentibus areretur: quâuis, licet dicitur frangi ratione specteretur, ita ratione earundem potest dici dentibus areri. Vel certe, cum non solum corpus, sed totum hoc sacramentum manducari dicatur, satis superque est, vt in speciebus possit dentibus areri, cum totum per modum cibi in stomachum traiciatur.

Ad 2. confir.

Ad secundam confirmationem, supra responsum est ex Chrysolomo, Apostolos non fuisse turbatos in hoc mysterio, quia iam de illo fuerant edocti: Christi enim promissionem intellexerat: & eius complementum aude expectabant. Credendum etiam est, Christum illorum mentes illuminasse, vt summa reuerentia tantum sacramentum susciperent.

4. Obiectio.

Quarta obiectio esse potest, quia, esto, dem^o Christum Dominum proprie esse locutum, ipsumq; effectiue magnum miraculum, conuertendo panem in corpus suum, non inde concluditur, nunc esse præsentem in nostro sacramento. Nam licet Sacerdotes ea verba repetant in memoriam Christi, non tamen habent eam efficaciam, quam Christus habuit. Respondetur ex Patribus supra citatis, præsertim Chrysolomo, Cypriano, & Ambrosio, eundem Christum esse, qui nunc conicit, & tunc consecit hoc sacramentum: minister enim non in sua, sed in Christi persona illa proferre verba. Vnde non minus vera, nec minus efficaciam nunc sunt, quam in nocte cenæ fuerunt: nam, sicut ex quo tempore dixit Christus: Baptizantes eos, habent ministri eius vim sanctificandi, quia ipse est, qui principaliter baptizat, ita ex quo dixit: Hoc facite in meam commemorationem: habet vim efficiendi, quod ipse fecit. Vnde supra ostendimus, Christum Dominum in eo facto non solum miraculose fuisse operatum, sicut quando conuertit aquam in vinum: sed sacramentum instituisse, quod perpetuo in Ecclesia esset duraturum, vt iterum dicemus infra, agentes de forma huius sacramenti, vbi difficultates alias, ad veritatem huius formæ spectantes enodabimus.

Responso

SECTIO IV.

Quid antiqui Patres de vera præsentia Christi in hoc sacramento senserint.

Hæretici huius temporis summo conata, vel potius summis fraudibus laborarunt, vt errorem suum in antiquorum Patrum scriptis reperiri suaderent. Et ideo prætermisissimis in quibus veritatem docet, quidquid ab eis minus explicite dictum est, corradunt, ac congerunt: cum enim antiquis temporibus hæretici nondum orti essent, sancti Patres sincere, & conuidenter de hoc mysterio loquebantur: nihil de illorum malitia, ac perueritate solliciti, qui nunc eorum scriptis malitiose abutuntur. Hinc vero in magna Ecclesiæ utilitatem factum est, vt Scriptores Catholici diligentissime sententias Patrum collegerint, eorumq; de hoc mysterio veram ac sinceram fidem euidenter ostenderint. Quapropter ne actum agamus, breuiter caput hoc expediemus. Omnino non prætermittendum non fuisse expediens, ne totam hanc disputationem mutilam ac truncam relinqueremus.

Duo ergo breuiter docebimus. Primum, quomodo ex sententiis Patrum confirmanda sit hæc veritas: alterum quomodo exponendum sit, si quid in eis reperitur, quod illi videretur aduersum, & quædam documenta trademus ad sacrum Sanctorum sensum assequendum.

Circa primum, placet valde distinctio Guilelmi Alanii, libro 1. de Eucharistia, capit. 23. quædam esse Patrum testimonia, quæ simplicia dici possunt: alia, quæ ipse argumentosa vocat: priora sunt illa, quæ simpliciter sacramentum hoc, veritatem corporis & sanguinis Christi appellant, aut in quibus affirmant, nos manducare Christum, aut corpus vel sanguinem eius, & ab horum enumeratione abstinemus: tum, quod ea sufficere censemus, quæ inter explicanda Scripturæ testimonia indicata sunt, tum etiam quod panem inhiatam sunt, & ab hæreticis eodem fere modo, quo testimonia Scripturæ, eludantur: in hic vero testimoniis colligendis diligentissime inducantur multi, sed præsertim Garetius quatuor prioribus clausib. lib. de vera præsentia corporis Christi, & Claud. fere totis sex primis repetitionibus, & vtilissime Robert. Bellarm. toto libr. 2. de hoc sacramento. Posteriora, seu argumentosa testimonia sunt, quæ præter simplicem assertionem veritatis, argumentum continent, quo falsam interpretationem excludant: & hæc persequitur optime Alanus supra, & eorum capita breuiter indicabo.

Primum sit eorum Patrum, qui expresse excludunt solam figuram. Huiusmodi sunt Damascenus lib. 4. cap. 14. Non est figura (inquit) panis & vinum. Absit enim hoc: sed est ipsummet corpus. Ambros. li. de Sacram. cap. 1. Sicut verus est Dei Filius Dominus non est Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris, ita vera caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus, & verus sanguis est, quem potamus. Et inferius: Forte dicet, quomodo vera? quia similitudinem video, non video sanguinis veritatem: primo omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur, vt possit mutare, & conuertere genera in naturæ naturæ. Expresse etiam ita loquitur Theoph. Matt. 26. Mar. 14. Ioan. 6. & Euthym. his locis, & Epiph. ille, qui loquitur in VII. Synodo, Action. 6. tom. 3. in fine.

Secundum caput continet testimonia his propinqua: quibus Sancti docent, Christum in hoc sacramento non solum fide, sed ipsa re nobis coniungi: & non solum per voluntarium concordiam, sed etiam per corporum contactum, seu coniunctionem nobis copulari: quo nihil potuit expressius dici, ad errorem Caluini confutandum. Chryf. homil. 60. ad populum, Semetipsum nobis commiscet, non fide tantum, sed & ipsa re: & similia habet Hilarius nuper citatus, lib. 8. de Trinitate & eleganter Cyril. lib. 4. in loc. 13. & 14. & lib. 11. c. 17. inter alia, inquit: Per mysticam benedictionem corporaliter nobis filius vnitur, vt homo, spiritualiter, vt Deus, & ita exponit illud ad Ephes. 3. Concorporeos, & comparticipes: Alter etiam Cyril. catech. 4. dicit, hæc ratione nos effici Christiferos. Vnde est illud Chryf. hom. de sancto Philogonio, præclarus nobiscum agi, quàm cum Magis. Illi enim (inquit) viderunt Christum, non tamen secum tulerunt: nos autem nobiscum ferimus. Certe, si de sola fide sermo est, et illi secum tulerunt. Vnde etiam est præclarum testimonium Theodori Ancirani Orat. de Natiu. Saluat. habita in Conc. Eph. to. 6. Appendice 7. c. 2. vbi sic inquit, Ipse quæ tunc Magos ineffabili pietate traxit, claram nunc festiuitatem constituit: non iam præsepe positus, sed in altari, sicut nuncq; præsepe mater factum est huius mentis. Propterea in illo est positus, vt in isto comedatur, & fidelibus fiat salus: ubi

Tertio sunt fide consentanea testimonia illa, in quibus sancti exaggerant charitatem Christi, quia nec pastores oves suas, nec matres filios suos caribus alunt, sicut Christus nos pascat: neque amantem

ita se tradunt, & coniungunt amicis, sicut Christus voluit nobis tradi, & copulari: at vero si Christus tantum signum nobis tradidisset, commune hoc esset omnibus amantibus. Legatur Chryf. hom. 83. in Matth. 45. in Ioan. 24. in 1. ad Cor. 2. 60. & 61. ad populum, huc facit illud Augu. epi. 120. cap. 27. Quidam manducantes in sacramento Christum pauperem, & indignatur esse pauperes, & illud in Psalm. 33. Iudei de Crucifixu obtenebrati sunt, Christiani vero comedendo crucifixum, illuminantur.

Quartum caput continere potest ea testimonia in quibus Patres, rationes reddunt, ob quas voluit Christus sub speciebus panis & vini, & non in propria specie nobiscum manere, & ad manducandam & bibendam dari, scilicet, ut fides probaretur & exerceretur: & ut sine horrore, caro & sanguis eius, manducaretur ac biberetur, manifeste enim, & absque ulla tergiversatione his locis supponit, ipsam veram carnem, & sanguinem, nobiscum presentem adesse in hoc sacramento, verum ac realiter à nobis sumi. Ita vere loquuntur Ambrosius, Damasc. Theophyl. locis citatis, item Ambrosii. 4. de sacram. c. 4. Aug. in c. Vtrum sub figura de Consecra. d. Cyril. apud D. Tho. in catena. Luca 22.

Quintum caput sit, Sanctorum dicentium, in hoc sacramento perficiendo interuenire magnum quoddam miraculum, & diuinæ omnipotentie opus: nam si nulla est realis presentia Christi, sed sola significatio panis, nullum miraculosum opus ibi interuenit, sed sola extrinseca denominatio, seu impositio ad significandum. Optima sunt ad hunc locum confirmandum verba Chrysofomi lib. 3. de sacerdotio. Omiraculum, o Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur. Nullum autem miraculum, aut speciale omnipotentie opus, in hoc sacramento interuenire, si totum in figura & signo esset positum. Quod argumentum mirifice amplificat Ambr. lib. 4. de sacramentis, cap. 4. & lib. de his, qui inquitur, c. 9. & amplius vtrique potest ex his, quæ dicemus sectione quinta.

Admirabilis tamen est impudentia Caluini, qui (vt refert Claud. repet. 4. c. 4.) hoc eludit argumentum, consistens hoc vere esse admirabile opus omnipotentie Dei: postea vero, re explicando, diuertens ab existentia Christi in hoc sacramento, & ad consecratione ipsius sacramenti ad participationem Christi per fidem & spirituales effectum, qui in suscipientibus efficitur: cum tamen omnes Patres miraculum ponant, & opus diuinæ omnipotentie in ipsius materia consecratione, & in existentia corporis Christi in celo, & in terra: & similib. vt euidenter patet ex omnibus adductis, & est optimus locus Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 4. vbi primum differentiam constituit inter alia, quæ Christum significant & hoc sacramentum. Quia cetera (inquit) non dicuntur esse sanguis & corpus Christi, sicut hoc sacramentum: & subdit, Quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non efficitur tam magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei. At vero, si hoc sacramentum sola significatione perficeretur, nulla inuisibilis operatio diuini Spiritus in eo concipiendo interueniret. Sunt etiam optima verba Iustini Apologia. dicentis, Ea omnipotentia, qua Verbum factum est caro, fieri Eucharistiam carnem Verbi.

Vnde sextum caput & euidentissimum sumi potest ex his locis, in quibus Patres dicunt, hoc sacramentum perfici, per veram conuersionem panis in corpus: vel panem fieri corpus: vel, ex pane fieri, vel creati corpus: & ad persuadendam hanc diuinam operationem, & conuersionem, vtuntur exemplis creationis, & conuersionis aquæ in vinum, & similib. à quorum recitatione hic abstinemus, quia disput. 11. de hac re laetissime acturi sumus. Et his affinia sunt testimonia in quibus docent substantiam panis non ma-

Franc. Suarez Tom. 3.

nere post consecrationem, nam ex hoc euidenter inferitur presentia: nullus enim etiam ex hæreticis dubitat, quin panis non recedat, nisi propter Christi presentiam. Sed illa testimonia referemus disputatione 10.

Septimum caput confici potest ex illis locis, in quibus Patres laborant, vt fidelibus persuadeant, in hoc mysterio non esse credendum sensibus, sed Christi verbis. Et hunc articulum proponunt tanquam creditu difficultum, & ideo Christi auctoritatem & omnipotentiam exaggerant, & magnam fidem requirunt. At vero si hic esset Christus tantum vt in signo, non esset maior difficultas in hoc sacramento, quam in Baptismo & aliis: ita loquuntur Hilarius, Cyrillus, Damascenus, & Augustinus locis sæpe citatis, & iterum Augu. serm. 2. de verbis Apostoli, & lib. 3. de Trinit. cap. 10. optimè Chrysof. homil. 51. & 53. in Matthæum, & 60. ad populum: & Sanct. Ephrem. lib. de non scrutanda Dei natura, c. 5. vbi sic inquit. Noli scrutari inscrutabilia, nam si ista curiosè rimaris, non iam fidelis vocaberis, sed curiosus: esto fidelis & innocens: participa immaculato corpore Domini, fide plenissima, certus, quod agnum ipsum integrum comedis.

Octauum caput præcedenti addi potest ex illis locis, in quibus Sancti Patres ex veritate huius mysterij alia mysteria nostræ religionis cõfirmant. Sic Irene. lib. 4. c. 34. probat. Christum esse verum Deum, quia potuit conuertere panem in corpus suum: & c. 37. ex eodem mysterio disputat contra negantes resurrectionem. Chryf. hom. 83. in Matt. ex veritate huius sacramenti conuictat eos, qui veram Christi carnem negant. Eodem modo colligit Leo Papa, epist. 23. vbi grauisimè docet veritatem corporis & sanguinis Christi, inter communis sacramenti fidei, tam vnanimè Ecclesie consensu teneri, vt etiam in linguis infantium versetur. Hilarius deniq. li. 8. de Trinit. ex illo modo, quo Christus, medio hoc sacramento, in nobis est, & nos in ipso, reali quadam, & (vt ipse loquitur) naturali conjunctione, explicat, & cõfirmat, circuminfectionem diuinarum personarum inter se.

Nonum caput addere possumus ex illis locis, in quibus Patres disputant de sacrificio in cruce non solum panem & vinum, significantia passionem Christi, sed ipsummet corpus & sanguinem Christi offerri, & in cruce immolari dicunt. De qua re, quemadmodum inferius suo loco ex pfecto tractaturi sumus, pauca Sanctorum loca assignabimus: docet ergo expresse hanc veritatem Cyrill. Alex. in declaratione anathematis. 11. Au. concio. 1. in Pf. 33. & Pf. 38. Christus offertur in terris, quando corpus eius offertur. Chryf. supra & hom. 17. ad Hebr. in fine, ante partem moralem, & hom. 2. in secundum ad Tim. vbi dicit eandem esse rem oblatam in cruce, & in altari Greg. Mag. 4. dialog. c. 58. Greg. Niss. orat. 1. in tertium diem Pasche: Arcano (inquit) sacrificij modo idem est Sacerdos, & agnus: & infra: peracto sacrificio corpus suum, & sanguinem familiaribus dedit. Chryf. & Euthym. dum exponunt illa verba Ioan. 17. Pro eis sanctifico me ipsum) de hoc in cruce sacrificio, i. pro eis iam sacrificio me ipsum. Duo vero sunt notanda præcipua testimonia: alterum est D. Andreæ Apostoli, qui, vt in eius vita, ab Ecclesia recepta legimus, cum tyranno ad sacrificandum idolis induceretur, respondit. Ego quotidie sacrificio Deo agnū immaculatum: & cum carnes illius agni à populo vere fuerint manducate, agnus integer perseverat. & infra dixit: mysterium hoc non, nisi fide comparari posse. Alterum est Martialis Apostolorum discipuli, epi. ad Burdegal. c. 3. vbi longa disputatione ostendit eandem rem in hoc sacrificio offerri, quæ in cruce oblata fuit. Quibus addi potest Optatus Mileuit. l. 6. contra Parmen. dicēs, Quid est altare, nisi sedes corporis, & sanguinis Christi? & infra. Illi iniecerunt manus, i. Christo, in cruce, à vobis percussus est in altari, & infra.

Xx 3 Hocim-

Chryf.

Ambr.

Chryf.

Ambr.

Augu.

Ambr.

Augustinus. Chrysofom.

Ephrem.

Ireneus.

Chrysof.

Leo.

Hilarius.

Cyri.

Augu.

Chryf.

Gregor.

Greg. Niss.

Euthym.

Andr.

Optat.

Hoc in mane facinus geminatum est, dum fregistis calices, Christi sanguinis portatores. Testimonium etiam Theodoti Ancirani supra citatum, egregium est ad hanc rem confirmandam.

Theodotus.

Decimum ac postremum caput institui posset ex modo, quo Sancti de hoc sacramento loquuntur: & ex epithetis, quibus hoc sacramentum ornant; quae non nisi propter praesentiam Christi illi adaptari possunt, ex quibus multa retulimus cum de nominibus huius sacramenti ageremus: & adiungi potest modus loquendi Concilii Chalced. act. 3. in damnatione Dioscoridi. ubi priuari dicitur communione Terribilis mysterij. Eodem modo loquitur Dionys. c. 3. de Eccl. Hier. & Chryl. lib. 3. de sacerdotio, ubi vocat hoc horredum mysterium. Ad di potest Cypr. ser. de caena Domini, ubi hunc vocat, inconfumptibilem cibum & Martialis supra, qui vocat panem viuum, & Orig. hom. 5. in diuersos, qui vocat Sanctum & incorruptum cibum, quem cum homo sumit Dominus ad ipsum ingreditur.

Com. Chal.

Dionys.

Chryso.

Cyprian.

Origenes.

Obiectio. 1.

Contra hanc autem veritatem multa congerunt haeretici, tam ex Patribus Latinis, quam ex Graecis. Primo tamen ac praecipue de D. Augusti. autoritate gloriuntur, in quo haec potissimum loca videntur difficilia. Primus supra explicatus est. Continetur enim in illis verbis tract. 25. in Ioan. Quid parās dentem & ventrem ubi explicuimus illa verba, non hoc corpus, sed videtis, manducaturi estis. Secundus est ex l. 3. de doct. Christ. c. 16. ubi inter figuratas locutiones ponit illam, Nisi manducaueritis, ne flagitium continere videatur, quia etiam supra sect. 2. explicatus est. Tertius fit ex enarratione Pl. 3. in principio, ubi dicit, Dominum adhibuisse Iudam ad convivium, in quo corporis & sanguinis sui figuram commendauit, & tradidit discipulis. Quartus in li. contra Adimant. Manich. c. 12. ubi tractans verba Deut. 12. Non comedes sanguinem animalium: sanguis enim eorum pro anima est. Dicit; ibi signum nomine signati appellari, & subdit. Non dubitauit Dominus dicere. Hoc est corpus meum: cum signum daret corporis sui. Quintus ex epi. 23. ubi cum dixisset, sepe signa nominibus rerum, quas significant, appellari, subdit. Sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, & sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est, ita sacramentum fidei, fides est, sicut ergo Baptismus reuera non est fides, sed signum fidei, ita indicat hoc sacramentum vere non esse corpus Christi, sed secundum quendam modum, signum eius. Sextus sumi potest ex li. de Catachismo, c. 4. ubi sic inquit, Cum mane illud venerit, & vesperum non habebit, non iam offerretur sacrificium imaginis agni, sed ipse agnus, &c. Sentit ergo nunc tantum offerri sacrificium imaginis agni. Vltimus denique est ex 11. de Ciuit. c. 20. & 25. ubi sentit, haereticos & schismaticos non manducare vere corpus Christi, sed tantum sacramentum eius, quia non manducat corpus Christi, qui non est in corpore Christi; quia vere manducare est in Christo manere, & Christum in ipso.

2. ex Cypr.

Secundus ex Cypr. ser. de Caena Domini in fine dicens. Haec quoties agimus non dentes ad mordendum accuimus, sed fide sincera panem Sanctum frangimus, & partimur, & in ser. de Vnctio. Christum. Dedit inquit Dominus noster in mensa, in qua vltimum cum Apostolis participauit conuiuui, propriis manibus panem, & vinum, in cruce vero manibus militum, corpus tradidit vulnerandum, ut in Apostolis secretius impressa sincera veritas, ac vera sinceritas, exponeret gestibus, quomodo vinum, & panis caro esset & sanguis, quibus rationibus causae effectibus conuenirent, & diuersa nomina vel species ad unam reduceretur essentiam, & significantiam, & significata eiusdem vocabulis censerentur.

3. ex Hieron.

Tertius obicitur, Hieron. lib. 2. contra Iouinian. dicens, in typo sanguinis sui non aquam obtulit, sed vinum.

4. ex Ambros.

Quartus, Ambros. lib. 1. officio. c. 48. ubi dicit: hic offerri Christum in imagine, in caelo in veritate, & li.

de his, qui initiantur, c. 8. & 11. ubi dicit, Eucharistiam esse verum panem, & corpus Christi significare.

Quintus, Tertul. lib. 1. contra Marcion. c. 14. Panem inquit quo ipsum corpus suum representat. Alia eius loca supra tractata sunt circa verba institutionis. Sextus, Clem. libr. 5. confit. cap. 13. Cum dedisset nobis antitypa mysteria pretiosi corporis, & sanguinis sui.

Septimus, Gelas. lib. contra Eutyc. in fine, imago inquit & similitudo corporis, & sanguinis Christi, in actione mysteriorum celebrantur.

Octauus, ex Gracis Greg. Naz. Orat. 11. ad funus sororis Gorg. sacramentum, quod in altari referuntur, vocat, antitypon pretiosi corporis & sanguinis Domini.

Nonus, Chryl. Psal. 22. Mensam inquit istam preparauit seruis suis, ut quotidie in similitudinem corporis, & sanguinis sui, panem & vinum secundum ordinem Melchisedech nobis ostenderet in sacramento, & alia familia loca difficilia sunt in opere imperfecto hom. 11. 17. & 19.

Decimus, Orig. Dialog. 3. contra Megethium Marcionistam in fine 2. parte sub titulo de Christo homine vero ex Maria, sic inquit, Si, ut loquuntur isti, carne desitutus erat, & ex anguis, cuiusmodi carnis, cuius corporis, & qualis tandem sanguinis, signa & imagines, & panem, & poculum ministravit, iussitque per illa discipulos sui memoriam renouare: Et super 15. c. Matth. vocat hunc panem, Corpus symbolicum, & typicum, & negat malos manducare corpus Christi.

Vndecimus, Theodor. Dialog. 2. post medium, sic 11. Theodor. inquit, Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt a sua natura, manent enim in propria substantia, & figura & forma, & intelliguntur esse, quae facta sunt.

Duodecimus, Euseb. lib. 5. de demonstr. c. 3. Sacerdotes inquit spirituales, secundum Ecclesiasticas functiones, sacerdotij munus obeunt, vino ac pane corporis illius, ac salutaris sanguinis mysteria representant. Quae sane mysteria tanto ante Melchisedech spiritu diuino cognouerunt, & rerum futurarum imaginibus usus fuerat. Et lib. 8. demonstr. in fine, sic inquit, Rursus enim ipse dispensationis diuinae notas suis discipulis tradidit, dum hortatur, ut sui ipsius corporis imaginem representent: & infra: ut panem sui corporis nota vterentur, instituit.

Vthae & similia loca intelligantur, obseruandum primo est, nullum istorum Patrum negasse vnquam praesentiam corporis Christi in hoc sacramento, neque quae addidisse vnquam dictionem exclusiuam; videlicet esse tantum figuram, signum, seu panem, aut sola fide, solumque spiritualiter manducari, aut quippiam simile, quod veritati corporis, & sanguinis Domini repugnet: quin potius aliis locis fere omnes illi aperitissime eam testati sunt, ut vidimus, solum ergo esse potest difficultas, vel, quia interdum explicant figurate, vel spiritualiter, quae dicuntur de usu huius sacramenti, quo diximus supra tractantes locum lo. 6. Vel, quia interdum vocant hoc sacramentum, panem & vinum, de quo dicemus circa art. 2. D. Thom. in disput. 2. quia hoc non spectat ad quaestionem de praesentia corporis Christi, sed ad quaestionem de absentia panis, quae diuersa est & ibi tractanda. Vel denique, quia interdum vocant hoc sacramentum signum, figuram, antitypum, in quibus vocabitur tota difficultas eorum testimoniorum, quae adducta sunt, praecipue versatur.

Secundo notandum est, hoc sacramentum ita continere Christum inuisibiliter sub specie visibili, vel simul sit signum eius, & representet ipsum, vel pro nobis crucifixum, vel prout in caelo exiit, quatenus hoc sacramentum pignus est gloriae, vel prout vnitur corpori suo mystico: sicut ergo priori ratione hoc sacramentum vere dicitur corpus Christi.

Christi, & veritas, ita posteriori ratione dici potest figuram, & figuram nam hoc ipso, quod sacramentum est, sacrum signum esse necesse est, ita notavit Damasc. l. 4. de fide, c. 14. in victimis verbis, dicens, Figure porro rerum futurarum idecirco dicuntur, non quod non vere corpus, & sanguis Christi sint, sed quod nunc quidem divinitatis Christi per ea, participes efficiantur, tunc aut intellectuali modo, ac per solum aspectum. Ans. Et l. de div. offic. apud Claud. rep. 3. c. 4. his verbis Christi benedictione panis sit corpus eius: non significative tantum, sed etiam substantiive: neq. n. ab hoc sacramento figuram omnino excludimus, neque eam sola admittimus: veritas est, quia Christi corpus est: figura est, quia immolatur, & incorruptibile habetur. Hoc ipsum notarunt etiam Lanfr. contra Bereng. Paschal. in ep. de corpore, & sanguine Dni, Guit. man. l. 2. & Alger. l. 1. de hoc sacramento, vt eidem objectionibus hereticorum satisfacerent. Adde ex Ans. & ex dictis supra disput. 2. licet in hoc sacramento vere, & substantialiter contineatur corpus Christi, tamen in modo existendi differre a modo connaturali corporibus, quo ipsemet Christus in propria specie existit. Et ideo, quoad hunc modum, potest dici Christus existere in hoc sacramento, vel in corporaliter, aut inuisibiliter, aut minus proprie, seu figurate. Et sic etiam voces, que significant Christum esse hic quodammodo dicuntur interdum continere figuram: quia, quoad hunc modum, alium sensum habent, quam seculo hoc mysterio, haberent. Et hac sola observatione facillime respondetur omnibus dictis locutionibus: applicando illam, prout locus aut contextus postulerit, vt tamen res sit facillior, oportet tertiam observationem præmittere.

Tercio obseruandum est, Patres non posse in vno loco omnia dicere, & explicare. Si ergo in omnibus locis explicassent solam rationem signi, vel figuram, & veritatem vbiq. tacuissent, posset ex illis nonnullum sumi argumentum, tamen, cum in hoc sacramento vtrumq. reperitur, veritas, & figura, quamuis alicubi vbi fuerint voce, vel appellatione figuram, nullum argumentum est, negasse veritatem, quam frequentissime & euidentissime aliis locis docuerunt. Præsertim, quia cum nondum esset nata, hæc hæresis simpliciter, & sine suspitione calumnia loquebantur, quod in omni materia est diligentissime obseruandum, in lectione Sanctorum, vt in simili de Chrysolomo loquens, notavit Augustinus libro 1. contra Iulianum, cap. 2. his verbis: Disputans in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali questione nullus pullabatur, vobis nondum litigantibus securus loquebatur. Quæ verba tum ad alios Patres, tum maxime ad Augustinum ipsum in præfenti que est accommodare possumus. Adde etiã Patres in primitiua Ecclesia, consilio quãdo agebãt de sacramento, obscure fuisse locutos, tegendo mysterium propter infideles, & gentiles, & ideo libenter vfos fuisse nominibus symbolicis, vnde Theodor. dialog. 2. post medium, non oportet inquit, aperte dicere, est n. verisimile adesse aliquos non imitatos, & August. ser. 2. de verbis Apost. & alii cum loquuntur de hoc sacramento, sæpe interponunt hæc verba: Norunt fideles, vel similia, quibus satis indicant maius latere mysterium in hoc sacramento, quam nudam significationem.

Ex his ergo facile possunt omnia citata testimonia intelligi, maioris tamen claritatis gratia, breuiter per singula discurremus. Primus igitur Augustini locus supra tractatus est, similiter & secundus. Quibus addendum est, regulam illam, quam loco illo de doctrina Christiana tradit, scilicet, Quando Scripturæ præceptum videtur flagitium continere, figurate esse intelligendum, nec esse ita sumendum, vt pro non vniuersumq. arbitrio ita liceat interpretari, quando n. Abraham præceptum fuit, vt illum occideret, vel Osee, vt mulierem fornicariam acciperet, possent quidem

hæc homini videri flagitia, & tamen non propterea metaphorice, sed proprie intelligenda sunt. vnde idem Aug. lib. 2. contra aduersar. leg. & Proph. c. 9. Secundum fidei regulam (inquit) proprietates verborum seruanda est. Metaphora vero, vel figura solum ex ipsamet Scriptura, vel ex sano Ecclesiæ sensu, quantum ad vitandum apparens flagitium fuerit necessaria, adhibenda est, & ita in præfenti mysterio rei proprietates retinenda est, figura vero dicitur esse quoad modum, quia Christus non in propria specie, sed sub aliena sumendus est, & ita posset eadem Augustini regula contra hereticos retorqueri, quia vbi sine flagitio, vel absurditate seruari potest proprietates verborum, retinenda est, sed Christum esse præsentem in hoc sacramento, nullum est flagitium, nihilque absurditatis continet, sed magnum Dei mysterium ac beneficium: ergo proprie intelligendum est. Adde etiam interdum dici, Scripturam figurate loqui, non quoad verba, sed quoad rem, quia nimirum in re ipsa latet mysterium, non quia sit figura, seu metaphora in verbis, sicut cum ait Paulus ad Galat. 4. per allegoriam dictum esse, quod Abraham duos filios habuit, non excludit fidem historiam, sed dicit in illa contineri mysterium: Sic ergo præfentia Christi in hoc sacramento, licet vera sit & realis, tamen, quia simul est sacramentalis & significatiua ac occulta, ideo etiam figuralis dici potest. Ad tertium ex Psalmo tertio respondetur primum, Christum dando hoc sacramentum, dedisse signum corporis sui, non tamen vacuum, sed plenum eodem corpore, dedit enim sacramentum sensibile, quod reuera signum est corporis in eo contenti, quod etiam est signum vel figura sui ipsius in propria specie existentis, vox enim figura, vt dixi, non semper excludit veritatem, sicut ad Hebr. 1. dicitur Filius figura substantiæ Patris, non quia veritate substantiæ careat, sed quia per illam Patrem representat. Sic igitur hoc mysterium dicitur figura Christi, non quia veritate illius careat, sed, quia illum in propria specie, & passionem eius representat. Quarum testimonium eundem omnino habet sensum. Atq. idem iudicium est de quinto, illa enim particula (secundum quendam modum) non excludit veritatem præfentiam, sed excludit naturalem modum existendi, quam solent habere res, cū absolute & simpliciter existere dicuntur, sicut ibidem dicit, quoti die immolari in sacramento secundum quendam modum, quia reuera licet quoti die sacrificetur, non tamen illo modo cruento, quem immolatio præ se ferre videtur, qui modus in hoc sacrificio quotidiano representatur, & ita hoc mysterium, & est verum sacrificiũ & est sacrificium passionis Christi, secundum quendam modum, scilicet representatiuum: sic ergo hoc sacramentum, licet sit verũ Corpus Christi, dicitur tamen esse illud, secundum quendam modum, per comparationem ad idem Corpus, in propria specie existens, vel quia est illud representatiue, representat enim Corpus in cruce pendens, vel quia non illo modo hic existit. Aliter inquit Alger. lib. 1. c. 5. Augustinum loqui de ipsis speciebus sacramentalibus, quæ quodammodo dici possunt Christi Corpus, quia illud continent ac representant, sicut ibidem ait, Baptismum dici fidem, quia illam significat. Vnde Paschasius epistola, de Corpore & Sanguine Domini, hoc eodem testimonio veritatem confirmari dicit, quia sicut Baptismus, quamuis dicatur esse fides, secundum quendam modum, non excludit existentiam fidei in paruulis, sed potius significat habere illam aliter, quam soleant adulti, scilicet per sacramentum & non per proprium actum, ita cum dicitur hoc sacramentum visibile esse quodammodo corpus, quia illud significat, non excluditur corporis veritas. Ad sextum eadem est responsio, quæ ad præcedentia, ibi enim verbis satis peripicuis August. dicit, nos comedere agnum per noctem huius sæculi, & quoti die illum immolare, eiusq. sanguinem bibere.

Augustini

Galat. 4.

Hebræi 1.

Algerius

Paschasius



lerunt, isti quotidie corpus eius laceflunt? Deinde de resurrectione carnis c.9. Caro, inquit, corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur. Deinde l. 2. ad vxorem, c. 5. negat Eucharistiam esse eum panem, qui est in communi vlti hominum.

Ad Clementem partim ex supra dictis patet, partim ex dicendis. Et Gelahij testimonium (quoniam vt infra dicam, ille liber nec Gelahij Papae censetur, neq; in auctoritate habeatur) recte exponi potest in actione mysteriorum celebrari imaginem, & similitudinem corporis & sanguinis Christi pro nobis in passione effusi, quia hoc sacrificium vere est representatio illius, hinc autem non excluditur veritas huius sacramenti, vt saepe dictum est.

Ad Gregorium Nazianzenum de illa voce antitypa, non est vna omnium sententia, quidam existimat antiquos Patres, praesertim Graecos vocasse panem, & vinum, antitypa, ante consecrationem; quia tunc significant corpus & sanguinem Domini in eis consecranda, non vero post consecrationem: Ita exponitur Basil. in citato loco septimae Synodi, quam expositionem approbat Damasc. lib. 4. c. 24. & Euthy. super Matthaeum 26. & vt supra vidimus, ita videtur loqui Amb. lib. 4. de sacra. c. 5. cum panem & vinum figuram vocat. At vero recentiores Scriptores recte considerant, expositionem hanc non posse omnibus locis sanctorum Patrum accommodari. Nazian. enim in citato loco reliquias sacramenti in altari consecratas, antitypa vocat, & Basil. in Liturgia post consecrationem ea voce vitur. Respondet ergo Turrianus circa dictum Clementis locum antitypa non idem esse, quod signa, seu typi, sed potius significare id, quod signis, seu typis veteribus succedit, quia illa vim habet praepositio illa Graeca, anti, id est, praeterita quam expositionem, quae ingeniosa est, haec vox potius exprimit veritatem huius sacramenti, quia significat, loco antiquarum vmbrae nobis datum esse. Negari vero non potest, quin nonnunquam nomen typi, inueniatur in Patribus, vt ex Hieronymo paulo ante citati & idem reperitur apud Chrysostomum hom. 16. in ad Hebraeos, & Nazian. Orat. 17. in fine: vox autem typus, illam expositionem non admittit, quare probabile valde existimo vocem antitypa, in eadem significatione vsurpari loco, scilicet, vocis, typi, seu figurae. Vnde dicendum est, sicut de aliis vocibus supra diximus, hoc sacramentum esse simul veritatem & imaginem Christi, in propria specie existentis, ac pro nobis passum, vel etiam species dici antitypa, quia representant corpus, quod continent, & quod hic fit sensus Nazianzeni, aperte constat ex eadem oratione, vbi dicit, Christum Dominum super altare contineri, & ibi adorari, & Oratio de Pascha. quae est 42. Sine pudore (inquit) ac dubitatione corpus ede, & sanguinem bibe, si modo vitae desiderio teneris, neq; sermonibus, qui sunt de carne, fidem abrogans, neq; ad eos, qui de passione habentur, impingens.

August.

Respondetur ad locum Cyp.

Ad Hieron. & Ambros.

Respondetur ad Tertull.

Tertull.

re, cum ergo vocat sacrificium imaginis agni, aperte comparat cum Christo existente in caelo sub propria specie, cuius hoc sacramentum pignus & imago est, quauis etiam sit veritas, agnum in se continens. Vltimum testimonium nullam habet difficultatem, loquitur enim de manducatione Corporis Christi, quo ad effectum eius, seu quoad vniouem, cum corpore mystico, vt latius infra dicturi sumus, agentes de vsu huius sacramenti, quae omnia esse ad mentem Aug. nulli potest esse dubium, qui attente & ipsa loca, & plura alia, in quibus veritatem Catholicam expresse docet, considerauerit. Adduximus multa supra tractantes locum Iohan. 6. & verba institutionis, & in hac sectione, quibus addi possunt testimonia ex tract. 84. in Io. Quae mensa est potentis, nisi vnde sumitur Corpus & sanguis eius, qui animam suam posuit pro nobis? & 12. con. Faust. c. 10. Habet magnam vocem Christi sanguis in terra cum eo accepto, ab omnibus gentibus responderetur, Amen. Haec est clara vox Sanguinis, quae Sanguis ipse exprimit ex ore fidelium, eodem sanguine redemptorum, & c. 20. Nunc bibitur, quod de latere Christi manauit & l. 2. de peccato. meritis. & remissione, c. 26. vbi panem Catechumenorum negat esse Corpus Christi, quamuis sit sanctificatus, & aliquo modo sacramentum, atq; adeo signum corporis. Tandem ex enarratione in Psal. 93. fuderunt pretium suum, vt biberent precium suum, loquitur autem de Sanguine Christi fuso ab hominibus, & huiusmodi familia passim in Augustino reperitur.

Ad Cyprianum responderetur, in priori loco solum agere de dispositione necessaria ad fructum huius sacramenti suscipiendum, quem ait, non ad corpus, sed ad animam praecipue pertinere. In posteriori autem loco nihil est, quod huic veritati obstat, nisi fortasse, quod sacramentum hoc panem appellet, distinguens illud a corpore in passione tradita. Sed hoc nihil obstat, distinguunt enim modum tradendi in cruce corpus suum in specie visibili, & in hoc sacramentum per modum cibi & panis, quae infra dicit esse carnem Christi, & sic inquit diuersa nomina ad eandem reduci essentiam, seu eandem rem indicare, & significantia ac significata eisdem vocabulis censerentur, quia & caro panis dicitur, eo, quod per species panis significatur, & Eucharistia caro dicitur, quia carnem in se continet & significat.

Ad Hieronymum & Ambrosium responsio constat ex dictis, & ex his quae statim dicemus, de voce, antitypa, nam de vero sensu horum Patrum cui denter ex aliis locis constat, vt saepius visum est in superioribus.

Ad Tertullianum, quod in eo difficile poterat videri supra tractando verba institutionis, explicatum est. Locus autem citatus ex primo contra Marcionem in vno sensu non est nobis contrarius, in alio vero etiam nobis fauet, nam licet fateamur, Christum representasse, id est, significasse corpus suum, vt erat in propria specie dando hoc sacramentum, non sequitur dedisse nudum signum, absque re, id est, sine corpore suo in illo contento. Alio vero modo, vt supra diximus (representare) idem est, quod rem praesentem facere, ita dicitur Christum representasse corpus suum in pane, quia illud sub speciebus panis, praesens efficit, & hanc esse Tertullianam phrasin, late ostendit Pamelius eo loco, sunt autem quam plurima alia Tertulliani testimonia, in quibus veram, & antiquam huius sacramenti fidem ostendit, quae Pamelius congerit lib. 4. contra Marcionem, capite 40. indicabo autem vnum vel alterum ex apertioribus; libro igitur de idololatria, capite septimo inuehitur in eum Christianum, qui audet eas manus admouere corpori Dni, quae demoniis corpora conferunt, agit contra illos, qui post idololatriam lapsum, ad communionem accedere audebant, corpus Dni, prout tunc moris erat, in manibus sumentes. Vnde subdit. Proh scelus semel Iudaei Christo manus intu-

Ad loca Chrysostomi vno verbo respondere possumus, omnia illa aliena esse, & suspecta fidei, de commentariis enim super Psalmos omnes eruditus sentit non esse Chrysostomi, quamuis verba ibi citata supra dictam expositionem admittant: similiter Imperfectum opus Marthae non est Chrysostomi, & varius est erroribus refertus, vnde creditur ab haereticis corruptus, legatur Sixt. Sen. l. 4. Bibli. & lib. 5. annot. 164.

Ad Origenem idem fere dicendum est, nam in libris indubitatis Origenis habemus firma testimonia veritatis, quae in superioribus tractata sunt: illa vero, quae ab aduersariis adducuntur, ex lib. incertis sunt, Deinde priora verba exponi possunt facile, sicut superiora, ex hoc enim sacramento probat, in Christo, esse veram carnem, cuius hoc sacramentum est sacrum signum, non tamen vacuum, sed ipsam carnem inuisibili modo continens. In posteriori autem loco non videtur esse sermo Origenis de Eucharistia, sed de pane

panem benedicto Catechumentorum, de quo Augusti-
supra citatus meminit, vel certe quamuis de Eucha-
ristia loquatur, intelligit in esse corpus symbolicum
seu typicum, vel ratione specierum, vel quia corpus il-
lud mirabili aut inuisibili modo ibi continetur. Quod
vero de impiis dicit, intelligitur quoad fructum, &
spiritualem manducationem, lege Sixtum Senen. li.
6. annot. 66.

M. Theodor. Ad Theodoretum respondetur, de vera eius san-
tencia ex aliis locis satis constare. praesertim q. 27. in
Exod. & in hoc eodem loco, quem tractamus paulo
superius constat credere, in mysteriis se participa-
re corpus & sanguinem Domini. Quod vero postea
subdit de signis manentibus de sensibilibus acciden-
tibus intelligit, quae manent in propria entitate seu
natura, quam substantia vocat: in priori figura, &
forma, vt videri & tangi possint: Intelliguntur autem
(inquit) ea esse quae facta sunt, & creduntur, & adorantur,
vt quae illa sint, quae creduntur. Quibus verbis eu-
uidetur docet veritatem praesentiae: Si quid vero est
obscuritas in his verbis, solum est, quia indicat vi-
detur manere substantia panis: Sed de hoc dicemus
infra in propria disputatione. de hac re: vbi tum ex hoc
loco, tum ex Dialogo 1. ostendemus, eum non sensisse
manere panem, quoad substantiam, sed tantum, quo
ad accidentia.

M. Theodor. Ad loca Eusebii respondendum est, sicut ad superi-
ora, scilicet in hoc sacramento representari mysterium
Passionis Christi, quam ibi, dispensationem di-
uinam, vocat. Eodem modo appellat actionem huius
sacramenti imaginem, seu notam corporis Christi,
crucifixi, scilicet, & passio pro nobis.

SECTIO V.

*Vtrum ex diuinis miraculis satis possit haec Christi praesentia
comprobari.*

D. Oportet *memorari* *panem.* *D. Oportet* *memorari* *panem.* *D. Oportet* *memorari* *panem.*
Dicitur D. Oportet Thomas supra, quae. 29. art. 1. ad 2.
duplex esse miraculorum genus, quaedam mira-
cula sunt, vt credantur, alia, vt ad credendum iuuent,
& sine testimoniis credibilitatis. Priora solent esse
occulta, quia sunt ad exercendam fidem, & ad meri-
tum eius. Posteriora oportet, vt sint publica & nota,
vt ad credendum inducant. Vtrumque autem mira-
culorum genus in hoc sacramento inuentum est, &
vtrumque potest realiter praesentia confirmari, sed diuer-
so modo, vt patebit. Nominem autem miraculi, ne sit
in voce aequiuocatio, intelligimus omnem effectum
diuinam omnipotentiam, supra omnes leges naturae fa-
ctum, siue extraordinarie fiat, siue ex aliqua ordina-
ria potestate supernaturali hominibus data: cõpre-
hendimus etiam singularia aliqua beneficia, specia-
liter à Deo concessa ob fidem, & reuerentiam huius
sacramenti.

Primo igitur, quaedam miracula interueniunt in
hoc sacramento, quauis per se, vt ipsum videlicet fiat,
& haec proprie instituta sunt, vt credantur. Vnde ex
illis non potest probari praesentia, nam potius illo-
rum fides in fide realiter praesentiae Christi in sacramen-
to continetur, & e conuerso, & ideo, qui vnum cre-
diderit, necesse est, vt aliud credat. Potest tamen va-
lere hic argumentandi locus, si ex sanctis Patribus
ostenderimus, huiusmodi miracula, in hoc sacramen-
to cõsuetudine interuenire. Solent autem numerari à
quibusdam decem, ab aliis vnde decem, vel duodecim,
vel etiam plura miracula, omnia tamen ad quatuor
capita reducuntur. Primum est, quod vnicui verbo
cantarum transmutatio fiat, vt notauit Ambrosius
in de myst. cap. 2. & sepe alias, de quo infra disputat.
2. secundum est, quod accidentia manent sine sub-
stantia panis vel vini, & aliud sit, quod visus, gustus,
& tactus referant, aliud, quod in vera existit, vt dixit
Cyril. Hierosol. Catech. 4. Chrysol. hom. 114. 57. in
Mattheum, de quo plura infra, disputat. 10. Tertium
quod Corpus Christi integrum, & perfectum cum

rota sua quantitate sub minima quantitate panis cõ-
tineatur, sic enim dixit Epiphanius in Anch. Christus
vere est in hoc sacramento, cum non sit illi aequale in
quantitate, nec simile est figura. Sed de hoc latius in-
fra q. seq. disp. 12. Quartum demum quod idem corpus
in diuersis locis existat. Quod miraculum variis mo-
dis explicant Patres, Chryl. Hom. 17. in ad Hebr. 9. in
multis locis offeratur Christus, hic plenus existens,
& illic plenus, & hom. 83. in Mat. quod idem seipsum
comedat, suumque sanguinem bibat, hom. vero 2. ad
Pop. & hom. 3. ad Eph. in hoc ponit miraculum, quod idem
Christus, qui caelum ascendit, nobiscum manerit in
terra, Elias, inquit, ascendens, pallium discipulo dimi-
sit: filius autem Dei ascendens nobis suam carnem dimi-
sit; sed Elias quidem exurus, Christus autem nobis
suam carnem reliquit, & ipsam habens ascendit. Hi-
er. ep. 150. quae. 2. quod idem sit conuiuia, & conui-
uium, comedens, & quod comeditur. Augu. Psal. 33.
quod idem portet seipsum in manibus suis. Item ser-
mone 2. de verbis Apostoli: & in Hom. cita. à Beda 1.
ad Cor. 10. & Cypr. ser. de Cœna Domini, quod idem
cibus totus sumatur à multis, & totus à singulis, &
semper integer perseueret, quod ex Addrea Aposto-
la supra etiam retulimus. Bernardus sermone vltimo
de Cœna Domini, quod idem corpus simul in caelo
& in terris existat. In his autem omnibus nullum ef-
ferit miraculum, si totum negotium fieret, in solo si-
gno, quod enim miraculum est, alicubi esse realiter,
& alibi in signo, aut manducare seipsum in imagine,
& sic de aliis.

Secundo, ad comprobendam hanc fidem, facta
sunt à Deo magna miracula & concessa insignia, &
singularia beneficia, quae recenter Guidmund. lib. 3. Abbas
de hoc sacramento ad finem, & Paschal. Lib. de cor-
pore & sanguine Domini, cap. 12. Garetius 4. & 5.
Classe suis lib. Breuiter etiam indicabo grauiora Pa-
trum testimonia, in quibus huiusmodi beneficia di-
uina, vel miracula continentur. Ambrosius, oratio-
ne de fratre suo Satyro, & Nazian. orat. de sua forore
Gorgor. diuina beneficia referunt fide & deuotione
huius sacramenti collata. Prosper in dimidio tem-
poris, capite 6. refert puellam à potestate demonis
liberatam. Gregorius 2. dialogo, cap. 24. refert San-
ctum Benedictum applicuisse corpus Domini euidã
corpori defuncto, quod semel acriterum ab ipso se-
pulchro, diuina permissione fuerat expulsum, vt am-
plius non expelleretur, quod & factum est, & lib. 3.
cap. 3. refert, Sanctum Agapytum loquendi faculta-
tem cuidam restituisse, dato illi corpore Domini.
Ioan. Diaconus in vita eiusdem Gregorii refert,
mutatam esse Eucharistiam in lapidem in ore cuius-
dam, qui de illius veritate cum illam acciperet, du-
bitauit. Et idem refert Nicepho. lib. 13. hist. cap. 7.
accidisse mulieri, quae haeretici Macedonii infecta ad
hoc sacramentum accessit. Idem Sozom. lib. 8. c. 7.
alia legi possunt in citatis authoribus, solum sunt no-
tanda verba Bernardi, quae in vita eius lib. 2. cap. 7.
leguntur. Cum enim ad expellendum demonem cor-
pus Domini patenam superpositum, capiti eiusdem
mulieris admouisset, dixit: Adest, inique spiritus, tu-
dex tuus, adest summa potestas, adest ille, qui pro no-
stra salute passus dixit. Nunc princeps huius mun-
di eicietur foras, & in hac fide praecipiens illi exire,
coactus est obedire. Huc etiam spectant varia visio-
nes & apparitiones, quae de hoc sacramento leguntur,
in quibus Christus sub aliqua specie visibili apparui-
sse dicitur, alterutra extausa, vt inquit Alg. 1. de hoc
sacramento, c. 3. scilicet, vel ad confirmandos in fide,
& proteruos deterrandos, vt in vita S. Malachiae re-
fert Bernard. & in vita S. Gregorii, Ioann. Diaconus
l. 2. c. 4. vel vt ipsum amantes, & desiderantes consa-
laretur, vt Paschalius refert l. de corpore & sanguine
Domini, c. 4. & plura refert Gareti. supra.

Dices, potuisse Christum prestare haec beneficia
per hoc sacramentum, etiam si in illo praesens non
adesset,

Epiphani.

Chryl.

Hieron.
Augu.

Cyprian.

Bernard.

Guidmund.
Paschal.
Abbas
Carena.

Ambros.
Nazian.

Prosper.

Gregor.

Ioan. Diacon.

Sozom.

Paschalius.

Obiectio.
Solutio.

adesset. Respondetur, non colligi eius praesentiam ex folis operibus, quatenus miraculosa sunt, sed quatenus hunc ex fide huius praesentiae, & veritatis, aut directe in eiusdem veritatis testimonium, & confirmationem, talia enim fuisse praedicta miracula constat ex praedictis authoribus tam aperte, vt, nisi impudentissime, in dubium reuocari non possint. Postremo in confirmationem huius veritatis afferre possumus prodigia, quae in vitionem eorum, qui indigne ad hoc sacramentum accedunt, vel alias irreuerenter eo vti sunt, Deus est operatus. In primis enim Paul. i. ad Cor. 10. ppter abulum huius sacramenti dicit multos obiisse, & variasq; aegritudines passos esse. Deinde Cyp. in l. de laps. varia huiusmodi exempla refert, & signa diuinitus facta: & inter alia notanda sunt illa verba. Sanctificatum in Dni sanguine potum de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Dni, tanta maiestas: & illa, Documento vnius ostensum est recedere Dnm, cum negatur, quia, dum quidam indigne accederet, cinerem loco Eucharistiae inuenit. Optatus vero l. 2. con. Parmen. refert, quosdam haereticos Eucharistiam suis canibus proiecisse, canes aut in dominos suos insurrexisse, eosq; dilaniasse, veluti vindicantes iniuriam corpori Domini factam.

1. Corint. 10.

Cyp.

S. Optatus.

Obiectio.

1. Reg. 3. Responsio.

August.

Atque hinc obiter soluitur obiectio, quam magni faciunt Gentiles contra hoc sacramentum, quia constat ex historiis, & experientia, tyrannos ac persecutores Ecclesiae, saepe Ecclesias profanasse, & altaria euertisse, & Eucharistiam etiam conculcasse & combussisse, & tam Christum ibi existentem, nunquam se ipsum defendisse, atque aliquod mirum opus in hostium vindictam effecisse: ergo vel est impotens ad hoc faciendum, quod nos non dicemus, aut sine causa credimus illum ibi adesse. Olim enim Deus in eos, qui in arcam testamenti iniuriosi fuerunt, grauissime animaduertit, vt legimus 1. Reg. cap. 5. Quid ergo facturus esset in hoc sacramento, si vere ac realiter in eo contineretur? Respondetur tamen facile ex dictis, quod licet interdum Deus, iusto iudicio, vel ad probationem, & exercitium fidei suorum feruorum permiserit, vel templa, vel etiam ipsa sacramenta ab infidelibus indigne tractari, non propterea existimandum est, Christum ab hoc diuino sacramento abesse, quia, quamuis sacramentum conculcetur, aut comburatur, ipse impassibilis manet, & ob meritum nostrae fidei non expedit semp vt miraculis, & signis ad hostes fidei coercentes, sed permittere potius, vt iuxta rerum, ac bellorum veritatem, res humano modo succedant, eo vel maxime, quod hoc sacramentum est maximum miraculum, quod in eo fit, non est ordinatum ad confirmandum, quod in eo fit, sed potius, vt sit materia in qua fides exerceatur, interdum vero, vt diximus, vel ad confirmandos infirmos, vel ad terrendos iniquos vtitur Christus potentia sua, simul ostendendo suam praesentiam in hoc sacramento. Ex quo et ortum est, quod Augustinus refert, l. 1. de Ciuit. c. 4. aliquando hostes debellatores & victores Christianorum, tantam exhibuisse reuerentiam eorum templis, vt fuerint asyllum omnium, ad illa confugientium, ne vel ipsi, vel eorum bona in hostium potestatem venirent.

SECTIO VI.

Quid ex antiqua historia & praxi Ecclesiae, de reali praesentia Christi in hoc sacramento possit colligi.

Ratio difficultatis esse potest, quia in historiis Ecclesiasticis multa legimus facta esse a fidelibus, & pastoribus Ecclesiae, circa vsum huius sacramenti, quae non videntur profecta ex fide realis praesentiae Christi in ipso, alias nec conuenientia, nec decentia viderentur. Primum sit, quod olim Eucharistia in manibus communicantium etiam laicorum dabatur, vt constat ex Concil. Tolet. l. cap. 14. & habetur

Con. Tolet.

11. q. 1. c. Si quis laicus: vbi excommunicatur, qui accipit Eucharistiam, & in Ecclesia non consumit: & ex sexta Synodo cano. 10. 1. in Trullo: vbi prohibetur fideles afferre vascula aurea, vel argentea, in quibus recipiant Eucharistiam, & per ea communicent, sed manibus propriis. Idem colligitur ex epi. Cornelij Papae, quam refert Euseb. lib. 6. histor. ca. 35. in fine & Nicephor. lib. 6. cap. 3. & epi. Dionys. Alex. quam refert idem Nicephor. eodem lib. cap. 9. & ex verbis Euseb. Ambrosij, quia refert idem Niceph. lib. 12. c. 41. illum ad Theodotum dixisse: Quomodo manus extollis, quae caede iniqua distillant? Quomodo est diuinum Dni corpus eis excipies? Quomodo sanguinem pretiosum ad os afferes? Idem refert Theo. l. 5. Hist. cap. 17. & lib. 9. Tripart. c. 30. idem aperte constat ex Cyrill. Theodor. Hieroso. orat. 5. mystag. & Cypriano, lib. de lapsis, & Aug. lib. 50. hom. in 26. Quanta, inquit, sollicitudine obseruamus, vt nihil ex ipsis, & nostris manibus in terram cadat? & sermone 252. de tempore, cum inquit, Omnes viri, quando communicare deliderant, lauant manus suas: nec sine causa viros nominat: Nam haec consuetudo non videtur in foemina viguisse, vt iam dicam.

Secundo ex coniectura, ex eo, quod interdum per laicos ad infirmos Eucharistia mittebatur, in quo illud factum memoria dignum est, quod Dionys. Alexan. refert, in ep. ad Fabian. Antiochen. apud Euseb. lib. 6. cap. 36. & Niceph. lib. 6. cap. 6. de Serapione sene, qui, cum propter negatam in tormentis indem a participatione sacramentorum arceretur, & morti esset vicinus, puerum ad vocandum Presbyterum misit, qui cum etiam agrotaret, Puer, inquit, exiguum partem Eucharistiae dedit praecipiens, vt eam madefactam in os seorsum infunderet, quod puer impleuit. Quod sane factum non videtur ex caedertorum, quia Eucharistia Christi caro creditur, vt eam madefactam in os seorsum infunderet, quod puer impleuit. Quod sane factum non videtur ex caedertorum, quia Eucharistia Christi caro creditur, vt eam madefactam in os seorsum infunderet, quod puer impleuit. Quod sane factum non videtur ex caedertorum, quia Eucharistia Christi caro creditur, vt eam madefactam in os seorsum infunderet, quod puer impleuit.

Tertio simile est, quod olim in priuatis domibus Eucharistia seruabatur, vt eam vnusquisque acciperet, vt aperte constat ex Cypriano, sermone de lapsis non longe a fine, & clarius de spectaculis, num. 4. Dimissus, inquit, & gerens seculi, vt affoler, Eucharistiam, indicat etiam Tertull. l. 2. ad vxorem, in illis verbis: Non sciet maritus, quid secreto ante omnium cibum gustes, & si sciuerit, panem non illum crederet esse, qui dicitur: idem aperte. li. de orat. sub finem, Basil. in ep. ad Casarem Patric. In Alexandria, inquit, & Aegypto vnusquisque de populo habet communionem in domo sua, acceptam a Sacerdote sacrificante & distribuyente. Quod maxime seruatum esse refert, ab his, qui in eremis solitariam vitam agebant. Huc et spectat, quod refert Hier. ep. 50. ad Pam. de Rom. consuetudine quotidie comunicandi in propriis, ac priuatis domibus, vt indicat. Et quod dicit Au. ser. 252. de tem. Omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Christi excipiant. & forasse huiusmodi linteamen, dominicale, dicebatur, atque de eo loquitur Conc. Altilio. cap. 42. vbi praecipit, vt vnaquisque mulier cum comunicat, dominicale suum habeat, ut c. 36. dixerat. Non licere foeminis propria manu accipere Eucharistiam.

Quarto hoc confirmant, quia priuatim iter agentes, vel in via, vel in mari secum Eucharistiam deferrebant, vt constat ex Beda in Martyro. 18. Kalendas Septemb. vbi de Tharsicio acolytho refert, interfectum esse a Paganis in via, eo quod nolisset ostendere Eucharistiam, quam secum portabat: & Ambrosius, oratione funeb. de fratre suo refert, illum, antequam esset Presbyter, secum in nauis Eucharistiam portasse.

Quinto non parum facere videtur, quod Hieron. epist. 4. ad Rust. refert in fine, Corpus Domini in vincto

mineo canistro, sanguinem vero in vitro solere ab Episcopo confici & seruari.

Sexto, hanc etiam partem adiuuat, quod Euseb. refert lib. 5. hist. c. 24. fuisse antiquam consuetudinem, vt Episcopus, quando ad suam ciuitatem alius Episcopus veniebat, salutandi gratia, Eucharistiam ad illum mitteret. Hæc enim & similia non est verisimile fuisse in Ecclesia faciendâ, si Eucharistia verum Christi corpus non crederetur.

Quod septimo confirmat illa prisca consuetude dandi Eucharistiam infantibus, vt dicam latius infra q. 79. & constat ex Cypriano, lib. de lapsis, August. lib. 3. de Trinit. cap. 10. & epi. 23. in quo illud potissimum notandum est, quod refert Euagrius, lib. 4. Histor. c. 35. de Constantinopolitana consuetudine, vt, si aliquæ particula Corporis Domini superesset, pueri impuberes, qui Ecclesiam frequentabant, accerterentur, vt eas consumerent.

Dicendum vero est ex antiqua praxi Ecclesiæ, id est, ex summa veneratione ac religione, qua semper hoc sacramentum in Ecclesia tractatum est, non obscure colligi, hanc hædem de reali præsentia Christi in Eucharistiam perpetuam, ac constantem in Ecclesia fuisse. Quod variis modis ostendi ac declarari potest. Prima, ex adoratione, quam accedentes ad hoc sacramentum illi semper exhibuerunt, cum timore & tremore tanquam ad Regis corpus accedentes, vt inquit Clemens 1. 2. Constitutio. c. 61. ad quod accommodat Aug. ep. 120. ca. 27. illud Pf. 21. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ. In quæ

est sensum tractat hæc verba Concione 1. super eundem Psalm. Psal. vero 38. loquens idem Aug. de Carne à Verbo assumpta, in qua in hoc mundo ambulauit, inquit: Et quia ipsam Carnem ad manducandum, ad salutem dedit, nemo illam manducatur, nisi prius adorauerit. Sic et Chrysothomus Hom. 3. in ad Ephes. Adora, inquit, & manduca. idem Hom. 3. & 4. de incomprehensibili Dei natura, & in aliis supra citatis. Et huc spectat, quod aliis multis in locis grauissime docet, sanctos, scilicet, Angelos aditare his mysteriis, illaque admirari ac venerari, vt videre licet, li. 6. de sacerdotio, & Homil. de Euchar. in Encenis 31. in acta 60. ad pop. Vnde Gregor. 4. dialog. capite 58. Quis fidelium, inquit, habere dubium possit in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem caelos aperiri? in illo Iesu Christi mysterio, Angelorum chorus adesse? & c. Theodoretus præterea dialogo secundo de his mysteriis loquens, inquit, Et creduntur & adorantur, quod ea sint, quæ creduntur. Ad eundem modum loquitur Amb. 1. 3. de Spiritu S. c. 12. & alij, quos infra in propria disputatione de cultu huius sacramenti referemus. Nec dici potest adorari Eucharistia solum vt signum vel imago Christi, tum quia citati Patres aperte loquuntur de adoratione Christi secundum se: vn

de comparant hanc adorationem cū adoratione Magorum, vt patet ex Chrysothomo, Hom. 7. in Matth. & cum adoratione Centurionis, ex Origene Hom. 5. in diuersos, tum et, quia alias non magis adorari posset Christus in hoc sacramento, quam in Baptifino, & Sancti longe aliter de hoc sacramento, quam de aliis sentiunt. Quare Theodoret. diserte dixit, hæc mysteria adorari, non quia significant, sed quia ea sunt quæ creduntur, tum denique, quia non solum adorandam, sed etiam inuocandam dicunt Eucharistiam, Basil. n. libro de Spiritu S. cap. 27. inuocationem Eucharistia ponit inter Apostolicas traditiones, & ita in Canone missæ oramus, ad ipsum sacramentum dicentes, Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis, & idem fit in omnibus antiquis Liturgiis, Iacob, Basilij & Chryf. in quibus illa etiam deprecatio habetur post consecrationem, Deus propitius esto mihi peccatori, & illa, Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Sic etiam Dionys. ca. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ parte tertia. O diuinissimum (inquit) sacramentum intelligentiæ nostræ oculos

tuo lumine comple. Similia colliguntur ex Greg. Naz. dicta orat. de obitu fororis Gorgoniæ, & aliis Patrib. supra citatis, inuocatio autem & oratio fit ad ipsum Christum, non ad panem, etiam si illum significaret.

Secundo hoc colligitur ex summa diligentia, quæ semper in Ecclesia adhibita est, vt cum maxima puritate suscipiatur hoc sacramentum, quo pertinet conscientia examen & præcedens confessio, iuxta illud Paul. Probet aut seipsum homo, & sic de pane illo edat. Item, quod solum à ieiuniis sumatur: & alia de quibus infra quaest. 80. Quod vero interdum hoc sacramentum, seu eius reliquæ infantibus darentur, non fuit profectum ex minori huius sacramenti fide, sed quia fortasse existente tunc minori numero & maiori deuotione, fidelium, id poterat fieri cōmodi. Vnde, vt ex August. 3. de Trini. c. 10. colligitur, magna cura adhibebatur, vt vnusquisq; pro captu suo fideliter, reuerenterq; accederet, postmodum vero crescentibus Christianis populis & deuotione, ac charitate refrigescente illa consuetudo abolita fuit, ob maiorem huius sacramenti reuerentiam, vt quaest. 80. copiosius dicemus. Illud vero obseruatione dignum est hoc loco, quanta cura semper fuerit adhibita, ne aliqua Eucharistia particula in terram decidat, vt videre licet in capite, si per negligentiam, de Consecrat. dist. 2. vbi grauis imponitur poena ei, ob cuius negligentiam aliquid in terram decidit. De qua etiam re eleganter loquitur Chrysothomus epi. 1. ad Innocentium, exaggerans facinus cuiusdam militis, qui altare vsq; ad pavementum sanguine Domini asperferat. Vnde Tertullianus libro de Coron. mili. c. 3. Calicis aut panis nostri (inquit) aliquid decuti in terram anxie patimur: & Orig. Hom. 13. in Exod. Noctis, qui diuinis mysteriis interesse consueuistis, quomodo cum suscipitis Corpus Dñi, cum omni cautela & veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat ne consecrati muneris aliquid dilabatur, reos n. vos creditis, & recte creditis, si aliquid inde per negligentiam decidat. Sed præcipue notandus est locus Cyr. Hier. Catech. 7. dicentis: Caue, ne quid inde excidat tibi quod n. amittes, hæc tanq; ex proprio membro amiferis: & postea describit modum, quo olim Eucharistia dabatur in manibus, dicens: Nō expansis manibusq; disiunctis digitis, sed finistræ veluti sedē aliq; subiciias dextra, quæ tm Regem susceptrura est & concaua manu suscipe Corpus Christi. Ex quo intelligitur consuetudinem illam ex magna reuerentia introductam esse, quia videbatur opportunus modus, ne aliquid in terram decideret. Postea vero propter maiorem decentiam illa consuetudo est immutata, vt constat ex Conc. Rotom. c. 2. vbi prohibitum est, ne Eucharistia detur in manibus communicantium, sed quod ab ipso sacerdote ori infundatur, & in Conc. Altifi. Can. 36. omnibus laicis vniuersaliter prohibetur contactus huius sacramenti.

Tertio hoc constat ex eo, quod propter reuerentiam Corporis Christi existentis in hoc sacramento vt res sanctissima summa religione tractetur, consecrati semper fuerint in Ecclesia sacerdotes, vt infra suo loco videbimus: illud solum ad præfens spectat, hoc titulo in summa reuerentia habitos esse, quod Christi Corpus suo ore conficiunt, vt Hier. loquitur ep. ad Heliodor. Vnde eleganter Greg. Naz. orat. 17. ad ciues timore 17. ad ciues timore percussos, inquit: Nū tibi præterea supplicis cuiusdam libelli loco canices hæc offerenda erit, atq; annorum numerus, diuturnumq; & labiis expers, hoc sacerdotium, q; ipsi quoq; Angeli puri purissimi Dei cultores, tanq; ipsorum cultui minime impar fortasse veneratione prosequuntur? & infra, Mensâ hanc tibi offero ad q; communiter accedimus, salutisq; meæ typos, quos eodē ore perago, q; hanc ad te deprecationem oboeo: & de eadē re optime loquitur Chryf. 1. 6. de sacerdotio. Et hunc locum cōfirmat templorū & altariū cōsecratio, vestiu ac sacrorū vasor. benedictio, vniuersus deniq; cultus religiosus, q

in Eccle-

Nazianh.

Chrysof.

Origen.

Gen. Hier.

Gen. Rot.

Conc. Altif.

Hieron.

Nazian.

Chryf.

Cyprian.

Clemens.

August.

Gregor.

Gregor.

Theod.

Ambros.

Cyprian.

August.

Basilius.

Dionys.

Chryf.

in Ecclesia semper seruatus est. Hæc enim omnia ad Christum, in hoc sacramento contentum referuntur, vt Hieronymus ait, epist. ad Theopb. Alexan. vbi inquit, propter consortium Corporis & Sanguinis Domini, hæc omnia magna veneratione coli, & ea contaminare magnum est sacrilegium, vt ait Optatus, lib. 6. cont. Parmen. Quocirca, licet fortasse initio nascentis Ecclesie propter inopiam fidelium, aut paucitatem ministrorum, & templorum, aut certe propter persecutiones tyrannorum, permitterentur aliqua in huiusmodi sacramenti administratione, quæ maiestati huius sacramenti minus congruere viderentur, fiebant tamen, vt dixi, & ob necessitatem, & ex magna fide, ac pietate Christianorum, qua exterioris ornatus defectus resarciebatur: postea vero Ecclesia satis fundata & pace ac facultatibus aucta, incredibile est, quanta diligentia in externo cultu, & reuerentia circa usum, & ministerium huius sacramenti adhibita sit. Vnde in Concilio Cæsaraug. can. 3. anathema fertur in eos, qui secum Eucharistiam deferunt, & in Ecclesia non consumunt: idem significatur in Concil. Toletan. I. cap. 14. In Concil. autem Rhemenf. Cano. 2. prout habetur in c. Peruenit, de consecra. dist. 2. prohibetur ne laici deferant Eucharistiam ad infirmos, sed soli sacerdotibus, in necessitate vero id conceditur Diacono, ex licentia Presbyteri, in Concil. Carthag. 4. cap. 38. Imo in Concil. Roma. 2. sub Syluestro, Cano. 9. prohibentur sacra vasa contingere, etiam lectores & ostiarij. Atque idem prohibetur sacris virginibus in c. Sacratas. 23. d. & in c. In sancta, de Confe. 1. ex Pio. I. Lepi. 2. & Sothero Papa: de quare latius infra.

Hieronym.

S. Optatus.

Cone. Cæsar.

Con. Tolet.
Rhemenf.

August.

Con. Nann.

D. Thom.
Dionys.

Beda.

Quarto hoc confirmat ceremonia illa de pane benedicto, seu Catechumenorum, de quo Augustinus li. 2. de peccat. merit. c. 26. Quod accipiunt, quamuis non sit Corpus Christi, san&um tamen est, quoniam sacramentū, id est, sacrum signum, est. Certe si Eucharistia tantū esset signum Corporis Christi, etiam ille panis posset dici Corpus Christi, quia etiam Christū representabat. Alius ergo fuit semper Ecclesie sensus: Nam, quia Catechumeni capaces non erant veri Corporis, dabatur illis veluti quoddam signum, & memoriale Eucharistie, vt rem ipsam amplius desiderarent & exeperent. Quæ ceremonia ad reliquos fideles baptizatos postea extensa est, quando consuetudo communicandi remitti cœpit. Vnde Pius primus præcepit, vt Presbyter particulas panis habeat in vase nitido, easque benedicat, vt qui communicare nolent dominicis ac festis diebus, eulogiā inde acciperent. Quod decretum habetur in codice quinque librorum, libro 2. capite 117. vt refertur in actis Pij I. tom. 1. Concil. idem habetur in Concilio Nannanensi. c. 9.

Quinto optimum iudiciū huius veritatis est, quod de Missa Catechumenorum seruatum esse legimus, per mittebantur enim Catechumeni ad esse vique ad oblationem, prius vero, quam ad consecrationem perueniretur, exire iubebantur, vt ex omnibus Liturgiis constat. Existimabat enim Ecclesia, eos, qui Baptismo non essent initiati, ad conspiciendum hoc mysterium non esse satis dispositos, vt notauit D. Thomas, infra quæstione 80. artic. 4. ad 4. ex Dionys. capite 7. Ecclesiast. Hierat. par. 3. Vnde Augustinus tracta. 10. in Ioannem. Corpus Christi est manna absconditū à Catechumenis, quia Iesus adhuc non se credit illis: & Beda loco supra citato Martyrologii refert, miraculo confirmasse Deum fidē illius Tharsicij qui, ne infidelibus Eucharistiam ostenderet, mortē sustinuit: Ita n. disparuit postea sacramentum, vt nec inueniri, nec videri ab eis potuerit. Simile factū alterius Episcopi Laurentij refert idem Beda lib. 2. historie Anglicanæ, cap. 5. Et huc pertinet supra annotata consuetudo Patrum antiquorum, qui propter infideles ænigmatice & obscure de hoc mysterio loqui solebant, ne Sanctum canibus præbere viderentur.

Sexto ad declarandum hanc veritatem facit, quod licet, vt dictum est, initio nascentis Ecclesie mysterium hoc infidelibus occultaretur, cum tamen inter Christianos frequentissimum esset illius usus, nō potuit omnino latere & celari, quare eam opinionem de nostris conceperunt, quod ad carnes humanas, & infantem quendam manducandum, congregarentur. Vnde Tertull. in Apol. c. 7. Dicimur, inquit, sceleratissimi, de sacramento infanticidij & pabulo crudæ. Eiusdem calumniam meminit Euseb. li. 4. hist. c. 8. & lib. 5. ca. 1. & Iustin. Apolog. 2. ad Antonium in fine, ibi, vt Christianos ab hac calumnia defenderet apertis verbis veritatem huius mysterij Gentibus exposuit. Huc etiam spectat, quod Auerroes Machometanus, vt Præcolus refert, verbo, Machometus num. 16. impios nos appellabat, quod Christum Deū nostrum edere diceremus: erat ergo hæc communis vox totius Ecclesie. Et per hæc satis responsum est rationibus dubitandi in principio positus.

SECTIO VII.

Quid possit ratione naturalis de hoc mysterio ostendi.

Quatuor inquiri possunt. Primum an possit probari, hoc mysterium esse possibile. Secundum, an esse conueniens. Tertium an esse credibile. Quartum, an ita esse factum. De duobus vltimis punctis nihil dicendum occurrit, nisi quatenus ex duobus prioribus pendet.

Primo itaque certum est, non posse sola ratione probari, hoc mysterium esse factum, est enim supernaturale, & pendet ex libera Dei voluntate, quæ non potest sola ratione, sed testimonio fidei cognosci, & ideo in omnibus præcedentibus quæstionibus, omnibus medijs & regulis fidei, probauimus hoc esse credendum, vt supposita illa fide, aliquid possumus ratiocinari. Secundo certum est, esse euidentem, hoc mysterium esse credibile, quod euidenter probant omnia, quæ in superioribus quæstionibus adducta sunt, & iuuabunt etiam ea, quæ de possibilitate & conuenientia huius mysterij statim dicemus, quamquam in hoc puncto nihil fere sit speciale in hoc mysterio magis, quam in alijs Christianæ religionis, de qua in materia de fide generatim ostenditur, esse euidenter credibilem, & ideo probando, mysterium hoc contineri inter ea, quæ fides Christiana promittit, concluditur, esse euidenter credibile, sicut & cetera: De primo ergo, & secundo puncto breuiter agendum est.

Tertio igitur de possibilitate huius mysterij, multi ex hæreticis huius temporis cum autoritate & testimonio Scripturæ sacræ, & sanctorum Patrum destituerentur, eo peruenerunt, vt dicerent, nō potuisse Deum facere, vt Christus sit realiter præsens in hoc sacramento. Et tria potissimum dicunt esse impossibilia, quæ non possunt hoc loco fuisse tractari, quia in sequentibus, magis explicato mysterio, commodiorem locum habent. Primum est, accidentia manere sine subiecto, mutata tota aliqua substantia, in totam aliam substantiam, de quo puncto instituemus duas, post sequentem, disputationes. Secundum est, corpus magne quantitatis, contineri sub minima quantitate, & non occupare locum, & esse modo indiuisibili, de quo tota q. 76. disputandum est. Tertium est, quod Christus manens in cælo, simul sit in multis & distantibus locis, & de hoc dicam fuisse disputatione, sequenti, oportet enim prius intelligere, quid sit hæc præsentia, quam Christus hic habet.

Nunc igitur circa hunc punctum solum est dicendum, non posse sola ratione naturali euidenter demonstrari hoc mysterium esse possibile, posse tamen euidenter ostēdi, non demonstrari impossibile. Supposita præterea fide aliorum mysteriorum, potest satis manuduci intellectus, vt videat, hoc non esse impossibile. Probatur primum, quia nullum est naturale

rale principium, ex quo euidenter colligi possit, illa tria miracula supra posita esse possibilia, & licet admittamus esse euidentem, Deum esse omnipotentem, non tamen potest ex parte obiecti esse euidentem, in illo non esse contradictionem: ut non esse contra essentiam & naturam accidentis esse per se, seu contra naturam quantitatis, esse inextrinsecam in eo loco, aut esse in pluribus locis, sicut etiam non est euidentem, secundum fidem, duo corpora quanta esse posse penetratiue in eodem loco: itaq; hæc & huiusmodi absolute loquendo credita sunt, non demonstrata. Probatur autem altera pars, primum ex principio generali Theologiae, quod euidenter soluit argumenta contra mysteria fidei, non tancum, ut aiunt, respondendo negatiue argumentis, sed etiam posititue, ostendendo non posse rationem naturalem demonstrare huiusmodi opera esse impossibilia Deo, quia nulla est ratio, quæ probet esse contra essentiam accidentis, verbi gratia, separari à subiecto, & per se cõseruari: imò ratio naturalis optime intelligit, posse naturam accidentis consistere in aptitudine, & non in actuali dependentia, & idem proportionaliter est de quantitate, quod euidentius fiet inferius soluendo argumenta: Et hinc concluditur tertia pars proposita. Primum, ratione generali, quia credimus Deum esse omnipotentem, & aliunde non videmus in his operibus apertam contradictionem, imò nec rationem illius admodum probabilem, sed solum esse intelligimus supra naturas rerum: ergo sit valde verisimile, hæc omnia esse possibilia Deo. Vnde Patres omnes supra citati sola Dei omnipotentia contenti sunt, ad persuadendum, hoc mysterium esse possibile, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Deinde admirabilis est, substantialem naturam integram separari à propria subsistentia, quam accidens à subiecto, & naturam creatam existere in Verbo increato, quam corpus exiens in cælo, existere simul in terra, & Verbum diuinum constitui sub humanitate, & cum illa componere vniam personam, quam Corpus Christi sub accidentibus claudat: & ad hunc modum argumentari possumus ex aliis mysteriis fidei, ut tractando in dictis locis singula puncta indicabimus.

Quartò, circa conuenientiam delirant magis hæretici: contendunt enim, Ekto, sit possibilis hæc præsentia: esse tamen hominibus inutilem & potius perniciosam, & Christo Domino iniuriosam. Primum quia quicquid vtilitatis potest ex hoc sacramento ad homines manare cum hac præsentia, potest sine illa operante Deo, per signa ab ipso instituta, & concurrente homine per suam fidem, quæ ratio operandi est sacramentis magis consentanea. Secundum patet quia oportet, quæ sursum sunt quaerere, non quæ super terram, ad Coloss. 3. ergo oportuit Christum tantum esse in cælo, quò nostræ cogitationes ascenderent: pernitiosum ergo esset nobis cum illo realiter præsentem in terra versari, nam propterea ipse dixit: Exiit vobis, ut ego vadam. Ioan. 16. Deniq; indignum existimant Christum iam immortalem & impassibilem dentibus atteri, os & stomachum mortalis hominis ingredi, moueri, cõculcari & similia pati, quæ non de illo in sacramento dicimus. Simila tamen obieciunt Pagani contra Incarnationis mysterium: videbatur enim illis indignum, quod Deus Cæso fieret, & passionibus & morti subderetur, & hominibus videbatur inutile, quia poterat Deus alio modo conferre eis omnia bona, quæ nos dicimus ex incarnatione provenire. Quibus SS. Patres respondent, nihil esse in illo mysterio, quod non maxime Deum decoret, quia illis passionibus nihil læditur, vel immutatur diuina maiestas, & aliunde bonitatem suam, potentiam &c. maxime manifestat, & nobis illo modo & maiora bona, & excellentiora, atq; altiori modo conferret: sic ergo in præsentia prædictis hæreticis respondemus.

Franc. Suarez Tom. 3.

Dicendum ergo est, posse ratione naturali ostendi, hoc mysterium fuisse valde conueniens, & diuinae bonitati, ac hominum vtilitati maximè consentaneum. Ad hanc veritatem probandam afferri possunt rationes omnes, quibus hoc ipsum de mysterio incarnationis ostendi solet: Est enim hoc sacramentum, quasi complementum quoddam illius mysterij, ut Chrysostomus dixit. Breuiter tamen declaratur primo, quia ad diuinam bonitatem pertinet, ut omnibus modis sese communicet: Ergo, sicut fuit per se conueniens, ut totam diuinitatem suam humana natura communicaret, ita fuit conueniens, humanitatē illam, & totum illud beneficiū ac mysterium alio admirabili modo reliquis hominibus communicari: ut, sicut humana Christi natura ineffabili modo in Verbo exiit, & Verbum in ipsa: ita qui suscipit hoc sacramentum, singulari etiam modo in Christo maneat, & Christus in illo, sicut ipse dixit Ioannis capit. sexto.

Secundò fuit opus diuina sapientia dignum, in vno sacramento, veluti Summam & compendium facere omnium suorum mirabilium, omniumque donorum suorum ac beneficiorum, præsertim illorum quæ per Verbi Incarnationem nobis contulit. Nam in primis sicut in mysterio Incarnationis humana natura proprio supposito caruit, ita hic accidentia priuantur subiecto suo, & sicut ibi Verbum sub humanitate latuit factum homo, ut nos redimeret, ita Verbum incarnatum sub accidentibus panis cõtinetur, factum cibus & panis celestis animarum, ut eas reficiat. Vnde, sicut per incarnationem factum est, ut Verbum in humanitate assumpta sit in tempore genitum, & iniuriis temporis ac hominum expositum ipso Verbo in se impassibili, & immutabili permanente, ita Verbum incarnatum, quatenus sub hoc sacramento cõtinetur, quotidie conficitur, & in loco humili interdum iacet, & a prauis hominibus iniuriis afficitur, ipso nihilominus Verbo, eiusq; humanitate gloriosa, impassibili ac immutabili manente. Denique sicut per incarnationis mysterium Christus in vtero Beatæ Virginis spiritualis cibus animarum effectus est, & per omnes actiones & passiones suas vitam eis comparauit, ita per hoc sacramentum nobis ipsa donatur in cibum, ut verè ac propriè illum intra nos sumētes, suæ redemptionis fructum, hoc est, immortalē vitam animæ, & corporis ab ipso participare possimus: nam, qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

Tertia ratio sumenda est ex arbitrio omnipotentia diuina, nam si omnia miracula, quæ in hoc sacramento interueniunt, consideremus, illud fuisse conuenientissimum reperiemus, ut esset veluti cõsummatio & perfectio omnium diuinorum operum, & ideo Iohannes Euangelista in initio narrationis Dominiæ cœnæ præmittit illa verba, Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus: in illa enim rerum immutatione, quam Christus in hoc mysterio fecit, hæc suam omnipotentiam & dominium in omnem creaturam satis ostendit, nam & substantias transfinitat, & accidentibus alium existendi modum tribuit, & corporis molem ad similitudinem spiritualis substantia præsentem efficit, idemq; corpus in variis locis constituit, & alia similia operatur, quibus se vniuersæ naturæ dominum declarat. Quæ quidem omnia mira Dei opera neque infecta relinqui decuit, neque opportunus quàm in hoc mysterio: (quod ut dicebam, summa est diuinorum mirabilium) fieri potuerunt. Addit Innocentius libr. 3. de hoc mysterio cap. 4. sicut diuina creatura tribus modis in creaturis existit, scilicet, per naturam, per gratiam, & vnionem hypostaticam: ita decuisse, ut humana Christi natura triplicem modum existendi participaret: scilicet, personaliter in Verbo, visibiliter in cælo, sacramentaliter in altari: vel aliter, naturaliter in corpore mortali & passibili per gratiam & glo-

fiam in caelo, & sacramentaliter in hoc mysterio illud denique mirum in modum, hoc diuinae potentiae opus exaggerat, quod non semel aut iterum, sed quotidie hæc omnia operatur, quodve hominibus dederit potestatem verbo suo hæc omnia efficiendi.

Quarta ratio facile sumi potest ex aliis diuinis attributis, liberalitatis, misericordiae, & quodammodo etiam iustitiae: non quia talis cibus nobis ex iustitia, vilo modo deberetur, sed quia nos debemus Deo, vt fidem & obedientiam in credulitate, & digno vsu huius cibi ostendamus. Vel certe, vt dixit Innocentius supra, maxime decuit, vt licet per cibum homo vitæ immortalis restitueretur: nullus autem cibus aptior ac potentior ad hunc effectum tribuendum esse poterat, quam ille, qui de caelo descendit, & dat vitam mundo. Quapropter sicut de illo cibo dictum est: In quacunque die comederis ex eo, morte morieris: ita & contrario, de hoc est scriptum. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Vnde etiam apparet in infinita Dei erga homines liberalitas, cum nimirum immortalis vita non nisi per Christum possit nobis communicari, modum excogitauit, quo illi realiter & ineffabiliter coniungamur, vt ab ipso fonte vitam haurire possimus, vt vel hac ratione scite paratissimum ad eam nobis præstendam ostenderet, in quo etiam singulare specimen sui amoris erga homines dedit, quod solo pane significante suum corpus non presbuit, vt statim declarabimus.

Quintam rationem addere possumus, quia mysterium hoc ad omnium virtutum incrementum & perfectionem obtinendam variis modis, ac rationibus fuit conuenientissimum. Primo propter excellentem gratiam, quæ in illo confertur, quam propter Christi præsentiam, abundantiorē & copiosiorē esse de cuius dubitari non potest. Deinde propter illam rationem generalem, quam Chrysofomus citatis locis attigit, cuius sunt illa verba: Tanquam rationes igitur ignem spirantes a mensa illa recedamus, facti diabolo terribiles. Decet enim eos, qui tali cibo nutriuntur, insigni vitæ sanctitate & puritate esse conspicuos. Denique si per singulas virtutes discursamus innumeras occasiones, & rationes, eas perfecte exercendi in hoc mysterio inueniemus, sed præcipue in illis quæ Deum ipsum attingunt, vt sunt Theologicae, & inter morales, religio.

*Augustinus
fidei.*

Sextam igitur sumamus rationem ex virtute fidei, principio enim in hoc perdifficili mysterio nostra fides mirabiliter exercetur & crescit, inter opera enim diuinæ omnipotentiae, quæ præter ordinem naturæ sunt (Incarnationis opere excepto) creditu difficilimum esse videtur. Primo, quia non vnum, sed plura miracula complectitur. Secundo, quia non semel, sed iterum, atque iterum, & quasi ordinaria lege conficitur. Tertio, quia non solum immediate ab ipso Deo, sed ab homine eius ministro, per supernaturalem potestatem ei communicatam, fit. Denique (quod ad fidei exercitium multum refert) quia quotidie sensibus obicitur, & repugnantibus sensibus frequentissime captiuamus intellectum in obsequium Christi. Deinde præter illum vsu fidei, qui in hoc mysterio credendo consistit, fuit hoc etiam aptissimum ad exercendam fidem, circa alia pertinentia, dicente Christo: Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Nam, licet hæretici contendant, solum signum & figuram ad huiusmodi commemoratiōnem satis fuisse, nullus tamen, qui rem attente ac prudenter considerauerit, negare potest, longe aliori consideratione, & maiori affectu inuocari in nobis Christi & passionis eius memoriam, si ex fide realiter præsentiae eius, quam si ex solis figuris, & nudis signis moueamur. Præsertim, quia, vt supra dicebamus, quodammodo in hoc mysterio videmus fieri circa

Christum inuisibiliter hic contentum, quæ circa eundem in propria specie facta esse credimus, quia sicut Caro factus ingressus est vterum Beatissima Virginis, ita per hoc mysterium vere ac realiter intrat corpora nostra: & sicut vere credimus iacuisse in præsepio, ita vere illum in altari existentem conspiciamus, & ad hunc modum cætera Christi mysteria ad vnum hic representantur, præter eam significationem passionis & mortis eius, quæ fit, cum sanguis separatur à corpore consecratur. Igitur ad fidei exercitium fuit valde conueniens hoc mysterium, atque adeo etiam in ratione signi & memorialis, est longe excellentius hoc sacramentum, habens Christum realiter præsentem, quam in vmbra tantum. De hac ratione legi possunt, quæ scribit eleganter Algeri, lib. 2. de hoc sacramento. c. 3. & quæ attingunt Cyprianum, in sermone de Cena Domini. Eusebium, hom. 1. de Pascha. Augustinum, Tract. 47. in Ioan. & alia, quæ supra citauimus in Commentario articuli, explicantes rationem D. Thomæ.

Septima ratio sumitur ex virtute spei: nullum enim potuit esse, post diuinam Incarnationem, Deum donum ac beneficium, ad spem roborandam & augendam accommodatius, tum quia in pignus future gloriæ res infiniti valoris nobis datur, tum etiam, quia dum in hac vita mortali tam liberalem erga nos Deum experimur, tamque propensum, vt nos secum intime coniungat, maxime excitamur ad sperandum perfectiorem vniōnem in vita beata futuram, vt enim recte dixit Algerus, lib. 2. c. 3. Quam vere Christus seipsum daturus est Sanctis ad gloriam, tam vero modo ad omnem gratiam dat seipsum Ecclesiæ suæ. Et hinc etiā augetur spes, quia hoc cibo roboramur, & contra hostes armamur, & facilius possumus omnem seruilem timorē abicere, & fiduciam de victoria reportanda concipere. Nam sicut de omnium præsentiam horremus, quamuis illos non videamus, & e contrario bonorum Angelorum præsentia & cultus, quam nobis adesse credimus (licet illam non videamus) vires assumimus: Ita multo magis hæc Christi præsentia, licet inuisibilis, firmiter tamen creditur, mirum in modum fiducia nostra augetur, & animus ad beatitudinem obtinendam erigitur, præsertim, quia dum Christum, secum humanitatem etiam præsentem esse credimus, maiori quadam familiaritate eum alloquimur, ac frequentius & maiori cum fiducia oramus. Nec verò ex hac præsentia impeditur animus, ne sursum ascendat ad Christum in caelis existentem, sed potius maxime accenditur, vt eum videre desideret, quem sub panis specie nunchabet præsentem & latentem.

Octaua ratio petitur ex virtute charitatis, quatenus erga Deum & Christum versatur, quoniam nihil magis ad amandam excitat, quam amoris significatio, quam in hoc mysterio maximam nobis Christus exhibuit, vt enim Ioann. ait c. 13. Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos: tunc enim summum amoris signum illis præbuit, tum seipsum in cibum illis præbendo, tum etiam, summo amore & desiderio illum præstans, iuxta illud, Desiderio desiderati hoc Pascha manducauere obiscum, quod non tam de legali, quàm de hoc vero Pascha multum intelligendum existimant cum Tertulliano, 4. contra Marcionem capite quadragesimo. Ac præterea, quia vt Chrysofostomus sepe perpendit, plus, quam maternum amorem erga homines indicat. Matres enim interdum filios suos aliis tradunt nutriendos, Christus autem suis carnibus filios suos alit, & quos suo sanguine redemit, ac spiritaliter genuit, eosdem suo cruore nutrit ac pascit. Deinde maximum amicitiae signum in hoc ostendit, quod amor non solum præsentiam, sed etiam summam, quoad potest, communionem exoptat & efficit: Christus autem per hoc mysterium, & nobiscum manere vult, & nobiscum inuicem coniungi, non solum affectu, sed etiam re ipsa, vt

mirum hæc posterior vno priorem, quæ per spiritualem affectum est, accenderet ac inflammarer. Vnde eadem nocte, quæ hoc mysterium Christus instituit, orabat ad Patrem. Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum. Ioa. 17. Vnde eleganter Chryso. hom. 24. in 1. ad Cor. dicit Christum Dominum ob inimum erga nos amorem, non solum a nobis videri, sed etiam tangi, & desiderio sui omnes implere voluisse. Et hanc rationem confirmant omnia, quod de supernaturali vniõne, quæ per hoc mysterium fit inter nos & Christum, Sancti scripserunt, quæ superius attigimus, & infra, q. 79. latius asseremus.

Nona ratio sumenda est ex eadem virtute charitatis, vt inter proximis intercedit, ideo enim voluit Christus vt omnes eodem numero cibo aleremur, vt in ipso tanquam in centro omnes coniungeremur, & sicut ipse dilexit nos, ita nos inuicem diligeremus, tanquam membra eiusdem corporis, quæ eodem pane vescuntur, vt Paul. dicit, 1. ad Cor. 10. Et ad hanc vnitatem significandam, se ipsum dedit in cibum sub speciebus earum rerum, quæ ex multis granis in vnu confluentibus coalescunt, vt Cyp. & Aug. & alij Patres in superioribus citati notant. Hinc etiam Paul. citatõ loco ad Cor. & ad Eph. 5. hoc maxime argumẽto inducit fideles ad animorum concordiam & vnitatem, quia scilicet eodem Christi corpore omnes aluntur, & ideo etiam in Ecclesia communio huius sacramenti fuit semper signum Ecclesiasticæ vnitatis & concordia, ac propterea, symbolum pacis & vnitatis, vocatur ab Aug. tra. 26. in Ioa. Accedit ad hanc & præcedentem rationem confirmandam, quod hoc sacramentum per se institutum est, ad charitatem nutriendam, ac perficiendam.

Decima ratio ex virtute religionis petenda est, nam in primis hæc singulari Christi præsentia maxime extollitur & commendatur Christiana religio. Nulla enim ratio est, quæ habeat Deos appropinquatõs sibi, sicut Deus noster adest nobis. Fuit etiam hoc valde accommodatum humane fragilitati ac conditioni. Cum enim homo sit sensibilis, maxime excitatur sensibilibus rebus. Propter quod dixit Aug. contra Faustum. Omnium hominum religionem aliquibus signis & caremoniis sensibilibus congregari, quod in Christiana etiam religione seruatõ est, eius tamen excellentia, tum in eo posita est, quod illa signa, quibus vtitur, non sint falsa, sed vera: nec vacua, sed plena gratia & virtute: tum maxime in eo quod ipsemet author sacramentorum in hoc perfectissimo mysterio vere ac realiter continetur, cui latræ cultus absq. vilo periculo, aut superstitione potest & debet exhiberi. Hinc Cyprianus, de cœna Domini. Sacramento visibili diuina se infudit essentia, vt esset religioni circa sacramenta deuotio. Vnde etiam factum est, vt perfectissimus actus religionis, qui in sacrificiõ cultu consistit, in religione Christiana infinita quantitate perfectionem & excellentiam habeat. Nam offerimus Deo in sacrificiõ & gratiarum actionem, rem infiniti valoris & dignitatis. Est enim hæc infinita Dei bonitas & liberalitas, vt suis in nos collatis donis velit a nobis vicissim honorari. Ex quo vterius effectum est, vt perfectissimus Dei cultus cum summa nostra vtilitate coniunctus fuerit. Nam, dum Christum in hoc sacramento accipimus, & summum cultum exhibemus Deo, & maxima dona percipimus, ipsumque sumere, est pro beneficiis acceptis maximas gratias eidem referre, iuxta illud: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutis accipiam.

Vndecima ratio colligi potest ex D. Thom. 4. cont. Gent. cap. 61. & nititur in eadem perfectione Christianæ religionis & status Ecclesiæ in lege gratiæ: oportuit enim præter illud sacramentum quod ad spi-

Franc. Suarez Tom. 3.

ritualem regenerationem fuerat institutum esse in Ecclesia aliud sacramentum sensibile, quo fideles spiritualiter nutrentur, vt enim Chryso. ait; Hom. 83. in Matt. & 60. ad Popu. & Damas. libr. 4. cap. 14. si in corporei essemus, incorporalia dona nobis sufficerent, tamen, quia anima corpori coniuncta est, oportuit, vt sensibili modo nutrireretur. Est autem hæc differentia inter generationem & nutritionem, quod in generatione non est necesse, generantem substantialiter coniungi genito, sed tantum virtute. At vero in nutritione necesse est cibum intime realiter & corporaliter coniungi viuenti, & ideo licet Christus sit, qui per Baptisum principaliter non regenerat, non oportuit ipsum realiter adesse præsentem: at vero in hoc sacramento, quod per modum nutrimenti datur, oportuit ipsum adesse, ac realiter nobis coniungi, & intra nos sumi, tanquam perfectissimum animarum cibum, & hanc rationem illustrent egregie quæ Chryso. citatis locis disputat de bono patre, qui gregem suum sua carne & sanguine alit.

Duodecima ratio adiungi potest ex simili discursu circa virtutes alias morales, quarum insignia exempla & motiua in hoc sacramento reuolunt, vt, v. g. humilitatis, quam in hoc mysterio Christus ad nos descendens, ac sese nobis accommodans, satis commendat, vt late & eleganter notauit Aug. Pf. 33. dicens, Nisi humilis esset, seque humiliasset Dominus Iesus, eum nec manducare, nec bibere potuissemus, & D. Th. Opusc. 63. c. 2. par. 3. diuinam humilitatem exaggerans, dicit: Eadem humilitas incomprehensibilem Dominum maiestatis coegit frequenter venire sub specie panis ad consolationem fidelium in sacramento. Et eodem modo possit in hoc mysterio diuinam patientiã contemplari. Nam in hoc sacramento sæpe ab inimicis suis se contrectari, & suscipi permittit, apparet et diuinam munificentiam, vt D. Th. citato loco dicit: Deus Pater corpus & sanguinem vni geniti dilecti filij sui Domini nostri Iesu Christi, sub specie panis & vini ad delectabilem refectionem animarum, tam continue ministrat, in quo totum, quod ipse est, & habet cum Spiritu sancto, in summo dedit, vt ipse fufius explicat. Et ad hunc modum poterit quiuis facile de aliis virtutibus ratiocinari.

Ex his igitur omnibus satis responsum est hæreticis dicentibus mysterium hoc esse, aut nobis inutile, aut Deo indignum: errant enim vehementer, non intelligentes, quid Deo dignum, nobis vero vtile sit. Et similia obijci solent a Paganis, contra mysterium Incarnationis, Passionis & mortis Christi, quia hæc indigna Deo iudicant. Quibus respondemus illis passionibus nihil diuinam maiestatem lædi, sed ad maiestatem suam, sapientiam, bonitatem, & omnipotentiam manifestare, & ideo nihil in illis esse, quod non maxime Deum deceat. Sic ergo in præsentibus dicimus, quidquid in hoc sacramento circa species sacramentales contingat, illæsum & impassibile manere Christi corpus, & aliunde omnia prædicta attributa eius in hoc opere egregie manifestari, & ideo nihil in hoc mysterio esse, quod ipsum non maxime deceat. Quod ad nostram verò vtilitatem spectat, iam satis ostensum est, quot vtilitates ex hoc sacramento nobis proueniant, quas licet Deus possit aliis modis in nobis efficere, nullus tamen excogitari potuit aptior, aut Deo dignior.

SECTIO VIII.

Utrum Christus sit permanenter in hoc sacramento post consecrationem, vel tantum in usu.

Qui admittunt realem præsentiam in hoc sacramento, dupliciter circa questionem hanc errant: quidam enim dicunt, humanitatem Christi vbiq. esse ratione Incarnationis, & hi consequenter aiunt, non habere hic specialem præsentiam ratione huius sacramenti, sed eodem modo adesse ante & post consecrationem, licet post consecrationem

Y y 2 alicor

aliter significetur, quam antea. Sed hic error non est hoc loco impugnandus: pertinet enim ad materiam de Incarnatione, ubi fundamentum illud de Ubiquitate, hereticum esse ostendi, & huic etiam mysterio contrarium. Nam inde fit, per verba consecrationis nihil fieri nec magis hoc, quod sub speciebus later, esse corpus Christi, quam lignum, & quamlibet rem aliam, nisi forte, quoad significationem, & ideo Concil. Trid. sess. 13. cap. 1. attente dixit, corpus Christi hic esse post consecrationem, & omnes Patres supra citati ante consecrationem dicunt esse panem, postea vero incipere esse corpus Christi.

Omissio ergo hoc errore, alia hæresis horum temporum est, Christum non esse in hoc sacramento permanenter; neque ante, neque statim post consecrationem, sed solum in ipso usu, quando ad communicandum sumitur, unde colligitur Eucharistiam, neque consecrandam esse nisi statim sit consumenda; neque seruandam esse in altari, neque circum gestandam, neque adorandam, saltem ante usum. Huius hæresis author dicitur esse Bucerus, cui Lutheranos omnes, inio & Lutherum ipsum eodem adhibuisse referunt, Roard. artic. 12. Hofius libr. 1. contra Brent. Castro, verbo, Eucharistia hæres. 11. Codrus libro 3. miscellaneartum, tracta. 8. & 9. ubi late refert huius erroris originem. Sanderus etiam libro 7. de visibili monar. hæres. 205. anno. 1555. refert in consensu VVitembergensi anno 1537. subseripisse in hunc errorem omnia capita Lutherane & Zuinghane doctrine. Lindanus in 4. indice hæres. tribuit etiam hunc errorem Nestorio, citans epistolam Cyril. Alex. ad Colosyrus, alios plures huius hæresis fautores refert Bellarm. libr. 4. a principio, ubi per sex capita late hunc refellit errorem.

Fundamentum huius hæresis solum esse potest, quia sacramentum hoc est institutum propter usum, ut patet ex illis verbis, Accipite & comedite: ergo tantum consistit in usu, sicut cetera sacramenta: sed Christus tantum est præsens, quando est sacramentum: Ergo. Et confirmatur, quia cetera sacramenta sunt quædam actiones sacræ, & extra quas elementa non sunt, nisi elementa: ergo idem dicendum est de hoc sacramento, si autem hoc sacramentum solum est in usu & actione, Christus erit in illo tantum in usu, quia tantum est in illo, dum est sacramentum.

Dicendum vero est primo, corpus Christi fieri præsens in hoc sacramento, finita consecratione ante usum. Hæc conclusio est deinde, quam infra, quæst. 78. iterum necessario tractaturi sumus, agentes de forma: nunc breuiter probatur, primo, ex verbis institutionis, nam, ut recte Concilium Tridentinum ponderauit, priusquam Apostoli Eucharistiam de manu Domini suscipissent, ipse dixit, Hoc est corpus meum: ergo veritas illorum verborum requirit præsentiam Christi ante usum, Christus enim non exiit, Hoc erit corpus meum, nec apposuit conditionem, si sumatur, sed absolute, & de præfenti dixit, Hoc est corpus meum: est autem verbum eius verum & efficax. Vnde Bucerus ad tuendum suum errorem verba formæ peruertit, & ita explicat, Hoc est corpus meum, id est, hæc actio exhibet corpus meum: sed hæc non est expositio, sed voluntaria corruptio verborum, contra eorum proprietatem & significationem, & contra totius Ecclesiæ sensum, & omnium Patrum expositionem: sic igitur argumentum concluditur. Aut veritas & proprietates verborum retinenda est, aut non: si non, omnino tollenda est præsentia, quia nullum relinquitur fundamentum, ad rem difficilissimam credendam, si vero primum, secundum idem Catholicam faciendum est: ergo statim consummatis verbis præsentia credenda est, quia hoc requirit veritas, & proprietates verborum. Hinc Irenæus lib. 5. capite 2. Quando mistus calix, inquit, & fractus panis suscipit verbum Dei, sit Eucharistia sanguinis & corporis Christi. Idem Chrysostomus Homil. de prodicatione

Judæ Ambros. libr. de myst. cap. 9. Adelm. epi. ad Ber. ring. & multi alij comparant efficaciam dictorum verborum cum efficaciam illorum, fiat lux &c. Confirmari potest ex Paulo, ad Corint. 10. dicente, Calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Sentit ergo calicem benedictum, seu consecratum sanguinem Christi continere: & infra, Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est? Ille ergo panis diuinus, qui distribuitur, & datur fidelibus, corpus Christi est, non igitur fit in ipso usu sed potius esse supponitur. Secundo, hæc est sententia omnium sanctorum Patrum dicentium, Sacerdotes Domini, ore suo, & verbo Christi, conficere hoc sacramentum, & panem in corpus mutare, quos infra, dicit & iterum, q. 78. suscipimus illa etur, & ideo nunc solum præter citatos referam Eusebium Emis. Hom. 5. de Paschate eadem. Sacerdos verbo suo secreta potestatem conuertit, & Greg. Nil. lib. de S. Baptismate, circa principium dicentem, Panis est in initio communis, sed ubi mysterium sacrificauerit, corpus Christi dicitur, & est, & eodem modo vinum, cum firmes exigui pretij ante benedictionem, post sanctificationem aut quæ à Spiritu sancto procedit, sanguis est Christi. Idem orat. Carethes. Hic panis per verbum Dei sanctificatur, & in corpus mutatur itum ut dicitur est à verbo, Hoc est corpus meum. Tertio probatur rationibus. Prima & præcipua sumitur ex institutione, quia Christus non dedit hanc virtutem vni, sed verbis, vt ex eorum veritate, & doctrina Ecclesiæ constat. Secundo, quia ex vi potest explicari probabili ratione, quando & quomodo incipiat esse præsens in usu. Quæro. an sit in tempore, vel in aliquo instantiatum. Item an quamdiu est in ore vel in gutture, vel quamdiu applicatur à sacerdote? quidquid n. dicas, nulla rōe aut fundamento fulciri pot. Vnde arguunt tertio, quia natura cibi est, vt sit res permanens, & vt prius sit, quam comedatur: vnde in conuicio prius præparatur & apponitur cibi, quæ sumantur, & ita Patres, ubi de sacramento hoc disputant, aliud dicunt esse, conficere hoc sacramentum, aliud distribuere. Vnde Dionys. de Eccle. Hierar. c. 3. p. 3. circa finem de mysteriis huius sacramenti loquens, dicit, Postulare vt tanto ministerio dignus fiat, & vt sacramenta sancte conficiat, & caste distribuat. Quarto hoc sacramentum licet sit propter usum, non tamen est ipse usus, sed est materia, quæ vendi est: & ideo supponitur vsui, ac deinde licet ad usum, non tamen solū est institutum ad usum sumendi, sed et, vt offeratur in sacrificium, & ideo prius quæ sumatur ad est Christus, quando immolatur. Quinto à posteriori est ratio ex usu Ecclesiæ, quæ prius, quæ hoc sacramentum distribuatur, adorandi proponit fidelibus, quæ esse à postolica traditione constat ex Liturgiis, Iacobi Basilij & Chrysi. & ex Clemente & alijs, quos referemus infra agentes de forma, nunc satis sint verba Dionysij, de Eccle. Hierar. c. 3. p. 2. Pontifex sacrosancta, & augustissima mysteria conficit, & quæ antea laudauerat venerandis operata atq; abdita signis, in conspectu agit diuinæque munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum communionem, & ipse conuertitur, & reliquos vt comunicent, hortatur. In quibus verbis illud et obseruare licet, aliud esse conficere mysteria, aliud sumere, vel distribuere, & illud præcedere, hoc vero subsequi: Statim vero post confectum sacramentum coli prius, quæ sumatur. Vltimo fundamentum hæreticorum ex dictis expeditur est, quia vt dixi, licet hoc sacramentum sit propter usum, non tamen est ipse usus: in quo differat ab alijs sacramentis. Quæ differetia ex traditione Ecclesiæ & ex propriis naturis sacramentorum & ex formis eorum intelligenda est: forma n. baptismi v. g. actio n. & vsus indicat, ego te baptizo: forma aut huius sacramenti non indicat usum, sed præsentiam Christi sub speciebus consecratis. Hoc est corpus meum.

Dico secundo, corpus Christi sub speciebus permanet, & durat post absolutum sacrificium etiam si à fid. li.

Roard.
Hofius.
Castro.
Codrus.
Sanderus.

Lindanus.

Bellarmin.

Conc. Trid.

Irenæus.

ad delibendum non consumatur. Est de fide, sequitur enim evidenter ex precedenti, & ex veritate verborum, ut infra exponam, & ita est definita in Tridentino. Cano. 4. & 6. Probatur præterea ex praxi & traditione Ecclesie. Primo enim fuit perpetua consuetudo servandi hostiam consecratam in Ecclesia, tum ob fideliū consolationem, & ad cultum & adorationem tum maxime, ut subueniatur infirmis, ne in extremo periculo præteriret viatico, ut significatur in Concilio Niceno, c. 12. & 13. clarius in cap. Presbyter. & cap. Qui bene, de consecr. d. 2. & in Concilio Vvornaciensi & Arelatensi. & Concilio Lateranensi, sub Innocentio tertio, cap. 19. & 20. & in decretalibus ex lat. titulus, & diligentia adhibenda in custodia Eucharistie, & ad hoc confirmandum multa sumi possunt ex his, quæ de praxi Ecclesie circa hoc sacramentum diximus supra, sectione 5. præsertim, quæ ex Ambrosio. oratio. de fratre suo Saty. 70. & ex Gregorio Nazian. orat. de sorore sua Gorgonia adduximus. Quibus addi potest Clemens Papa ep. i. ad Iacobum fratrem Domini, ubi dicit, vnum ex præcipuis Clericorum muneribus esse, ut corporis Domini particulas, quæ communicantibus supersunt, obseruent, & in li. 8. consilior. cap. 20. Postquam omnes sumpserunt, inquit, accipiunt Diaconi reliquias, & portant in Pastophoria, id est, in thalamum, ita enim vocat Sacramentum, in quo sponsum animarum collocatur. Optima sunt etiam verba Cyrilli, epistol. ad Colosyr. quæ referam statim conclusione sequenti. Præterea Amphylochius in vita Basilij refert, illum fuisse solitum servare Eucharistiam in aurea columba, quæ ante altare pendebat, & in fine vite obtulisse sacrificium, & quandam partem Eucharistie referuasse, ut eam in viaticum sumeret. Sunt etiam in Ecclesiasticis historiis multa exempla & miracula, quibus hæc veritas evidenter confirmatur: quæ est illud apud Gregorium Turonens. lib. 1. de gloria mart. capite 86. de Diacono, qui cum portaret pyxidem Corpus Domini continentem, hostia consecrata exire visa est, & ab altari volare, quoniam Diaconus ille impurus erat, & libidini deditus. Similia videri possunt in Beda libr. 4. Histor. Anglie. capite 24. & in vita Bernardi, libr. 1. capite 11. & alia plura ad hanc veritatem confirmandam afferunt citati auctores, & Claudius repet. 4. capite 12. Vltimo probatur ratione, quia hoc sacramentum non consistit in usu, sed habet esse permanentem: ergo licet non sumatur, permanebit sacramentum: ergo etiam in eo durabit Christi præsentia, quæ tamdiu durat, quamdiu ipsum sacramentum. Confirmatur congruentius adductis sectione præcedenti, quæ hic ferè accommodari possunt omnes: decuit enim ut Ecclesia Christi posset habere sponsum suum secum præsentem, non tantum in figura, ut olim Synagoga nec aperte & clare, ut beati, sed occulte ac tecte, veretamen & realiter.

Dicendum est tertio, tamdiu conservari Christum præsentem sub speciebus, quamdiu species illæ ita permanent, ut sub eis posset substantia panis vel vini conservari. Hæc conclusio colligitur fere ex omnibus Theologis, & Catholicis scriptoribus, Dico Thomas, in 4. d. 9. qu. 4. artic. 2. quæst. 1. & infra, quæstione 76. artic. 6. qu. 77. artic. 4. qu. 80. art. 3. Alenf. 4. p. quæ. 45. membr. 1. ar. 2. Durando, d. 9. qu. 3. ad 1. & d. 12. quæst. 3. & ibi Richardo, artic. 2. qu. 2. & d. 9. art. 1. quæst. 1. & ibi Paludano, quæst. 1. & dist. 12. qu. 5. & ibi Scoto, quæst. 6. Maior. qu. 4. Gabr. quæ. 1. artic. 3. dubio tertio, & lect. 84. in canon. Capreolo, d. 13. quæst. 1. artic. 3. & recentioribus omnibus. Et in primis, quod corruptis speciebus desinat sub eis esse Christus, nullus dubitat, licet nonnulli id male explicant, ut infra qu. 76. videbimus. Et ratio est, quia nec consecrantur, nec habent rationem sacramenti, nisi species panis & vini. Quod vero Christus sit ibi, quamdiu illæ durant, probatur primo ex verbo Christi: Hoc est corpus meum, habet enim firmam & stabilem veritatem: ergo quamdiu

Franc. Suarez Tom. 3.

sensibile, seu contentum sub his speciebus sensibilibus, signari potest, tamdiu vere dicitur esse corpus Christi ex vi & efficacia eiusdem verbi. Vnde Cyrill. Alex. ep. ad Colosyr. apud Turria lib. 4. pro epistolis Pontificiis, cap. 19. Insuper inquit, qui dicunt, mysticam benedictionem non ita valere ad consecrationem, ut remaneant reliquie eius benedictionis in alterum diem: non enim alteratur Christus neque sanctum eius corpus mutatur, quin potius virtus benedictionis, & vivifica gratia perpetua est in eo. Ex quibus verbis plures huius veritatis confirmationes colligi possunt. Prima est tacta supra qu. 63. art. 5. quia species consecrata, quamdiu durat, consecrata permanet: ergo continent corpus Christi. Secunda, quia illæ species manent, quasi informata, & ad significandum determinata à precedenti forma: ergo quamdiu durat, significationem retinent efficaciam & veritatem, ergo retinent Corpus Christi. Tertia, quia hæc præsentia, & quasi coniunctio Christi cum speciebus, est veluti quoddam donum gratuitum Dei, quod ex parte Christi, aut Dei non aufertur, si in altero extremo non sit mutatio, sicut hac ratione vno hypostatice, vel vno per gratiam, aut gloriam, immutabiles sunt, si ex parte alterius extremi seu hominis non ponatur impedimentum. Quarta, quia Christus peracta consecratione permanentem manet sub speciebus: ergo quamdiu manent species, durat præsentia Christi. Patet consequentia, quia nulla alia lege vel ratione potest definiri tempus, quod illa præsentia dureret: si enim durantibus speciebus recedit Christus, vel hoc facit pro arbitratu, absque vlla certa lege, seu promissione, & hoc esset magnum Ecclesie incommodum, alias nunquam possemus esse certi, an dureret Christus in hostia consecrata, vel iam recesserit: Si autem in hoc est aliqua certa lex & promissio, nulla certe alia excogitari potest certior, & Ecclesie sensui magis consentanea. Ex quibus sequitur primo, errasse hæreticos, asserentes, quando aliquis indigne accedit ad hoc sacramentum, statim Christum recedere, & substantiam panis redire, antequam comedatur, est enim hæc aperta hæresis, & contra Paul. 1. ad Cor. 11. dicentem, Qui indigne manducat & bibit, &c. & in ipsa prima institutione damnata est hæc hæresis, nam in illa manducatur Iudas Corpus Christi, ut supra diximus ex sanctis Patribus, & plura de hac dicemus infra qu. 80. agentes de vlti legere contra hunc errorem Guid. lib. 1. de hoc sacramento.

Sequitur secundo, falsam esse sententiam eorum, qui dixerunt recedere Corpus Christi, si in lutum cadant species, vel si pollutis manibus attingantur, de quibus in sequentibus dicitur sumus latius.

Sequitur tertio, errare eos, qui dixerunt, durare Christum sub speciebus, donec sumantur, statim vero, ac sumuntur recedere, antequam alterentur seu corrumpantur, ita docuit gloss. in capite, Tribus gradibus, de consecratione. d. 1. & in cap. Non iste, ibi. & antequam indicant. Hugo Viçto. l. 2. de sacrament. p. 8. c. 13. & Innoc. lib. 4. de hoc myst. capite 15. sed hi duo auctores explicari quodammodo possunt, ut infra in fin. quæstion. 76. dicam: illius vero glossæ sententia nimis falsa est, & piæ aures offendit. Primum est contra mentem omnium Catholicorum, qui suscipientes Christum, tamdiu existimant illum intra se retinere, quamdiu conuersio vel immutatio panis durare potuisset, & ideo diligentius student eo tempore se colligere & orationi vacare. Vnde Clem. Papa ep. 2. Qui refectiva corporis, quæ in altari relicta sunt, consumunt, non statim ad communes accipiendos cibos conueniant, ne sanctæ portioni commisceant communem cibum. Confirmatur ex cap. Si quis, de consecr. d. 2. ubi imponitur pena ei, qui propter ebrietatem euomerit Eucharistiam, vnde ex vlti Ecclesie, si contingat euomi ab infirmo, ad oratur & habetur, ut verum sacramentum. Præterea, quia, si corpus Christi in pyxide existens, durantibus speciebus, non recedit, cur disce-

s. Cyrill. Turrian.

t. Cor. 11.

Guilmund.

Falsum est: Christi recedere ab hoc sacramento, antequam alterentur seu corrumpantur species.

s. Clemens.



det existens intra hominem, cum hæc præcipue de causa ibi permaneat, vt quodammodo cum homine corporaliter & familiariter coniungatur, vt Cyrillus. Hilar. & alij Patres loquuntur. Confirmatur, quia alias aperitur via, vt aliquis dicat, Christum reuera non ingredi corpora nostra, sed recedere, cum primum species ad os perueniunt, quod si hoc est hæreticum, quia Christus dixit: carnem suam manducari: ita illud est omnino falsum, quia sicut cibus, qui manducatur intrat corpus manducantis, ita in eo manet, donec conuertatur: Vnde Christus etiam dixit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, manet in me, & ego in illo. Denique ante alterationem specierum, non succedit ibi alia substantia: ergo nec recedit substantia Christi: Antecedens patet, quia nec panis redit ex omnium sententia, vt infra videbitur, nec ad aliam substantiam sunt dispositiones sufficientes: Consequenter vero probatur, quia species non manent vacuæ: prædicta ergo regula certa & inuolabilis retinenda est, alioquin non possunt similes errores facile vitari.

DISPUTATIO XLVII.

De eadem præsentia Christi in hoc sacramento, Quid sit.



Hæc pauca dicunt Theologi, eam enim ex professo non disputant, sed attingunt tantum, dum de transubstantiatione differunt: ex illo tamen, non parum lucis posse huic materię afferri, si exacte, quid hæc præsentia sit, intelligitur, & quomodo ad præsentiam Corporis Christi in propria specie comparetur: illud ergo prius in hac disputatione diligenter explicare curabo, & inquirere, tam re, quam modum loquendi, qui ex illa consequitur, declarando, de altera vero comparatione sequentem disputationem inuestigabo.

SECTIO I.

An hæc præsentia sit aliquid reale & intrinsecum Corpori Christi, & ab eo aliquo modo distinctum.

Præsentia Christi in Eucharistia est vera res, seu modus realis. Scotus. Conc. Trid.

Omnia opinionibus, quoniam eas in sequentibus attingemus breuius & commodius, dicendum est primo, præsentiam hanc esse rem aliquam veram, seu modum realem in rerum natura existentem. Hanc conclusionem existimo esse certissimam, & communem Theologorum, dist. 10. & 11. vbi Scot. distinctius eam attingit, d. 10. q. 1. d. 11. q. 3. artic. 2. & vt probetur, suppono verba Concilij Tridentini, sessio. 13. cano. 1. definitis, Christum esse sub speciebus, vere, realiter, ac substantialiter. Quibus verbis intendit docere totam rem, totamque substantiam vere ac proprie existere (vt sic dicam) intra species, & esse intime propinquam, seu indistantem ab illis. Et hoc esse debet fundamentum totius huius disputationis, & hoc ipsum confirmant omnia, quæ in præcedenti disputatione tractata sunt. Ex hoc ergo concludo primo, Christum esse sic realiter præsentem speciebus, est effectus realis in rerum natura: ergo præsentia ipsa est aliquid reale. Patet consequentia, quia per præsentiam fit formaliter præfens realiter: antecedens patet, tum ex sententijs Patrum afferentium, esse inigne opus diuinæ omnipotentię Christum fieri hic præsentem, tum etiam, quia si non est realis effectus, nihil erit, nisi fortasse aliqua significatio, vel metaphora. Et confirmatur primo, quia ratione huius præsentię vere ac realiter Christus à nobis sumitur, & intra nos existit, sed hæc & similia aliquid reale sunt, alioquin incidemus in hæresim Caluini dicentis, sola fide apprehendi. Confirmatur secundo, quia hæc præsentia est fundamentum veræ relationis realis, propinquitatis & distantię: Christus enim existens in altari, realiter est nobis propinquior, quam

ante consecrationem: ergo necesse est, hanc præsentiam aliquid rei esse.

Dico secundo. Hæc præsentia realis, præter ipsam substantiam Corporis Christi, dicit aliquid intrinsecum illam efficiens, explicatur & probatur, quia corpus Christi esse præfens in hoc sacramento, in primis requirit, vt substantia corpus Christi ibi adhit, & contineatur, quod per se notum est in fide: hoc enim sensu probauimus hæc præsentiam Christi. Deinde, illum adesse ibi, aliquid est, quod ante consecrationem non erat, & non est denominatio extrinseca in ipso corpore Christi: quia, scum ante consecrationem non esset Christus, nisi tantum in celo, intelligi non potest, vt denuo fiat realiter præfens terræ, & propinquus rebus, à quibus antea distabat, illis non mutatis, per solam extrinsecam denominationem, absque aliquo nouo modo reali in ipso corpore Christi. Confirmatur, quia nulla est forma realis extrinseca, à qua possit hæc denominatio provenire. Dices, possibile est, ut aliquo modo in ipso corpore Christi, sicut Verbum diuinum denominatur, Homo, ab humanitate illi vnita, sine nouo modo in ipso Verbo existente. Respondeo, posse quidem Christi corpus denominari ab speciebus contentum, vel aliquo modo vnictum illis, & quodammodo etiam panem sacramentalem, tamen hæc denominationes supponunt Christum realiter præsentem sub speciebus, quæ præsentia, non potest esse tantum denominatio extrinseca ab illis, sed requirit nouum modum existendi in ipso corpore: nam ante consecrationem, Christus non erat præfens loco, vel spacio, in quo sunt species, vel speciebus ipsis: & ideo non possunt species tribuere formaliter corpori Christi, vt sic præfens, nisi ipsum corpus in se alter se habeat, alioquin manens in solo celo posset denominari extrinsece præfens à speciebus: vt in exemplo adducto, si Verbum diuinum ante incarnationem non esset vbi que, impossibile fuisset realiter coniungi humanitati in vtero B. Virginis, nisi prius intelligeremus, acquirere ibi modum præsentię, quæ fieret ab humanitate indistans, licet modus vnionis nihil illi postea superadderet: nunc autem non indignit noua præsentia, quia per suam immensitatem est vbi que præfens. Aliter etiam explicatur, nam si vera esset hæc hereticorum dicentium, Christi humanitatem esse vbi que, tunc verissimum esset, non oportere, vt per consecrationem adderetur corpori Christi aliqua præsentia, vel modus intrinsecus, sed sola denominatio, vel vnictio specierum: ipsa tamen vbi queitas esset realis intrinsecus modus in ipsa Christi humanitate, nam ratione illius esset veluti diffusa realiter per omnes res, & intime in illis: supposita ergo fidei veritate, quod ante consecrationem humanitas non est vbi que, nec realiter intra species, quam per consecrationem se est, vt hæc præsentia, quam per consecrationem acquirat, sit aliquid intrinsece efficiens, aut denominans ipsum Corpus Christi.

Dico tertio, Hæc præsentia est aliquid ex natura rei distinctum a substantia corporis Christi, & ab omnibus accidentibus, quæ in celo habet. Probatur, quia neque ex vi substantię, neque ex vi omnium istorum accidentium sic realiter præfens, aut indistans à speciebus, illis immutatis manentibus, secundum præsentiam realem seu localem: quod tamen habet ex vi huius præsentię. Secundo hæc præsentia acquiratur corpori Christi, per notam actionem realem: ergo necesse est, vt aliquid addat ex natura rei distinctum. Simile argumentum est, quia hæc præsentia potest amitti, integra manente substantia corporis Christi & omnibus accidentibus, quæ habet in celo: & tunc aliquid reale amittitur in hæresim corporis Christi: ergo necesse est, esse aliquid ex natura rei distinctum ab illis, quæ manent in illo. Qui enim intelligi potest, vnum realiter separari ab alio, & per actionem reale posse illi addi, absque aliqua distinctione, quæ in

quæ in re ipsa sit. Vnde simili argumento concludimus, substantiam distingui ex natura rei à natura, & unionem humanitatis ab ipsa humanitate & motum localem à mobili, & figuram à quantitate, & sic de aliis modis. Vna sola superest difficultas: quia hinc sequitur, corpus Christi mutari, cum consecratur, quod D. Thom. & Theologi negare videtur. Sed de hac re propria quaestio est inf. instituenda: Nunc breuiter dico, non mutari mutatione, qua aliquid deperdat, sed qua aliquid tantum acquirat.

Dico quarto, hæc præsentia non est res omnino realiter distincta à corpore Christi, sed solum modus eius. Probatur primo, quia nõ est necessaria alia distinctio, imo neque intelligi potest, rem fieri præsentem præsentia entitatiua, per aliam rem à se distinctam, vt, inductione facta in rebus omnibus, facile videri potest. Et ratio non est alia, nisi quia hæc præsentia est tam intima, & propria cuiusque rei, vt maiorem distinctionem non patiatur: sicut ergo figura propter eandem causam non potest intelligi realiter distincta à quantitate: ita neque hæc præsentia à re præsentis, quia non aliter fit præsens, quam exhibendo seipsam. Deinde ita declaro: quia, vt ex metaphysica constat, nullum prædicamentum asserit per se entitatem suam, distinctam ab omnibus reliquis, nisi substantia, quantitas aut qualitas: reliqua autem omnia sunt modi istorum: hæc autem præsentia non est substantia quatenus à substantia corporis distinguitur, vt per se manifestum est, an vero sit modus substantialis, infra dicam: hic enim non refert, quia, licet esse huiusmodi, non esset res omnino distincta à substantia, sed modus: quod attem non fit etiam quantitas, per se notum est, nam potius est intellectu difficillimum, quomodo quantitas secum admittat hanc præsentiam, vt ex sequentibus constabit. Denique hæc præsentiam non esse qualitatem aliquam constat, & ex effectu formali eius, quia solum facit, corpus esse hic, vel alibi, hic autem non est effectus qualitatis: tum præterea, quia omnis qualitas, quæcunq; illa esse fingatur, est indifferens ad hanc præsentiam, & potest illam mutare, & nunc esse hic & postea alibi, quod repugnat formali præsentia, vt sic. Tandem hæc præsentia acquiri potest, sine alteratione corporis per solum quasi localem mutationem, nõ est ergo qualitas, atq; adeo neq; entitas omnino realiter à corpore distincta, sed tantum modus eius.

SECTIO II.

Quid proprie in specie sua, & cuius prædicamenti sit hæc præsentia.

Prima opinio esse potest, hæc præsentiam reuocari ad prædicamentum substantia, non vt substantiam integram, neque vt partem, sed vt modum substantialem. Quam opinionem aliqui tribuunt D. Thomæ, eo quod quaestione seq. arti. 3. & 4. dixerit, corpus Christi esse hic per modum substantia, & eodem modo citari potest Conc. Trid. quia dixit, corpus Christi esse hic substantialem. Et deinde explicari potest, quia corpus Christi sit hic per transubstantiationem: ergo acquirat aliquid substantialem: & non acquirat, nisi hunc modum, ergo. Denique corpus Christi succedit hic, loco substantia panis, & supplet vicem eius, substans accidetibus sine imperfectio: sed hoc totum est munus substantia: substare enim accidentibus, proprius modus substantia esse videtur: erit ergo modus substantialis.

Secunda sententia esse potest, hæc præsentiam esse relationem, ita significat Scotus, d. 10. q. 1. art. 1. & d. 11. q. 1. art. 1. 2. & 3. Vbi hæc præsentiam vocat respectum extrinsecus aduenientem, quem solum dicit fieri in corpore per actionem cõsecrandi. Sed, vt videbimus, Scotus solum differt in modo loquendi. Alia via tenet hæc sententiam Durand. d. 11. q. 1. vbi dicit, hæc solum esse præsentiam ordinis, & ita illam

ponit solum in quadam relatione ordinis corporis Christi ad species, ratione cuius ita se illis exhibet, vt sine sui mutatione, possit in illis & per illas, aut vbi cunq; illæ fuerint, operari: sicut alias dixit, angelum esse in loco, vel vbiq; per præsentia ordinis, aut Christi animam descendisse ad inferos solum per eandem præsentiam. Præterea Caietan. q. 79. art. 6. sentit esse sacramentale corporis Christi, relatiuum esse: tribui etiam solet hæc opinio Capreol. d. 10. q. 1. art. 3. ad 3. Durand. contr. 2. conclus. sed immeritò, vt videbimus.

Tertia sententia esse potest, hæc præsentiam esse actionem corporis Christi circa species, quas effectiue sustinet, vt per se sint: sicut spiritualis substantia dicitur esse præsens corpori per actionem, vel operationem, quam circa illud exhibet, & eius præsentia nihil aliud esse videtur, quam eius actio vel operatio: sic ergo existimari potest in præsentis, quia Christus est præsens speciebus modo indiuisibili, & quasi spiritali & angelico, cum non sit modo quantitatiuo, sed totus in toto, & totus in qualibet parte.

Dicendum est primo, hæc præsentiam non adde- re corpori Christi modum aliquem substantialem, qui ad prædicamentum substantia reuocari possit. Hæc conclusio est communis Scholasticorum, vt existimo: omnes enim fatentur, quicquid est in hoc sacramento, præter substantiam Christi, quod pertinet ad modum existendi hic, esse accidens in corpore Christi. Dicunt verò quidam, esse accidens prædicabile seu in modo prædicationis, non verò prædicamentale, seu in essentia sua. Hoc autem est contra sensum Theologorum, vt constabit facile legenti eorũ scripta, & ex his, quæ tam hic, quam infra disputantes de transubstantiatione, asseremus. Et ratione patet, quæ primo sumi potest ex ratione modi substantialis: est enim de ratione huiusmodi, vt ad compositionem, seu ad complementum substantia intrinsece pertineat: quia si substantia est in suo genere omnino integre completa, & constituta, omnis modus illi adueniens est prorsus extra rationem substantia, quod potest inductione facta facile suaderi. Vnio enim, verbi gratia, formæ cum materia, modus substantialis est: quia intrinsece concurret ad compositionem naturæ: substantia similiter est modus substantialis, quia intrinsece pertinet ad cõstitutionem personæ. Vnde in humanitate Christi, vt vnio effectus substantialis modus, necessarium fuit, vt illa median- te fieret alius modus compositionis personæ: & contrario verò extensio, verbi gratia, localis, & omnis alius modus similis, non est substantialis, quia iam nõ pertinet ad constitutionem substantia in suo genere est ergo illud de necessitate, & essentia talis modi. Et ratio est per se nota, quia, nisi modus sit huiusmodi, non est, cur magis pertineat ad substantiam, quam omnes modi aliorum prædicamentorum: loquere- nim de modo pertinente ad substantiam in factò esse vt ablineam ab ipso fieri, vel productione substantia, quam etiam multi vocant substantialem modum. Quod, si verum est, etiam id habet, quatenus aliquo modo constituit substantiam, seu ad illam terminatur. Sed hæc disputatio nunc nostra non refert, quia hic modus præsentia non est fieri substantia, sed afficit substantiam in factò esse. Quod autem modus sic afficiens substantiam non pertineat aliquo modo ad complementum, vt substantialis esse: probatur, quia corpus Christi tam plene constitutum, & integrum substantialiter est in celo, sine hac præsentia, sicut in sacramento.

Item, in nulla alia re sola præsentia pertinet ad cõplementum substantia eius (de rebus creatis loquor) vt patet in præsentia angeli, & in præsentia, quam corpus Christi habet in celo. Deniq; ipsum nomen præsentia hoc denotat, quod non constituit rem existẽtem, sed rem, quæ iam existit, facit præsentem locali- ter, vel quasi localiter, vt ita dicam. Secundo proba-

Hæc præsentia solum est modus præsentis Christi.

Secundum opinionem Scoti.

Contra Trid.

Alii esse re- lationem.

Durand.

Alii esse actionem qua Christus sit species ut per se sint.

Prima est præsentia hæc non est modus substantialis.

tur conclusio, quia tria possunt intelligi in corpore sub speciebus. Primum est, quod est intime in illis, & realiter indistans ab illis. Et de hoc manifestum est, non posse esse substantialem modum, id est, pertinentem ad predicamentum substantiae, sicut patet à simili, in Angelo, & in quantitate: cuius praesentia non pertinet ad quantitatem, sed ad Vbi. Item, quia haec praesentia, quo ad hoc per mutationem quasi localem mutatur, sine substantiali mutatione, ut statim explicabitur, etiam in Corpore Christi, quando in hoc sacramento eleuatur, aut circumfertur. Secundum, quod in hoc sacramento intelligitur, est quidam indiuisibilis modus existendi corporis Christi, quia est totum in totis, & totum in qualibet parte specierum. Et hoc non magis potest esse modus substantialis, quam praecedens: quia haec in re non sunt duo, sed tantum conceptu, per modum genericum, & specificam rationis: illa enim ratio praesentiae, communis est ad indiuisibilem & diuisibilem praesentiam: & in corpore Christi, prout hic existit, illa praesentia constituta est in specie praesentiae indiuisibilis, quam specificationem infra sum latius explicaturus. Si ergo praesentia illius corporis non est substantialis modus neque talis praesentia substantialis modus erit: sicut in Angelo praesentia indiuisibilis, quam habet in loco, non est modus substantialis, tum, quia nullo modo constituit substantiam Angeli, tum etiam, quia hic modus facile transmutatur, cum tamen Angelus substantialiter immutabilis sit. Vnde, ad hoc magis explicandum, aduertendum est, duo posse in Angelo considerari. Vnum est, esse substantialiter indiuisibilem. Et hic modus est substantialis, & essentialis in Angelo. Alterum est, esse in loco, seu praesentem modo indiuisibili. Et hoc est accidentale, & amitti potest, vel mutari per modum localem: sicut è contrario in substantia corporea esse substantialiter extensam in se, est modus substantialis & immutabilis: esse autem extensam in loco, seu in praesentia ad locum, est accidentale: corpus autem Christi in hoc sacramento, non participat indiuisibilitatem substantialem Angeli, nec caret substantiali extensione: hoc enim contradictionem implicat, quia substantialis extensio, est de intrinseco conceptu substantiae materialis, ut infra dicam: participat ergo solum modum indiuisibilis praesentiae, qui accidentalis est in proprio subiecto, scilicet, in substantia spirituali: ergo multo magis in inferiori, à quo participatur: proprietates enim connaturales superiori naturae, non participantur ab inferiori, nisi medio accidente praesertim si talis proprietates accidentalis sit. Confirmatur, quia etiam quantitas Christi participat hunc modum praesentiae & tamen non participat modum substantialem. Denique hic modus opponitur directe modo existendi in loco diuisibiliter, seu accidentaliter: ergo est accidentalis, sicut ille, sunt enim eiusdem ordinis. Tertio considerari potest in corpore Christi modus vniouis ad species sacramentales. Et hic videri posset substantialis, sicut in anima rationali informantem corpus, quamuis praesentia ipsa quasi localis, non sit modus substantialis, tamen modus vniouis ad corpus est substantialis. Sed neque hoc dici potest in praesentia, quia in corpore Christi reuera nullus est talis modus vniouis, qui sit aliquid in ipso, praeter praesentiam & actionem, per quam talis praesentia fit, quae non potest magis esse substantialis, quam ipsa praesentia: tum praeterea, quia, etiam si admitteremus talem modum vniouis, ille non potest esse substantialis, utrumque vero ostendam in sectione sequenti. Nec D. Tho. in 1. sent. citatus huic contradicit assertioni: aliud est enim, Christum esse hic per modum substantiae, aliud est, esse per substantialem modum: hoc enim posterius est falsum, ut ostensum est: prius tamen est verum: tantum enim significat, modum illum, quamuis accidentalis sit, esse tamen proportionatum substantiae, secundum rationem suam, seu

afficere illam modo accommodato substantiae, ut sic, non prout natura quantitatis requirit, sicut Angelus est praesens per modum substantiae, non autem per substantialem modum. Et idem dici potest de illo termino, substantialiter, quo vsus est Con. Trid. quamuis propria mens Concilij solum fuerit dicere: totam substantiam Christi vere esse hic praesentem. Caetera, quae in illa prima opinione dicebantur, nullius sunt momenti, ut ex dicendis patebit.

Dico secundo: Haec praesentia non est propriae ratio predicamentalis, seu secundum esse, ita docuit Capreol. in 4. d. 10. q. 1. ad argumenta Aureoli, contra 1. concl. & Caiet. fortasse non contradicit sed intendit, quod in vltima conclusione dicam: Scotus etiam in re non dissentit, sed solum in modo loquendi: ille enim omnes modos absolutos, qui per aliquam habitudinem à nobis explicantur, extrinsecos respectus vocat, ut modum vniouis humanitatis cum Verbo, & Vbi quantitatis: quibus exemplis hic vtitur. Probatur autem conclusio, quia haec in primis non potest esse relatio rationis, quia ostensum est, hanc praesentiam esse aliquid reale: Deinde nec potest esse relatio realis: primo, quia est fundamentum relationum realium propinquitatis & distantiae, quae sine mutatione terminorum resultant in corpore Christi, facta in eo haec praesentia: illa autem nullum habet fundamentum, ex quo resultet, sed potius per se fieri potest propria actione seu mutatione, ut etiam Scotus concedit, & ex sequentibus constabit. Rursus non habet terminum realem, à quo essentialiter pendat: nam maxime à speciebus: at vero licet de facto destructis his speciebus, Corpus Christi amittat hanc praesentiam, tamen non est id essentialiter: posset enim Deus, destructis speciebus, immutatam conseruare Corpus Christi, vel sub aliis speciebus, vel sub nullis: nulla enim repugnantia vel contradictio in hoc intelligitur, sicut videre licet in duobus corporibus, si diuina potentia intime sibi inuicem praesentia per penetrationem constituantur. Item, in praesentia quam Angelus habet in caelo, & in omni alia simili: licet enim, quo ad relationem mutam, quam ego, ad tollendam æquiuocationem, voco relationem intimam propinquitatis) manere non possit vnum sine alio, tamen, quo ad intrinsecum modum praesentiae, quem res habet, quam diu non mutatur, seu quem intrinsece requirit, quando mutatur localiter, nunquam vna res pendet ab alia, cui est propinqua: ergo haec praesentia nullam habet proprietatem vere relationis realis. Et confirmari potest exemplo praesentiae & quantitatis, & praesentiae Angelicae, quae sine dubio relationes vere dici neutiquam possunt. Neque contra hanc conclusionem aliquid in secunda sententia assererebatur, quod responsum postulet. Quod autem Durandus dicebat de praesentia ordinis, non solum falsum, sed erroneum est, sicut exempla, quae adducit de descensu ad inferos, per solam praesentiam ordinis, & de vbi quantitate Angelorum, error est, ut ex propriis locis constat. In praesenti vero destruit Durand. veritatem realis praesentiae & realis sumptionis Corporis Christi in hoc sacramento: quia illa praesentia ordinis, tantum requirit praesentiam secundum virtutem, & efficaciam, non secundum rei entitatem & substantiam. Vnde, si Corpus Christi, existens tantum in caelo per essentiam & substantiam suam, haberet sufficienter virtutem applicatam ad operandum in terra, vel in quolibet corpore distate, sine sui mutatione, diceretur illo modo, esse praesens omnibus rebus praesentia ordinis: ergo, si tantum hoc modo existit in hoc sacramento, non est verum, esse in eo substantialiter, & reuera indistans à speciebus, per entitatem suam, sed satis erit, quod habeat applicatam virtutem: quo modo probabile valde est, esse etiam in baptismo, & in aliis sacramentis, quia, ut supra dixi, probabile est, in omnibus, & cum omnibus immediate operari, illa ergo sententia Durandi in hoc sentit

sentu heretica esse: si autem quolibet alio modo eam interpretetur procedent rationes facta.

Dico tertio: Hæc presentia non est actio aliqua corporis Christi circa species. Probatur, nam interrogatum quænam actio sit: dicunt aliqui, esse actionem, qua Christus eleuat species veluti in actu primo, vt tunc proximum instrumentum gratiæ. Sed hæc tantum sunt voces, quia illa nulla actio est circa species: quia si est actio, aliquid operatur: Christus autem nihil operatur in speciebus, quo in actu primo eleuentur, quia vt supra de sacramentis in genere dixi, hæc instrumenta nullam virtutem inhererent recipiunt, quæ sit per modum actus primi: dicuntur ergo species esse eleuatae solum, quia præsentem continent Christum, ratione cuius habent paratum concurrendi proportionatum ad efficiendam gratiam. Alij dicunt, hanc actionem esse, qua corpus Christi effectiue sustentat accidentia vt per se sunt, & hæc actio est possibilis & probabilis, vt dicam dubio sequenti: tamen est incerta, cum tamen presentia certissima sit: quod est aliquod indicium, actionem non esse presentiam ipsam. Deinde certum mihi est, talem actionem non esse necessariam ad presentiam, quia licet Deus conseruet species separatas, medio corpore Christi, tamen posset seipso, immediate conseruare, corpore Christi immutato manente: hoc enim nõ repugnat, cum intellectus optime concipiat duas res sibi inuicem presentes, seu intime propinquas, sine mutua actione: ergo signum est, presentiam non esse actionem. Præterea illa actio, si est, non est subiectiua in corpore Christi, sed in speciebus: est enim per modum actionis transeuntis, quæ identificatur cum termino: ostendimus autem supra, præsentiam hanc esse in ipso corpore Christi: non igitur est actio ab illo fluens. Denique hæc presentia fit virtute, & efficacia verborum: actio autem corporis Christi circa species non fit per actionem verborum: tum, quia ad actionem non est alia actio, tum etiam, quia prius intelligitur verba habere suum effectum, & terminum suæ actionis, & postea subsequi, si quæ est actio inter corpus & species: actio ergo non est presentia.

Obiicit, quia corpus Christi est hic præsens, ratione conuersionis panis in ipsum, vt D. Thom. art. sequenti, & sepe alias loquitur: ergo conuersio est ratio huius presentia: ac vero conuersio est actio, ergo. Confirmatur, quia substantia non est præsens alicubi, nisi aut per quantitatem, aut per actionem, sed corpus Christi, non est hic præsens, ratione quantitatis, quia non est quantitatiue, ergo: Respondetur ad argumentum, cum Scot. d. 10. q. 2. conuersionem esse veluti viam ad hanc presentiam, siue per se primo, siue secundario ad illam terminetur, de quo postea: nõ est tamen ipsa formalis presentia in facto esse: & argumentum clarum est, quia conuersio in instanti transit, presentia aut permanet. Et hoc argumentum obiter et declarat, hanc presentiam non esse passionem aliquam, in corpore Christi receptam, sed terminum illius actionis, quæ fit circa corpus Christi in hoc sacramento, siue illi actioni proprie respondeat passio, siue non: & siue sit terminus primarius siue consequens: presentia enim vt ex ipis terminis clarum est, non dicit aliquid consistens in fieri, sed id, quod permanet & factum est. Ad confirmationem absolue respondeo, negando assumptionem: tamen ob maiorem claritatem, quando aliqua substantia dicitur esse alicubi, duplex respectus potest importari. Primus, qui solet dici transcendentalis, qui consistit in dicto modo presentia, & hoc sensu negauimus illud antecedens: quia substantia non per actionem, sed per se ipsam & modum sibi intrinsicum est, vbiunque est: sic vt quantitas per se ipsam & modum suum, est, vbi est præsens, quamuis extrinseco corpore non circumscriptur, vt in vltima sphaera videre licet. Actio tamen modo dicitur res esse alicubi, id est, in aliquo corpore extrinseco, quod contingit, vel à quo

circumdat. Et in hoc modo dicitur vna res esse in alia, media quantitate: & quando deest quantitas, dicitur metaphoricè esse in alia, vel contingere aliam; media actione, & hoc sensu dici potest corpus Christi esse aliquo modo in speciebus per actionem, qua illas sustentat: de qua inferius dicemus: nunc enim solum agimus de propria & intrinseca presentia.

Dico quarto: Hæc presentia est modus realis corporis Christi, qui ad prædicamentum vbi reducitur, quia maximam proportionem habet cum illo modo quo res est alicubi: ita D. Thom. in 4. d. 10. q. 1. art. 3. q. 1. ad 1. Capreol. lib. 10. q. 1. artic. 3. ad argumenta contra primam conclusionem. Ferrar. 4. contra Gent. c. 63. & idem supponunt omnes authores, qui ratione huiusmodi, simpliciter dicunt, Christum esse in pluribus locis. Hugo Vict. lib. 2. de sacramen. p. 8. c. 11. Bonau. d. 11. ar. 1. q. 1. 2. & 3. Durand. q. 1. Scot. d. 1. q. 1. & 2. Palud. q. 1. Maior q. 4. Gabr. q. 3. & lect. 43. & 46. in Cano. Alanus lib. 1. de Eucha. c. 38. nec solum Scholastici, sed etiam sancti Patres ita loquuntur, vt videlicet in Chrysof. Homil. 24. in 1. ad Corinth. Hom. 16. ad Hebræos, & alijs, quos disput. præcedenti sect. 4. citauimus. Quin etiam fauet Concilium Trid. sess. 13. ca. 1. dicens: Neque hæc inter se repugnant, vt Christus in caelo absideat, iuxta modum existendi naturalem, & vt multis alijs in locis sacramentaliter præsens, sua substantia nobis adsit. Ratione probatur, primo ex dictis, quia cum hic modus realis sit, oportet ad prædicamentum aliquod reuocari, sed ad nullum aliud pertinere potest, vt de sex primis aperte ostendimus, & de tribus alijs, Situ, Quando & Habitu est per se clarum: quia Situs supponit vbi quantitatum, & est modus eius. Quando vero, quia vel est tempus extrinsecum, vel est intrinseca duratio, quæ supponit rem, quæ durat, & ita etiam hic duratio presentia supponit presentiam. Habitus vero est res extrinseca, quamquam respectu specierum fit cum eo aliqua proportio, vt statim dicam. Tantum ergo superest prædicamentum vbi. Quod vero cum eo habeat conuenientiam, ita declaro: quia in corpore existente in loco, præter superficiem ambientem, est modus presentia corporis, vt replentis hoc spatium, qui modus manet mutatis seu fluentibus superficiebus ambientibus, si corpus non mutetur, & corrumpitur, mutato corpore, et si superficies ambiens eadem sit, & in vltima sphaera, quæ non circumscriptur corpore, optime intelligitur hic presentia modus: ita ergo in Christi corpore intelligimus, in time adesse præsens speciebus, & spatio earum, quod ipse replent: hic ergo modus similitudinem habet cum modo locali: quamquam differat à modo proprio quantitatis, quod illa est tota in toto, & pars in parte spatij: Christus autem est totus in toto, & in singulis partibus, vt infra dicemus. Explicari præterea potest, quia in substantia panis duo considerari possunt, alterum est substantia ipsa alterum est modus presentia localis, quem sub speciebus habet: nam, licet per quantitatem dicatur esse in loco, ita, vt repleat & corporaliter occupet illum, tamen propriam presentiam per se ipsam habet, eamque retinere posset per diuinam potentiam destructa quantitate, ipsa substantia in cæteris omnibus immutata manente, & cum eadem propinquitate, vel distantia ad centrum, vel polos: sic ergo in substantia corporis Christi, quæ substantia panis succedit, præter rationem substantia, similis modus considerandus est: & eodem modo explicari potest hæc presentia, per similitudinem, seu proportionem cum presentia Angeli, ad corpus vel spatium in quo existit. Et confirmatur, quia hic modus est fundamentum rationis distantia, & propinquitatis: hoc autem in corporibus fundamentum pertinet ad prædicamentum vbi. Deinde hic modus amitti, & acquiri potest per mutationem, salua rei substantia, & omni qualitate & quantitate, quod etiam accidit corporibus in mutatione loci, ergo.

Presentia hæc reducitur ad prædicamentum vbi. D. Thom. Capreol. Ferrar.

Hugo Vict. Bonau. Durand. Scotus. Paludan. Maior. Gabr. Anus. S. Chry. Con. Trid.



Sed occurrebant hoc loco variae difficultates. Prima, an ratione huius praesentiae, possit Christus dici esse in loco. Secunda, an circumscriptivae, vel definitivae. Tertia, quomodo haec praesentia possit simul esse in corpore Christi, cum praesentia, quam habet in caelo. Sed priores duas difficultates tractat Divus Thomas quaest. sequenti. Tertia vero coniuncta est cum illis: & ideo commodius agemus de omnibus post sectio. 1. disputationis sequentis, intellecta prius specifica ratione huius praesentiae, quam ibi explicabo. lege interim Capreolum d. 10. qu. 1. artic. 2. & 3. in argum. Durand. & Aureol. contra primam conclusionem.

Capreol.

Esse sacramentale Christi si praeter praesentiam communit habitudine ad species.

Dico tandem ultimo in hac quaestione, esse sacramentale corporis Christi in hoc sacramento, praeter hanc praesentiam, connotare habitudinem aliquam ad species, sub quibus continetur. Hanc conclusionem sumo ex D. Thoma q. sequenti artic. 7. Et potest explicari: quia, quando sub speciebus mutat locum vel circumferretur, reuera, mutat illum in se ipsum modum praesentiae, quem hactenus explicuimus: quia alibi est, quam antea, & substantialiter replet diversum spatium, & mutat relationes propinquitatis & distantiae sine mutatione terminorum, & tamen non censetur mutare simpliciter esse sacramentale, quia retinet habitudinem ad eandem species: sicut enim manet idem sacramentum & ex vi eiusdem consecrationis: ita & idem esse sacramentale: ergo signum est, hoc esse sacramentale, non consistere in solo illo modo intrinseco, sed quasi formaliter connotare talem habitudinem ad has species. Quae etiam habitudo variari potest, immutato manente modo intrinseco praesentiae: posset enim Deus mutare has species, & alias loco illarum substituire, corpore Christi eodem modo manente: & tunc mutaretur habitudo ad species vel denominatio ab illis proveniens, & non per absolutam mutationem Christi, sed per mutationem alterius, si specierum, atque adeo sine variatione modi intrinseci praesentiae. Quae autem sit haec habitudo ad species, potest diversis modis explicari. Primo ex Aug. 5. de Trin. c. 10. ut sit habitudo signari ad signum: quia ratio sacramenti in significatione consistit, & Christus semper per eandem species significatur, quando sub illis, & cum illis dicit habitudinem ad eundem effectum sacramentalem, sed haec significatio solum addit relationem fundatam in praedicto reali modo praesentiae corporis, & continentia specierum. Secundo Capreol. & Ferrar. supra explicant per comparationem, ad praedicamentum Habitus, ad quod dicunt reuocari hoc esse sacramentale, quantum ad hanc habitudinem, quia sicut Habitus est quid extrinsecum, & quodammodo continet hominem vestitum, ita species respectu corporis Christi, quasi extrinsece continent & denominant illud. Tertio explicari potest per relationem intimam propinquitatis: nam licet praesentia non sit relatio, tamen ex illa consequitur, si adit terminus cum proportionata praesentia, hoc igitur esse sacramentale corporis Christi, praeter intrinsecam praesentiam, requirit relationem ad species sibi etiam praesentes. Quarto etiam explicari potest haec habitudo consistere in vera & reali vniione inter corpus Christi, & species: de quo modo, quia hanc habet controuersiam, sectio. seq. inuestuemus. Ex his obiter colligitur, hoc esse sacramentale, prout includit haec omnia, non fieri per se primo per aliquam actionem, sed fieri fundamentum praesentiae, inde vero resultare alias relationes, vel denominationes.

Capreol. Ferrar.

Differentia qua est inter praesentiam & propinquitatem ad species explicatur.

Solum posset aliquis quaerere, quare modus praesentiae, qui consideratur in ordine ad locum, vel spatium specierum dicitur esse absolutus, & intrinsecus corpori Christi, modus autem praesentiae, & propinquitatis intimae ad species dicitur tantum esse relatio vel denominatio extrinseca. Respondetur, interrogationem hanc communem esse, tam corporibus,

quam Angelis, & rebus omnibus, quae sibi inuicem sunt praesentes. Ratio ergo breuiter est, quia praesentia rerum inter se supponit modum existendi rei secundum se, & in illo fundatur, & ex illo resultat, & ideo, nisi res, quae sibi sunt praesentes, aliud genus vniionis inter se habeant, ex vi solius praesentiae, solum dicunt talem modum relationis. Et signum a posteriori est, quia mutari potest per solam mutationem alterius extremi, & similiter acquiri: at vero alius modus praesentiae qui consideratur in ordinato spacio, non habet alium, in quo fundetur, vel ex quo resultet, nec terminum realem, a quo pendeat, & ideo est modus absolutus, & intrinsecus illius rei, quam afficit, & ex genere suo per solam propriam mutationem sui subiecti acquiri & amitti potest.

SECTIO III.

Verum haec praesentia includat realem ac veram vniionem Corporis Christi ad species sacramentalis.

Praesentia vnius rei ad aliam ex vi, ac praecisa ratione sua, solum requirit indistantiam, ac perfectam propinquitatem talium rerum inter se, & hanc praesentiam hactenus explicuimus, quid sit, quoniam certum est, hanc saltem conuenire Corpori Christi, respectu specierum sacramentalium. Nunc ergo inquirendum superest an praeter hanc praesentiam intercedat vniio quoniam n. omnis vniio praesentiam requirit vniobilitatem inter se, non tamen e conuerso, omnia, quae sunt sibi praesentia, sunt inter se vniata.

In qua re prima sententia referri potest, affirmans in hoc sacramento esse veram vniionem inter Christum & species, ineffabilem tamen, & incomprehensibilem. Ita videtur sentire D. Th. in 4. d. 11. q. 1. artic. 1. ad 1. vbi exponit Damasc. lib. 4. de fide c. 1. 4. quae situm. 1. ad 1. vbi exponit Damasc. lib. 4. de fide c. 1. 4. dicentem: Deum coniunxisse diuinitatem suam pane & vino, & fecisse ea Corpus & Sanguinem suum. intelligendum esse, quantum ad species, quibus Christi Corpus diuinitati vniuitum modo ineffabili coniungitur. Vnde Caiet. hic dicit hunc modum vniionis esse ineffabilem, & a Concil. Lateran. vocari: Continenter & coeuenti, & q. 7. a. 6. dicit, inter corpus & species intercedere nexum a solo Deo factum, quod non potest intelligi, nisi de vniione formalis, quia vniio effectiua, de qua postea dicam, non potest a solo Deo immediate fieri, implicat enim repugnantiam: Vt ait autem Caiet. ibi quibusdam rationibus parum efficacibus, quas propterea omitto. In eadem sententia videtur esse Aureol. apud Capreol. d. 10. q. 1. in argumentis c. 1. 1. concl. & idem Capreol. ibi. q. 2. ad 1. Scoti contra 2. concl. Palud. q. 3. & uterque dicit corpus Christi, licet non sit vniuitum speciebus, sicut potentia acti, vniuitum tamen tanquam id, quod subiecto accidentium succedit, & inseparabiliter illis coniungitur vera vniione, quae in perfectionem excludit, sic etiam Sotus ibi q. 1. a. 6. dicit, corpus Christi aliquo nexu sub speciebus contineri, idem sentit d. 9. q. 2. a. 1. ad 2. & 4. Scot. & latissime a. 4. post recitatum 3. & 4. opinio. vbi praeter praesentiam localem, requirit vniionem vt corpus Christi contineatur sub speciebus, eo modo, quo continebatur substantia, sed clusa inhaerentia idem sentit Ledel. 1. par. 4. q. 6. a. 4. dub. 5. qui praeter praesentiam, requirit alium modum. Richard. a. 13. pag. 266. §. intelligitur autem, dicit, Ex corpore & speciebus constitutum vnum sacramentum, non solum vt ex signo designato, sed modo nobis ineffabili, & incomprehensibili, & infra dicit: Intimius coniungitur Corpus Christi speciebus quam prius vniueretur substantia panis, non solum ex Dei voluntate, sed ex ipso modo, quo ibi existit: idem a. 14. pag. 301. In eadem sententia est Alanus libr. 1. c. 34. 35. 36. & 37. vbi licet affirmare non audeat se tamen valde propensum ostendit, vt hypotheticam vniionem inter species & Christi Corpus concedat. Bellarminus libro 3. de Eucharistia capite 18. de seq. Ioan. Hessel. libro de Corpore Christi fol. 187. dicit: Corpus

Corpus Christi arctius coniungi accidentibus, quam Angelus corpori assumpto coniungatur, idem sentit Claudius repetitione quinta, capite tertio, quatenus dicit corpus Christi suppleri vicem Subiecti, & repetitione nona, capite 6. fol. 139. pag. 2. dicit, esse vnionem arctissimam non inhaerentiam, nec hypostaticam sed sacramentalem. Fundamenta huius sententiae varia afferuntur, vt, verbi gratia; quia ex corpore Christi & speciebus fit vnum sacramentum: ergo oportet, vt intercedat vera vnio. Sed hoc & similia non habent difficultatem, quia, vt constat, ad compositionem sacramenti non requiritur vnio physica inter componentia, sed satis est propinquitas seu praesentia cum mutua relatione: quia sacramentum non est vnum per se, nec physicum, sed artificiale. Duo igitur sunt, quae nonnullam difficultatem habent, primum est, quia nisi intercedat vnio inter corpus & species, fieri non potest, vt corpus Christi inde excludat formaliter substantiam panis; per intrinsecam incompossibilitatem: Sola enim praesentia realis non est formaliter incompossibilis cum substantia, nec cum existentia eius, nec cum vnione, quam cum suis accidentibus habet: Est enim ibi substantia corporis Christi indiuisibiliter, & per modum substantiae: hoc autem modo non repugnat, quod sit intime praesens quantitati panis. Consequens autem est falsum, quia alias non posset esse vera conuersio substantiae panis in corpus Christi, quia duo termini, nisi formaliter inter se repugnent, non possunt, ex vi eiusdem actionis, seu conuersionis, vnus in alium conuerri. Secundum fundamentum sumitur ex quadam veluti communicatione idiomatum inter species, & corpus Christi, nam visus, tactus, fractus, aut motus speciebus, dicitur corpus Christi, videri, tangi, frangi, moueri: ergo nascitur hoc ex aliqua vnione, sicut ex simili communicatione inter humanitatem, & Verbum colligunt sancti Patres vnionem inter illa, vnde comparant se per hanc compositionem ex carne Christi & accidentibus panis, cum illa vnione ex carne & Verbo, vt refert late Claudius repetitione 8. capite 4. & hoc maxime conuincit communicatione in motu, nam, motus speciebus mouetur per accidens corpus Christi, quod non posset ex natura rei consequi nisi vera & realis coniunctio inter ea intercederet: simile argumentum sumi potest ex ea, quod corruptis speciebus, ita cum desinit esse ibi corpus Christi, quia amittit vnionem, sicut desineret substantia panis, cui corpus successit, vt significauit D. Thom. q. 77. art. 4. dicens: Corpus Christi desinere esse hic, corruptis speciebus, quia succedit substantia panis. Item, ex vi huius vnionis, accidentia separata habent vim efficiendi, quidquid possent facere coniuncta suae substantiae, vt ait Bonauentura. d. 11. artic. 1. q. 3. Denique, ratione huius vnionis, vere ac proprie designatur corpus Christi, dicendo. Hoc est corpus, quia illud pronomen proprie non designat, nisi quod realiter continetur & coniungitur cum his accidentibus sensibilibus.

Secunda sententia negat omnem vnionem realem inter Christum & species, praeter inseparabilem praesentiam ex parte diuino, ita sentit Scotus dist. 10. q. 1. Gabriel ibi. art. 2. concl. 10. & lect. 47. in can. vbi dicit: At Okam, idem Maior. d. 10. q. 6. & Thom. de Argen. q. 2. art. vltimo, Petrus de Aliac. q. 5. artic. 2. quatenus dicunt, corpus Christi moueri motis speciebus, ex voluntate, & ex parte Dei, & eadem est sententia Nominalium, vt videbimus infra, quaest. 76. qui consequenter aiunt, Christum contineri sub speciebus, tanquam sub signo infallibiliter representante Christum ibi praesentem: Haec autem significatio fundatur in impositione Christi, non autem in vnione physica & reali. Fundamentum huius sententiae fuisse videtur, quia hoc satis est ad omnia, quae de hoc mysterio fides docet, intelligenda, quia sicut vnitas & esse sacramenti non oportet, vt dicat necessario ali-

quid physicum, praeter res, quae ad significandum imponuntur, ita neque vnio sacramentalis requirit propriam & physicam vnionem, sed solum eam propinquitatem, quae ad significationem & effectum sacramenti sufficiens fuerit: ergo alia vnio superflua est, & non satis intelligi potest.

Mihi videtur distinctione vtendum, alia est enim vnio intrinseca, quam vocamus formalem, & est illa, in qua duo extrema ita coniunguntur physice, vt proprie ac realiter componant vnum, quae compositio semper requirit in vtroque, vel altero extremo intrinsecum, & realem modum vnionis, essentialiter dependentem ab altero extremo, cum quo est compositio: seu a toto composito, quatenus, ipso destructo, non potest ille modus conseruari, sicut & conuerso, posito illo modo vnionis, necesse est, vt compositum resulteret, quae omnia ex metaphysica suppono, & ex his, quae traduntur in materia de Incarnatione. Praeter hanc vero vnionem, potest intelligi alia, qua voco effectiuam, & erit, quando duo ita sunt sibi intime praesentia, vt ex efficientia, quam habet vnum circa alterum, non possint separari, ac si dicamus, ferum esse realiter coniunctum magneti, non solum propinquitate locali, sed vnione effectiua, quia magnetis effectiue illud trahit & continet ne se separetur.

Dico ergo primo, inter corpus Christi & species non intercedit formalis vnio seu compositio physica, ex qua resulteret vnum physicum compositum, tanquam ex duabus partibus, seu extremis vere componentibus. Haec conclusio, quamuis ab authoribus distincte & expresse non ponatur, tamen sub eisdem terminis contrarium doceri non video, imo nec fere tractari, indicatur vero a Capreol. d. 10. q. 3. Ferrar. 4. cont. Gen. c. 63. quatenus dicunt, accidentia comparari ad corpus Christi per modum habitus, & rei extrinsecae adiacentis seu continentis, idem dicant aithores, qui hanc vnionem per solam efficientiam explicant, vt infra referam. Potest in eandem sententiam afferri Algerus lib. 1. de hoc sacramento dicens:

In sacramento, ne dicamus panis formam Christo impersonatam, quia mansura in Christi corpore non est. Vbi nomine formae, panis accidentia intelligit, & ideo dicit inferius, illam formam esse mysticam, respectu Christi, non imperfonatam, id est, non ipsius personae vnitam. Hoc etiam videtur asseruisse Gloss. ordin. 1. ad Cor. 11. his verbis: Quae remanent de priori substantia accidentia, scilicet color & sapor, &c. nec corpus Christi efficiunt, nec in eo fundatur. Et probatur primo, quia talis vnio nec accidentalis esse potest, nec substantialis: ergo nulla, sicut non est medium inter substantiam & accidens, ita neque inter vnionem accidentalem & substantialem. Nisi fortasse quis dicat, esse quali mistam & substantialem ex parte vnus extremi, accidentalem vero ex parte alterius, quod facile refelli potest, quia, vt vnio sit substantialis, non satis est id, quod vnitur, esse substantiam, sed oportet, modum ipsum vnionis esse substantialem, & consequenter necesse est, terminum integrum actionis vnionis esse substantiam, quia de rōe modi vnionis substantialis est, vt ad constitutionem, seu complementum substantiae pertineat: at vero si ex parte vnus extremi vnio est accidentalis, non potest in alio extremo modus vnionis esse substantialis, nec potest tota coniunctio ad substantialem terminum referri. Et haec eadem ratio concludit, non posse totam hanc vnionem esse substantialem, tum quia, cum aliud extremum sit accidens, non ordinatur tota vnio ad componendam vniam substantiam, neque vnum ens per se, tum etiam, quia modus vnionis in altero extremum est accidentalis, tum denique, quia vnio illa non est in natura, neque in hypostasi, vel subsistentia, aut existentia substantiali, vt ex dicendis constabit: praeter hanc autem non datur aliud genus substantialis vnionis, vt constat ex doctrina de Incarnatione, & metaphysica,

quia

Inter Christum & species non est vnio formalis physica.

Capreol. Ferrar.

Algerus.

1. Cor. 11.

Non est vnio sacramentalis.

quia non est aliud genus realis compositionis in substantia.

Nec accidentalia physica

Supereft, vt alteram partem probemus, nempe hanc vnionem non posse esse accidentalem, quod sic ostendo, quia in omni vnione reali accidentis & subiecti, seu quali subiecti, necesse est, vt componentia sese aliquo modo aficiant, & vnium sit aliquo modo actus alterius, saltem ad imitationem formalis & materialis causae, tam intrinsecum enim est hoc omni vnioni, saltem ex parte alterius extremi, vt etiam inter Verbum diuinum & humanitatem non intelligamus veram & realem vnionem, nisi hoc modo illam explicando, sed inter corpus Christi & species non intercedit huiusmodi habitudo, seu coniunctio, vt constat: Primo ex parte specierum, quia illa nihil in se habent, in quo pendeant a corpore Christi tanquam ab intrinseco actu, seu termino, quia vel illud esset ipsa accidentis essentia, & hoc non, vt est per se notum, quia conceptus essentiae est primus in re maximeque immutabilis, vel esset existentia, & hoc etiam dici non potest, quia, vt alias late probaui, nulla res potest per alienam existentiam, quin potius nec per entitatem a se distinctam existeret. vt omittam certissimum esse, accidentia panis non existere formaliter per existentiam corporis Christi, alias quaedam hypostatica vnio ibi interueniet, quod non est probabile, nullus enim Catholicorum id ausus est asserere. Et eadem ratione probatur, accidentia haec non habere substantiam a corpore Christi, quia in corpore Christi non est alia substantia, nisi diuina, vt ergo illa accidentia subsisterent, formaliter per substantiam corporis Christi, oporteret illa hypostaticae vniri substantiae. Verbi diuini, quod asserere plus, quam temerarium esset, quia esset nouum & inauditum mysterium sine fundamento, aut autoritate assertum, praeterquam, quod agens de mysterio Incarnationis ostendi, accidens non esse capax vnionis hypostaticae, quia non est aptum, vt per se subsistat: in accidentibus ergo nullus realis effectus intelligi potest, qui ex tali vnione ad corpus Christi in eis resultet. Et eodem discursu excludi potest eadem vnio ex parte corporis Christi, quod rationes sequentes clarius demonstrabunt.

Secunda ratio sit, quia, vbi est vera vnio, est etiam in vtroque vel altero extremorum realis modus vnionis, vt dictum est, sed neque in speciebus neque in corpore Christi fingi potest hic modus vnionis. Quod in primis de speciebus probatur, quia facta consecratione, species per se existunt, vel per solam negationem actualis inhaerentiae, vt Scotus & alij volunt, vel per modum absolutum & positium per se existendi substantiae similem, & cum actuali inhaerentia impossibilem. Sed neuter modus existendi ex his, est modus vnionis accidentium ad corpus Christi, vt de negatione inhaerendi est per se notum, & de modo per se existendi est euident, quia est modus omnino absolutus, vt substantia & independens ab altero vt ab intrinseco termino. Cuius euidentis signum est, quia possunt conseruari species consecratae, per se existentes, absque corpore Christi. Denique ipsa vox per se existendi indicat rem, quae sic existit, non inmiti alteri, atque adeo illum, modum sic existendi per se, non requirere vnionem ad alterum: at vero in accidentibus separatis nullus alius positium modus haecenus excogitatus est, praeter illum, qui requiritur, vt per se existant, imo talis modus oppositus esset modo existendi per se, oporteret enim, vt per illum accidentia essent aliquo modo in corpore Christi, seu niterentur illi, ad similitudinem illius modi, quo humanitas existere dicitur in Verbo, & niti illi, vnde, sicut ille modus excludit ab humanitate modum per se existendi, ita hic ab accidentibus. Quod ita confirmo, quia modus vnionis vnus rei ad alteram, oportet, vt ad illam terminetur vel vt ad formam, vel vt ad materiam, vel vt ad terminum,

seu sustent aculum alterius, nam sine aliqua huiusmodi habitudine nec concipi potest modus vnionis, nec praeter illas aliae possunt excogitari, cum omnia rerum genera sub illis membris comprehendantur, sed in accidentibus non potest esse modus vnionis, qui ad corpus Christi, vt ad formam terminetur, vt est per se notum: neque vt ad materiam, seu subiectum, alias inhaerent illi, quod est absurdissimum, & contra principia fidei, quia alias neque ipsa essent per se, sed afficerent corpus Christi, ipsumque quantum, rotundum, &c. denominarent. Tandem, quod non terminetur haec vnio ad corpus Christi, vt ad sustentans, vel terminans accidentia, ita ostendi potest, quia si hic modus vnionis in aliquo accidenti intelligi potest maxime in quantitate panis, quia illa est, quae proprie separatur a substantia, & per se existit, sed in ea non potest intelligi haec habitudo: quod ita ostendo. Nam tria possunt intelligi in quantitate, primum essentia eius, & ratione eius non potest dicere hanc habitudinem ad corpus Christi, quia illa essentia est immutabilis. Item, quia essentialis habitudo quantitatis est habitudo cuiusdam formae, ostensum est autem, quantitatem non respicere corpus Christi, nec vniri illi, per modum formae. Secundum est, extensio ipsius quantitatis. Et de hac euidentius est, non posse terminari a corpore Christi, nam sit sit extensio secundum se, essentialiter postulat proprios, & intrinsecos terminos sui generis, si sit extensio in ordine ad locum, nullum alium intrinsecum terminum requirit, praeter talem modum existendi in loco. Tertium est, existentia quantitatis. Et de hac etiam probatur primo, quia iam existentia quantitatis inniteretur alteri, & consequenter non proprie & vere per se existeret, sicut humanitas, quia vnitur Verbo, vt termino sustentanti, non per se existit. Secundo, quia nihil potest esse terminus existentiae alterius, & non per modum subiecti, nisi ratione substantiae: ergo illa vnio quantitatis esset immediate ad substantiam corporis Christi, quae est diuina: ergo esset quaedam vnio hypostatica, quod nullus Catholicus admittit. Tertio, quia omnes res, quae hoc modo vnitur alteri, dat illi aliquam denominationem tali formae vel naturae proportionatam, & ita Verbum vere dicitur homo ab humanitate vnita, & in vniuersum in omnia alia vnione idem inuenitur, quod ex partibus seu extremis componentibus oritur denominatio, vel eorum inter se, vel saltem respectu compositi: in praesenti autem nihil huiusmodi fingi potest, quia corpus Christi nullam physicam, ac propriam denominationem accipit a quantitate panis. Nisi forlasse quis dicat, denominari Christum contentum, vel compositum ex Christo & speciebus denominari sacramentum, vel aliquid huiusmodi. Sed haec leuia sunt, quia huiusmodi denominationes, ex genere suo, realem vnionem non requirunt: vnitas enim sacramenti, ex quacunque moralis, seu artificiali compositione resultat, si adiungatur impositio ad significandum. Ratio etiam contentis & contenti per se sola non sufficit, nec huiusmodi vnionem requirit.

Secundo ex dictis facile concluditur, nec in corpore Christi posse talem modum excogitari. Primo, quia, si non est in accidentibus, cur erit in corpore Christi, cum accidentia non minus, imo magis mutabilia sint, quam Corpus Christi? non est ergo ratio, cur vnio fiat magis per mutationem corporis Christi, quam accidentium. Secundo, quia corpus Christi non vnitur accidentibus, vt per se ipsum, quali formaliter aut materialiter, seu terminatiue conferat aliquem effectum realem, vt ostensum est. Et eisdem rationibus conuincitur, non vniri, vt ab illis aliquid accipiat aliquo ex praedictis modis. Vnde neque illa afficit, neque ab eis afficitur, nec cum illis compositum aliquod compositum physicum vere vnium. Tertio, quia res, quae habet modum vnionis ad alterum,

vel communicat illi suum esse, vel in illo habet suum esse, sicut humanitas in Verbo, vel denique ab illo incipit esse, quasi formaliter, sed corpus Christi nec communicat suum esse, accidentibus, neque habet suum esse in illis, vel ab illis: ergo. Ultimo ille modus in corpore Christi non potest esse substantialis, ut, quæ adduximus in prima ratione conuincunt. Et præterea, quia cum Christus sit substantia, ex omni parte completa, non est capax noui modi substantialis. Deinde quis dicit, modum vnionis substantiæ cum accidente esse substantialem, cum accedens ad complementum substantiæ pertinere non possit: Tum denique quia alias differret Christus in sacramento à se ipso in carno substantialiter saltem in modo existendi, quod nullus dicit. Nec vero potest esse hic modus accidentalis in corpore Christi: interrogo, n. ad quod Prædicamentum pertineat, vel reducatur: nam suppono ex communi ratione vnionis non esse relationem secundum esse: ad aliud autem prædicamentum reuocari non potest, quam maxime ad quantitatem: Omnis enim modus vnionis cum accidente reducitur ad illud prædicamentum accidentis, cum quo sit vnio: hic autem, si quæ est vnio cū corpore Christi, proxime cum quantitate sit: ergo ad illam maxime reuocabitur. Sed hoc etiam minime posse dici videtur: quia corpus Christi non vnitur quantitati, ut danti esse quantum: ergo nec vt habet propriam prædicamentalem rationem: ergo non potest hic intercedere modus vnionis ad quantitatem pertinet. Est ergo intelligibilis talis vnio, & compositum ex ea resultans. Tertio ratio confici potest ex parte termini integri, qui resultare debet ex omni vnione huiusmodi, quia neq; illud, est vna substantia neq; aliquod compositum accidentale, quia neq; est vnum quale, neq; vnum quantum, aut quid simile, neq; omnino habet vnum esse reale: dicere autem, esse vni sacramentum, non satis est, vt supra ostendi.

Ad hæc vero omnia dici potest, concludere quidem, illam vnionem à nobis non posse intelligi, neque explicari, neque esse similem alicui earum, quas cognoscimus, non tamen directe & positue concludere, esse impossibile: Potest enim Deus facere vnionem alterius ordinis, licet à nobis non concipiatur. Respondetur primo, si res esset de fide, & ab hominibus doctis aliud dici non posset, admittendum esset huiusmodi responsionis genus: at vero nec fides docet talem vnionem, neq; est admodum consentanea principiis fidei, vt existentia per se accidentium declaratum est, & ex alio capite iam declarabo: cur ergo reuocabimur ad has angustias, & difficiliora reddamus mysteria fidei? Secundo, sancti Patres agentes de vnione Incarnationis, quæ difficilius, & omnium altissima est, non ita respondebant infidelibus, sed curabant explicare, quæ sit illa vnio, primo dicentes esse substantialem, quia ad substantiam terminatur. Deinde distinxerunt vnionem, in natura & in substantia, & dicentes, illam non esse vnionem in natura, concluderunt, esse in substantia indicantes, vnionem illam, quæ in nullo genere rerum inuenitur, disturriendo per omnia, commentitiam esse, & impossibilem. Ex quo vterius intulerunt Theologiam impossibile esse inueniri vnionem substantialem inter duas naturas substantiales, & completas, vt sic, id est, nisi vniantur in vna persona, & è contrario, non posse personam personam substantialiter vniri, quia non potest ex duabus naturis completis vna natura, neque ex duabus personis vna persona resultare, ac denique quia non potest esse vnio substantialis, ex qua non resultet vna substantia. Sic ergo nos concludimus, non posse esse veram vnionem realem, ex qua non resultet vna aliqua res, nam veram vnionem intrinsecam ac formalem ex substantia & accidente, ex qua non resultet vnum in aliquo genere accidentis. Et ita tandem concludimus, non solum negatiue, non intelligi talem vnionem, sed & positue intelligi.

Franc. Suarez Tom. 3.

implicare & ideo non esse possibilem, quia dicitur esse vera vnio realis, in quam nec ratio nec modus, nec terminus talis vnionis conuenire potest. Loquor autem semper de intrinseca ac formali vnione, vt terminorum æquiuocationem excludam. Solet enim interdum vocari vnio accidentalis, quæ solum est per contactum, vel extrinsecam habitudinem, vt est inter vestem, & rem vestitam, locum & locatum, calami & manum, & similes, quæ reuera non sunt propriæ vniones, & compositiones, de quibus agimus, sed solum propinquitates quædam, seu habitudines aliquæ vel extrinsecæ denominationes.

Vnde excluditur aliorum euasio, qui dicunt hic intercedere vnionem, qualis esse solet inter causam principalem & instrumentum coniunctum: nam ratio instrumenti, per se sumpta solum requirit contactum, habitudinem, vel concomitantiam quandam, non autem propriam vnionem physicam, nisi id, quod est instrumentum, secundum suum esse, prius vnatur ad componendum vnum ens cum altero, quod esse dicitur principalis causa, sicut manus dicitur instrumentum coniunctum hominis, vnitum tamen illi ad componendum vnum corpus, & corpus dicitur coniunctum instrumentum animæ, cum quali tamen vnitur ad componendam vnam naturam & humanitas est organum coniunctum Verbi, cum quo prius vnitur ad componendam vnam personam, ac denique calor dicitur esse instrumentum coniunctum ignis, cui prius vnitur ad existendum in ipso, & componendum vnum calidum: Itaque ratio instrumenti non facit vnionem propriam, sed interdum consequitur ex vnione, vnde quando non supponitur vnio in esse, ex qua consequatur, solum intercedere potest inter instrumentum & causam extrinsecam vel effectiua aliqua coniunctio, vt est inter baculum & manum, & inter Angelum, & corpus assumptum, quæ tamen instrumenta interdum dicuntur separata, quia sunt supposita distincta à principalibus causis, quamuis alio modo dicantur coniuncta, quatenus indigent actuali vsu, seu influxu principalis cause, & vterque modus potest accommodari speciebus, respectu corporis Christi, quia licet non sint suppositum: tamen quatenus per se existunt, habent se ad modum suppositi distincti, indigent tamē actuali vsu, & influxu corporis Christi præsentis intime, vt efficiant gratiam.

Dico secundo: Probabile est inter Christum & species intercedere reale vinculum per efficientiam & quæ si attractionem vnus ad alterum. Hæc assertio est consentanea omnibus Theologis in prima sententia citatis, cum enim specialem vnionem hic esse affirmet, & illa non possit esse formalis. videntur saltem intelligendi de effectiua, quæ satis etiam est ad eorum dicta interpretanda, imo nonnulli eorum ita diserte exposuerunt, vt Claud. de Sainct. rep. 9. c. 6. fol. 114. pag. 2. vbi ita Aug. exponit. Palac. in 4. d. 11. disp. 1. post secundam conclusionem, Guil. etiam Paris tract. de Euch. §. 1. fol. 14. dicit corpus Christi sustentare accidentia sine inhaerentia, quæ non videtur posse, nisi de efficientia intelligi, cū hic non intercedat hypostatica vnio. Secundo, vt ratione hoc ostendamus duo declaranda sunt. Primum est hoc genus vinculi esse possibile, alterum ita esse de facto.

Primum ita declaro, nam species consecrata effectiue conseruantur, sine subiecto, singulari & supernaturali actione Dei, qua supplet subiecti defectum: ergo potest Deus hunc effectum seu actionem efficere per Christi corpus, tanquam per instrumentum conlat enim ex doctrina tradita supra in materia de sacramentis in genere, & de Incarnatione, Deum posse vti creatura, vt instrumento ad actionem supernaturalem. Eadem autem ratio est de hac, quæ de cæteris. Nisi fortasse quis dicat, actionem hanc, qua species separata conseruantur, esse creationi similem, quatenus est actio absque subiecto, sicut conseruatio

Euasio. Impugnatur

Probabile est inter Christum & species intercedere reale vinculum per efficientiam & quæ si attractionem vnus ad alterum. Hæc assertio est consentanea omnibus Theologis in prima sententia citatis, cum enim specialem vnionem hic esse affirmet, & illa non possit esse formalis. videntur saltem intelligendi de effectiua, quæ satis etiam est ad eorum dicta interpretanda, imo nonnulli eorum ita diserte exposuerunt, vt Claud. de Sainct. rep. 9. c. 6. fol. 114. pag. 2. vbi ita Aug. exponit. Palac. in 4. d. 11. disp. 1. post secundam conclusionem, Guil. etiam Paris tract. de Euch. §. 1. fol. 14. dicit corpus Christi sustentare accidentia sine inhaerentia, quæ non videtur posse, nisi de efficientia intelligi, cū hic non intercedat hypostatica vnio. Secundo, vt ratione hoc ostendamus duo declaranda sunt. Primum est hoc genus vinculi esse possibile, alterum ita esse de facto.

Claud. de Sainct. rep. 9. c. 6. fol. 114. pag. 2. vbi ita Aug. exponit. Palac. in 4. d. 11. disp. 1. post secundam conclusionem, Guil. etiam Paris tract. de Euch. §. 1. fol. 14. dicit corpus Christi sustentare accidentia sine inhaerentia, quæ non videtur posse, nisi de efficientia intelligi, cū hic non intercedat hypostatica vnio. Secundo, vt ratione hoc ostendamus duo declaranda sunt. Primum est hoc genus vinculi esse possibile, alterum ita esse de facto.

Probabile est inter Christum & species intercedere reale vinculum per efficientiam & quæ si attractionem vnus ad alterum. Hæc assertio est consentanea omnibus Theologis in prima sententia citatis, cum enim specialem vnionem hic esse affirmet, & illa non possit esse formalis. videntur saltem intelligendi de effectiua, quæ satis etiam est ad eorum dicta interpretanda, imo nonnulli eorum ita diserte exposuerunt, vt Claud. de Sainct. rep. 9. c. 6. fol. 114. pag. 2. vbi ita Aug. exponit. Palac. in 4. d. 11. disp. 1. post secundam conclusionem, Guil. etiam Paris tract. de Euch. §. 1. fol. 14. dicit corpus Christi sustentare accidentia sine inhaerentia, quæ non videtur posse, nisi de efficientia intelligi, cū hic non intercedat hypostatica vnio. Secundo, vt ratione hoc ostendamus duo declaranda sunt. Primum est hoc genus vinculi esse possibile, alterum ita esse de facto.

seruatio animæ separata est veluti quedam continuata creatio, & si Deus produceret actum separatum, esset vera creatio. Respondetur, etiam hoc verum sit, non repugnare, creaturam esse huius actionis instrumentum, ut prædictis locis ostendi. Deinde præter hanc actionem, quæ ad existentiam accidentis terminatur, potest in accidenti separato intelligi modus per se subsistendi, quia propria actione sic, quæ non est creationi similis, sed versatur circa entitatem ipsius accidentis, ut in subiecto: huius ergo actionis poterit esse instrumentum corpus Christi. Denique præter existentiam, & modum existendi, est in accidenti localis præsentia, quæ fieri, & conseruari potest per actionem ad localem mutationem pertinentem: & hanc etiam actionem potest efficere corpus Christi, veluti trahendo ad se accidentia: ita ut secundum præsentiam realem ab ipso separari non possit, sicut magnes ad se trahit ferrum, & tractum, quali continet sibi præsens & coniunctum: hæc ergo actio potest sine dubio communicari corpori Christi. Eodem autem genere argumentandi seu ratiocinandi, ostendi potest, species posse effectiuè quasi attrahere ad se corpus Christi & conseruare realem præsentiam, & indistinctam cum ipsis, quod exemplo magnetis supra explicuit: & eisdem rationibus facile ostendi potest, & ex dicendis etiam constabit.

Probatum illam esse de facto.

Secundo ergo probatur ita esse de facto, argumentis factis in principio huius sectionis: nam ad veritatem omnium fere locutionum, quæ sunt de hoc sacramento, hæc vnio, & sufficiens, & necessaria videtur. Primo enim dicitur corpus Christi suppleri vicem substantiæ panis: secus inhaerentia, quod verissimum erit, si corpus Christi effectiuè sustineat accidentia, quæ panis materialiter sustinebat. Secundo recte dicuntur species instrumentum coniunctum corporis Christi, quia ab illo sustententur, & quasi omnipotenti manu tenentur: vnde supernaturalem vim, seu concursum ad operandum accipiunt. Tertio dicuntur species continere corpus Christi in cap. Firmiter, de Sum. Trinit. quod hæc etiam ratione propriissime intelligitur, quia non solum, respectu nostri illud quasi circumdant, sed etiam efficacia sua intra se continent ita ut ab illis separari non possint: in quo etiam magis saluatur similitudo accidentium, respectu propriæ substantiæ. Quarto, corruptis accidentibus amittit corpus Christi sacramentale præsentiam, cuius rei optima & intrinseca ratio redditur, si verum est illa ab efficacia accidentium pendere, quod magis consentaneum est, quam totam huius rei causam in extrinsecum Dei pactum & voluntatem reuocare: in quo etiam magis seruatur proportio accidentis cum substantia. Vnde etiam fit, ut hæc accidentia aptissime significant corpus Christi, quod continent, eiusque præsentiam quam efficiunt: ut in hoc etiam seruetur vniuersalis lex sacramentorum nouæ legis, efficere, nimirum, significare. Quinto constat motis accidentibus, moueri corpus Christi, quod vel reuocandum etiam est in solâ pactum diuini: & ita non tam mouebitur, vel trahetur corpus Christi, tractis speciebus, si ipse seipsum mouebit, ut comitetur species: vel certe necessaria est hæc vis in speciebus, quæ ad se trahant corpus Christi, nihil huic motioni resistens, sicut si magnes habeat ferrum sibi coniunctum, qui magnetem attraxerit, ferrum etiam secum feret. Conuenientius autem est, ut dixi, omnes huiusmodi effectus in proximas causas reuocare, quam in solam Dei ordinationem. Nec vero ad hunc postremum effectum satis est, quod corpus Christi habeat efficientiam circa species: conseruando illas: quia ex hac præcisâ efficientia, non sequitur, quod propter intrinsecam connexionem Christus moueatur, motis speciebus, sicut in exemplo magnetis & ferri constat. Nam licet quis moueat ferrum, non propterea secum attrahet magnetem: & idem esse existimo in corpore assumpto ab Angelo: quia, licet illo corpore moto, videatur, nostro modo con-

cipiendi & loquendi more, per accidens moueri Angelus: tamen, reuera non mouetur ex vi motus corporis, sed potius ipse se mouet, ut corpus comitetur: quia nihil ipse patitur a corpore, nec proprie ab illo continetur, sed ipse potius illud continet, ac mouet: ita ergo esset in præsentia, si accidentia in corpus Christi prædictam efficaciam non haberent. Et ratio est, quia causa ut sic, non pendet à subiecto, circa quod operatur: & ideo, licet illud remoueatur, ipsa non necessario trahitur ex vi talis motus, si non habet cum illo coniunctionem aliam: necessarium ergo est hanc ponere. Sexto tandem hoc declaratur: quia, ut supra ostendimus, esse sacramentale corporis Christi, præter intrinsecum modum præsentia, includit inseparabilem quandam habitudinem & coniunctionem ad species: ita ut, inseparabilis præsentia mutua corporis & specierum sit de ratione huius sacramenti: ergo oportuit, hanc coniunctionem fieri per intrinsecum vinculum, quoad fieri potest: nam licet consistere possit, loquendo de absoluta Dei potentia ex solo pacto extrinseco, & efficacia diuinæ voluntatis, tamen melius dicitur fieri per causas secundas, quando commode fieri potest: hoc enim & diuinæ providentiæ magis est consentaneum, & ad maiorem huius sacramenti perfectionem, & efficaciam pertinet. Et per hæc factis responsum est rationibus in principio factis: nam de aliis locutionibus, quæ ibi attinguntur, dicemus plura in sectione sequenti.

Sed supersunt nonnullæ difficultates, circa posteriorem assertionem. Prima est, quia, vel hæc coniunctio effectiua, est de intrinseca ratione, & vnitæ prædictæ huius sacramenti, vel non: si non, superflue & sine causa ponitur: quia sola illa vnio hic asserenda est, quæ ad ipsius sacramenti constitutionem pertinet. Si autem dicatur primum, sequitur primo, hoc sacramentum non confici per actionem verborum, quia vnio effectiua non potest fieri per actionem quæ extrinsecam alterius, sed per mutuum actionem extremorum, quæ inter se vniuntur, ut in præsentia vniantur corpus & species per actionem corporis in species, & specierum in corpus: illæ autem actiones non possunt fieri per actionem verborum: repugnat enim vnæ actionem per aliam fieri: tum quia hoc ipso quod actio est fieri termini, intrinsece & essentialiter est fieri sui ipsius, tum etiam, quia alias procederet in infinitum. Ex quo sequitur secundum, hoc sacramentum confici, & constitui in primo instanti, in quo terminatur prolatio verborum: patet sequela: quia in eo instanti fit actio verborum, per quam efficitur tota consecratio: ergo tunc verba efficiunt præsentiam corporis Christi sub speciebus, separando illas à proprio subiecto, & per se constituendo: ergo in eo instanti non est vnio effectiua: ergo non est integro sacramentum constitutum.

Responderi potest primo, non esse inconueniens in eodem instanti, in quo verba efficiunt consecrationem, efficere simul corpus, & species inter se: vel eundem terminum efficiendo per actiones diuersas, vel certe, quod verba prius natura attingant substantiam corporis Christi quam præsentiam: illa vero substantia, quasi producta vi verborum, statim efficit separationem specierum à substantia panis: & contrario vero species efficiunt præsentiam corporis Christi secum. Hæc responsio est probabilis: sed mihi non omnino placet. Primo quia non videtur negandum, quin virtute verborum fiat præsentia corporis Christi sub speciebus: tum quia hoc significant verba, Hoc est, & c. tum et quia actio verborum in corpus Christi, vel formaliter terminatur ad solâ præsentiam vel certe taliter fit, ut necessario contingat ipsam præsentiam, ut disput. 11. latius dicam. Et similiter negandum non est, quin verba effectiuè expellant substantiam panis, & consequenter separent accidentia: alias non fieret conuersio virtute verborum,

rum. Deinde non recte dicitur, corpus & species simul cum verbis efficere eodem termino: quia vel efficiunt, ut causa, seu instrumenta totalia: & hoc superfluum est, & sine fundamento dicitur, quia corpus & species non possunt inter se habere actionem, nisi ut actio verborum iam ad illa intelligitur terminata, ad quid ergo ipsa efficiunt illud idem, quod virtute verborum factum inveniunt? hoc enim est ingens miraculum, quod multis videbitur impossibile, & ut minimum, est valde superfluum: Vel intelligitur corpus & species efficere cum verbis ut instrumenta partialia. Et hoc etiam dici non potest: tum quia tota consecratio fit virtute verborum, ut infra videbimus, tum etiam, quia cum corpus & species non possunt efficere, nisi ut consecrata, seu consecrata per verba, non possunt coefficere ipsi actioni, ut scilicet terminus enim non potest esse actionis principium.

Dicendum ergo videtur, in eo primo instanti non esse mutuam effectiorem inter corpus & species: est enim haec notanda differentia inter vniorem formalem & effectiuam, quod vniio formalis consistit in aliquo modo intrinseco utriusque, vel alteri extremorum, quia quantum est ex modo existendi, quem habet, potest esse terminus actionis vniituae. At vero vniio effectiuam solum consistit in actione, cuius terminus non est aliquis modus vniionis, praeter existentiam, & praesentiam mutuam extremorum inter se. Vnde haec vniio, quatenus est actio extremorum inter se, non potest esse terminus alterius actionis, ut argumentum supra factum recte concludit: quia ergo in instanti, quo finiuntur verba, non est nisi actio verborum, & terminus eius, ideo non intercedit tunc mutua actio inter corpus, & species. Quapropter consequenter negandum est, huiusmodi actionem esse de intrinseca constitutione huius sacramenti: sed solum id, quod per illam fieri seu conservari potest, quod in eo instanti perfectum est ex efficacia verborum: postea vero, id est, immediate, post illud instans incipit conservari per efficaciam extremorum inter se: quod non pertinet quidem ad rationem sacramenti, quia non in fieri, sed in facto esse consistit: pertinet tamen ad perfectionem eius, ut per intrinsecam efficaciam suam intercedat intrinseca quaedam, & indissolubilis coniunctio inter ea, ex quibus coalescit: & hanc habet in primo instanti, ex virtute formae, sub qua pro illo instanti totum sacramentum existit: post illud vero instans perseverat illa coniunctio, per mutuam actionem extremorum inter se, quam efficiunt, veluti per virtutem relictam a forma ex vi consecrationis.

Alter explicari posset, quamvis res eodem reuolueretur, esse de ratione huius sacramenti, ut hoc vinculum inter Christum, & species sit per actionem propriam & intrinsecam ipsius sacramenti, seu alicuius partis eius, & ideo in primo instanti consecrationis immediate fieri virtute formae: postea vero conservari mutuo ab ipsis rebus, quae sacramentum componunt, quasi ex virtute in eis relictam, ratione formae & consecrationis.

Secunda difficultas est, quomodo species & corpus Christi possint inter se inuicem agere, & in eodem genere causae efficientis, alterum ab altero mutuo pendere: quia causa efficiens supponitur ad actionem tam secundum existentiam, quam secundum omnes condiciones ad agendum requisitas: ergo, ut corpus Christi agat in species, supponitur existens, & praesens hic: quia in hoc sacramento Christus non agit, nisi ut existens hic, & e converso, ut species agat in corpus Christi, supponitur esse, & tali modo esse, scilicet non inhaerentes, sed subsistentes: tum, quia, ut alibi iacius probavi, prius natura res existit, & subsistit, quam operetur: tum etiam, quia species nihil agunt, nisi ut consecrata, & a substantia separata: loquendo de actione sacramentali & supernaturali:

Franc. Suarez Tom. 3.

ergo vel species non possunt in hoc modo existendi dependere a corpore Christi, sibi praesente: vel, si pendunt, non possunt ipse aliquid efficere circa corpus Christi, quia iam in illo supponitur, quicquid per illas effici posset. Dices fortasse, supponi ibi Christum constitutum, & species separatas in illo instanti verborum. Sed hoc non satisfacit, quia illa actio, qua Christus conservat species, supponit ipsum sub speciebus: ergo ut sic, non potest pendere a speciebus. Vnde D. Thom. infra q. 76. art. 6. ad 3. discrete negat, *5. Thom.* Christum pendere ab speciebus: est enim eadem ratio de conservacione, & de prima effectiione: quia conservacio supponit principium agendi, non ut praerit in tempore, vel instanti immediate praecedenti, sed ut prius natura, pro eodem instanti, in quo agit, conservando. Aliter dici posset, ad hanc vniorem effectiuam non oportere, ut sit ista efficiencia reciproca, sed satis esse ex parte alterius extremi, ut, verbi gratia, quod Christi corpus effectiue sustentet species, quamvis nihil efficiant circa corpus Christi, vel e contrario. Sed hoc etiam mihi non placet: quia, ut videbimus, si quae sunt coniecturae, quae probant hanc vniorem effectiuam, non minus procedunt ex parte vnius, quam alterius extremi: fortasse magis vrgent ex parte specierum, cum tamen non videatur corpori Christi neganda haec efficiencia, quae ad perfectionem pertinet. Adhuc dici posset aliter, non repugnare, de potentia absoluta aliqua duo a se mutuo pendere in genere causae effectiuae. Sed hoc, vel reuera est falsum, ut argumentum factum probat: vel, si aliquo modo est possibile, supponit multa miracula non necessaria, de quibus modo agendum non est. Respondetur ergo, in ordine ad diversa, non esse inconueniens, esse mutuam efficienciam inter aliqua duo: nam & habitus efficit actum, & actus habitum intendit: sic igitur declarari potest in praesenti haec mutua efficiencia nam, in primis, ut verisimilius suppono, species non attingere, seu conservare effectiue ipsam substantiam corporis Christi, ut infra dicemus: non est tamen necesse, ut species eandem efficienciam habeant, quia magis expediens fuit, ut ipse, quatenus consecrata, & separata sunt, pendant & sustententur a corpore Christi: & ideo ordine natura supponunt corpus Christi subsistens independentem ab ipsis: sic igitur corpus Christi potest per suam substantiam, & entitatem, quae ab accidentibus panis non pendet, efficere in eadem accidentia, & conservare illa, tum in existentia, tum in modo existendi, tum etiam in praesentia: at vero species possunt efficere circa corpus Christi praesentiam, seu coniunctionem, aut attractionem ad se, quia non est necesse, quod illa actio corporis Christi circa species supponat hanc praesentiam, ut conditionem necessariam ad agendum: haec enim condicio, ut supra ostendimus, in diuinis instrumentis non necessario supponitur: imo interdum fit actio sine tali praesentia: in praesenti vero, quamvis actio non fiat, nisi a corpore Christi praesente, illa tamen praesentia concomitanter, seu consequenter se habet, non vero ut principium, seu conditio simpliciter necessaria: quae ad actionem supponatur: sic enim ille modus praesentiae corporis Christi potest immediate pendere a substantia eius: ergo & mediantibus speciebus, quia est eadem ratio, quoad hoc, quoniam efficiencia illius praesentiae supponit substantiam, non tamen praesentiam ipsam.

Sed dices tandem, quomodo possunt species ad se trahere corpus Christi? oportebit enim, ut illa qualitates aliquam imprimant. Respondetur primum si ea qualitas solum est, veluti impetus motioni accommodatus, non est magnum inconueniens illam admittere, quia non est qualitas corruptiva, nec maiorem imperfectionem affert, quam ipse motus, vel praesentia localis. Secundo tamen dicitur, non esse hanc qualitatem necessariam: potest enim effectio

Z z 2 proxi-

proxime ad ipsam praesentiam terminari, sicut Deus solus potest illam efficere, sine impressione qualitatris: & sicut fortasse Angelus mouet caelum sine impressione alicuius impetus: hic enim necessarius est, quando vis agentis non potest proxime attingere effectum: alioquin sicut potest impetus immediate efficere motum, ita & vis agentis, si sit satis propinqua & proportionata.

Ad fundamenta secunda sententiae ex dictis patet responsio. Ad fundamenta vero primae opinionis nunc breuiter dicitur, neque ad veram rationem conuersionis, neque ad aliquid aliud, esse necessariam maiorem unionem inter Christum, & species, quam a nobis explicata est. Reliqua vero, quae ibi attinguntur, partim in sequenti sectione, partim in sua disputatione de transubstantiatione tractabuntur.

SECTIO IV.

Quae denominationes, & quasi idiomatum communicationes consequantur corpus Christi ex hac praesentia.

Proposuitur varia ratio- nes, quae in Eucharistia reperuntur, sub quibus varia praedica- ta illi tribuuntur.

Hae quaestio proponitur, ad explicandum modum loquendi in hac materia, qui in huiusmodi mysteriis est cognitu necessarius: tum ad exactius intelligendam rem ipsam, tum ad vitandos errores. Aduertendum ergo est, cum Christus sit in hoc sacramento vere realiter, & substantialiter, quaedam posse de illo hic existente absolute, & simpliciter dici, ratione suae substantiae: quaedam vero ratione modi existendi hic: quaedam propter conjunctionem ad species, & propter relationes, quae inde consequuntur: quaedam denique ratione ipsarum specierum: quae duplicia esse possunt: alia, quae reuera conueniunt corpori, quamuis mediis speciebus: alia, quae reuera solum speciebus insunt: denominant tamen corpus, veluti per quandam idiomatum communicationem, quorum omnium exempla in sequentibus proponam. Similis fere distinctio intelligi potest in ipsis speciebus: manent enim in hoc sacramento accidentia panis, alio tamen modo: vnde quaedam de illis possunt dici propter id, quod sunt: quaedam propter modum existendi, quem habent, quaedam propter id quod continent, vel representant: quaedam denique propter eam substantiam, quam antea continebant, & ex natura sua postulabant. Hic praesertim agimus de locutionibus, pertinentibus ad corpus Christi, de quibus nonnullas regulas trademus: nam quae ad species pertinent, pendunt ex his, quae de absentia substantiae panis in sequenti disputatione dicendi sumus: indicabimus tamen modum applicandi dictas regulas, quia fere est eadem proportio, supposita fidei veritate. Primo ergo dicemus de Christo, postea de speciebus. Circa Christum autem ea, quae ad absolutas praedicationes pertinent, faciliora sunt.

Omnia praedicta abso- luta, quae Christo secundum se conueniunt, de illo dicuntur et in Eucharistia.

Vnde dico primo: Omnia praedicta essentialia, seu substantialia, & accidentalia omnino absoluta, quae Christo secundum se conueniunt, dicuntur de Christo secundo, prout est in hoc sacramento. Aduertendum est: aliud esse, aliud vero conuenire illi, prout hic existit. Primum est verum de omni praedicto conueniente Christo quacumque ratione: quia solum denotat, eam formam conuenire subiecto hic existenti, non vero conuenire hic, seu formam ipsam esse in illo, prout est hic: & hoc modo de Christo in sacramento existente vere dicitur esse in caelo, & esse in loco naturali modo, &c. quia est idem omnino Christus: at vero in posteriori modo praedicationis denotatur praedictatum quod dicitur de Christo prout est hic, seu formam, quae per tale praedictatum significatur, esse hic praesentem: & hoc sensu, intelligitur conclusio, quae tam est certa, quam certum est totam Christi substantiam, & omnia accidentia absoluta, & conuatu-

ralia illi, esse in hoc sacramento: de quo dicendum est infra qu. 76. & ita Christus, prout est hic, vere, ac proprie dicitur homo, Deus, sapiens, pulcher, & similia.

Dico secundo: Praedicta, quae significant modum existendi, si respiciant localem modum, non possunt dici de Christo, prout est in hoc sacramento: si vero significant modum sacramentalem, vere de illo affirmantur. Itaque poterit dici Christus esse hic substantialiter, & realiter, quia haec solum denotant praesentiam realem: & poterit item dici esse hic in multis liter totus in toto & in singulis partibus: quia haec & similia indicant verum modum sacramentalis praesentiae: non poterit autem dici esse hic extensus, aut circumscriptus, quia non habet hic realem modum existendi: & eodem sensu, non poterit dici esse localiter hic, an vero in alio sensu dici possit, infra qu. 76. dicemus, ubi de hoc, & de aliis modis inquirendum est. Haec vero praedictio, est hic corporaliter: & quia uoca est: nam si solum significet veram praesentiam corporis, vera est: sicut propter essentiam substantiam, dicitur, esse substantialiter: si vero illum corporaliter dicat modum proprium existendi corporis in loco, neganda est: & hoc modo dicunt inter dum Sancti, non sumi hic Christus carnaliter, sed altiori modo, vt disput. praeced. sect. 2. & 9. tractatum est: idem iudicium est de hac voce, Naturaliter: absolute enim est hic Christus supernaturali modo, atque ita supernaturaliter: Interdum vero dicunt Sancti, vere, ac naturaliter hic esse, & a nobis sumi: vt explicet realem eius naturam hic adesse: vt idem sit naturaliter, quod vere, ac realiter.

Dico tertio: Praedicta quaedam, quae indicant unionem aliquam Christi ad species, per modum continentiae, seu mutuae realitatis praesentiae, vere ac proprie dicuntur de Christo vt hic existente. Sic dicitur Christus contineri sub speciebus, & similia: & ratio est, quia vere intercedit aliqua unio, saltem per effectiorem & inseparabilem, ac intimam praesentiam: ergo ab hac potest redudare aliqua denominatio ad Christum ex speciebus: si enim ex loco circumscripte denominatur corpus locatum, seu contentum, & ex habitu vestitum, quid mirum, quod Christus sub speciebus existens aliquam proportionatam denominationem ab eis sumat?

His positus, quae clariora sunt, difficultas est, de quibusdam praedictis, quae significant unionem, vel aliquid simile in accidentibus: quomodo dici possint de corpore Christi, quali per communicationem idiomatum: huiusmodi sunt, frangi, moueri, tangi, videri, & similia, de quibus duplex potest esse opinio.

Prima, quae sine vlla distinctione affirmat, has locutiones vere ac proprie dici de corpore Christi: ita docere visus est VValdensi. tom. 2. de sacram. c. 53. & sequentibus: & tom. 3. de sacramentalibus. cap. 41. & 42. eum secutus est Cano libr. 5. de locis. c. vlt. ad vicimum, & in eandem sententiam inclinant Ruard art. 14. pagina 301. & Soto d. 10. q. 2. art. 7. idem etiam sentit Alan. libr. 1. de Euchar. c. 37. qui nimis videtur in ea opinione tuenda. Fundamentum eorum esse potuit, quia Sancti Patres haec omnia indifferenter praedictat de corpore Christi, sc. videri, contrectari, frangi, ac dentibus atteri, vt videre licet in Chryl. Hom. 45. in Ioan. & 24. & 46. in primam ad Cor. 83. in Matt. & 61. ad Populum, Cyril. 12. in Ioan. ca. 58. Greg. hom. 22. in Euangel. Theophyl. & aliis expositoribus, & ad Cor. 11. circa illud verum, Quod pro vobis frangitur, Alger. lib. 1. de hoc sacramento, cap. 18. vbi in eandem sententiam August. refert, & fauet verbum Clementis in epist. 1. habetur in c. Tribus, de Consecrat. d. 2. vbi appellat, fragmenta corporis Domini, denique Act. 2. Lucae 22. prima ad Cor. 10. videtur vsurpari illa locutio, Panis, quem frangimus. Tandem (quod difficultus est) Berengarius in sua professione fidei co-

ens est confiteri, corpus Christi vere esse in altari, frangi, & sensibilibus manibus sacerdotum contrectari, ac dentib. atteri. fidei autem profelsio & heresis abiuratio propriis sermionibus fieri debet.

Secunda sententia est, quae e& contrario, sine distinctione dicit, has omnes locutiones esse improprias, metaphoricar, & solum per quamdam extrinsecam denominationem dici de corpore Christi. Quae sententia merito tribui potest Durand. in 4. dist. 10. qu. 3. quatenus negat, eas etiam voces, quae mutationem localem significant, proprie ac vere dici de Christo in hoc sacramento, quia reuera (inquit) in se non mutatur, etiam per accidens, sed solum denominatione extrinseca. Et fundatur in eo errore, quem supra ex eodem reuimus, scilicet Christum no& esse hic praesentem, nisi sola praesentia ordinis: unde citato loco negat, hic vere, & realiter contineri: unde consequenteriam negat, vere, & realiter moueri, in quo cum illo sentit Caietanus infra q. 76. artic. 6. non quidem ex illo erroneo fundamento: sed ex alio falso metaphisico principio: existimat enim, Angelos, & quamlibet substantiam non existentem in loco quantitatie, non mutare locum per mutationem intrinsecam sibi inhaerentem, sed per denominationem extrinsecam.

Distinctione tamen opus est: in hoc enim sacramento quaedam ita sunt circa species, vt ex eis consequenter fiat, seu transeat aliqua mutatio ad corpus Christi in seipso: quaedam vero ita sunt circa species, vt in eis tantum versentur, & non transeant ad corpus Christi in se, exempla postea subiiciam.

Dico ergo quarto in hac sententia, praedicata prioris generis, quatenus significare possunt mutationem aliquam vere ac proprie factam in corpore Christi, cum omni proprietate de illo dicuntur. Ratio est clara, quia vnaquaeque res proprie denominatur a mutatione in ipsa facta seu recepta, etiam si contingat ex mutatione alterius redundare. Exempla sunt, primum in terminis significantibus mutationem localem: verissime enim, ac propriissime dicitur corpus Christi eleuari, circumferri: & propterea etiam dicitur proprie manducari: quia haec vox mutationem localem indicat: solum est obseruandum, quod sicut praesentia realis corporis Christi, licet non sit proprium vbi quantitatum, significatur tamen terminis localibus, vt esse hic, & ibi, quia non habemus alias voces, quibus veritatem illius praesentiae significemus: ita hanc mutationem, licet non sit proprius motus phisicus, quantitatus, significamus vobis, indicantibus motum localem, quia non habemus alias, quibus declaremus, hanc veram, realem & successiuam mutationem, quae fit in corpore Christi: & hoc modo dicimus huiusmodi locutiones esse proprias, vt recte notauit Petrus Soto, lect. 6. de Eucharistia, & est communis Theologorum sententia in 4. d. 10. vbi Scot. q. 5. & 6. Richard. art. 4. q. 1. Paluda. & Capr. q. 3. Maior q. 6. Argent. q. 2. art. vlt. Marfil. qu. 7. artic. 3. concl. 4. Gabr. lect. 46. in Canon. & alij, quos statim referam: & sine dubio est aperta sententia D. Thomae, q. sequenti, art. 6. vbi dicit Christum moueri per accidens, motis speciebus ad eum modum, quo mouetur anima, moto homine, & in vniuersum, motis nobis, mouentur ea, quae sunt in nobis. Et contra Durandum sufficiens argumentum est, quod ex falso, & erroneo fundamento procedit: de hmitum est enim cap. Firmiter, & in Trid. sess. 13. quod autem in aliquo continetur, vel mouetur moto illo, vel definit sub illo contineri. Contra Caietanum vero fieri possunt argumenta omnia, quae de Angelis sunt, & in vniuersum fieri possunt de omni eo, quod mutat praesentiam realem, & consequenter propinquitatem, vel distantiam: ostendimus enim, hanc praesentiam esse aliquid reale in re praesenti: ergo non potest mutari, sine vera mutatione ipsius rei. Deinde mutata praesentia, mutantur relationes, & non propter mut.

Franc. Suarez Tom. 3.

tationes terminorum, vt suppono, ergo propter mutationem ipsius subiecti, seu fundamenti, quod in illo est. Tandem in ipsa voce est repugnantia: cum dicitur, aliquid mutari, per solum extrinsecam denominationem, alias Deus mutaretur, cu& creat: & Verbum cum est vnitum humanitati. Et ratio est, quia mutatio proprie est actus mobilis, seu subiecti, & ideo nihil proprie, ac vere dicitur mutari, nisi quod est subiectum motus, vel secundum se totum, vel secundum partem. Neq; Durand. & Caietan. contra hoc obiciunt aliquid, quod difficultatem faciat, vt ex infra probandis seu tractandis constabit. Solum est aduertendum: hoc exemplum debere intelligi, quando species mutant locum, ita vt nouum aliquem locum acquirant: quia si motu circulari intra omnino idem spatium moueantur probabile est, tunc corpus Christi Domini non mutari, vt multi ex citatis authorib. docent, praesertim Maior q. 6. quia ibi tantum fit mutatio loci specierum, secundum partes, in quibus totus Christus exiit, & ideo necesse non est, in ipso fieri motum. Quae ratio recte probat, realem motum no& esse necessarium: & ideo verisimile est, non fieri: non esset tamen difficile defendere, etiam in illo modo posse Christi corpus moueri, quia posset mutare partiales modos praesentiae, sed non est, quod in hoc immoremur. Secundum exemplum est, in desitione huius praesentiae corporis Christi, corruptis speciebus, hoc enim proprie & vere dicitur: quia vere fit in Christo aliqua mutatio amissionis illius praesentiae: cu& enim illa aliquid reale fit in corpore Christi, illa amissa aliter se habet corpus Christi, quam antea: ergo mutatum est. Propter haereticos vero, qui hoc sacramento blasphemant, caute loquendum est, quauis n. proprie dicatur corpus Christi amittere praesentiam, seu definire esse hic, non tamen absolute dicendum est definire esse, nec corrupti, nec digeri, seu mutari in substantiam aliam, quia haec significat corruptionem substantialem. Unde etiam fit, eas translationes, quae fieri solent circa materia panis, post corruptionem panis, & accidentium eius, nullo modo posse denominare Christi corpus, cum post corruptionem specierum, iam praesens non adsit, & omnis haec denominatio supponat hanc praesentiam, de qua legitur V Valdensum to. 2. c. 65. & Claudium repetit. 5. c. 3.

Atq; hinc sequitur primo, quid dicendum sit de aduerbiis localibus, vt esse hic, vel alibi, vel in pluribus locis, simpliciter enim ita loqui possumus, quia non habemus alia verba, quibus hanc praesentiam significemus: & quia illae voces non necessario significant modum existendi alicubi circumscriptiue, seu cum locali extensione quantitatis, sicut enim etiam dicimus, esse hic, vel alibi. Deniq; ita loquuntur Sancti, & Theologi, quos supra reuimus: & eodem modo dicimus etiam, Christum contineri sub speciebus, includi in tabernaculo, habitare in Ecclesia, & similia.

Secundo colligitur, nomina significantia relationem propinquitatis, vel distantiae proprie ac vere dici de corpore Christi per intrinsecam denominationem. Hoc per se clarum est, quia, cum realis praesentia sit verus modus corporis Christi, est sufficiens fundamentum huius relationis, imo ex intrinseca ratione harum denominationum necesse est, illas proprias esse, & intrinsecas, saltem ratione fundamenti: unde si alias sit res capax relationis realis, non est cur illa non consurgat. Solum est in relationibus, quae significant distantiam, cauenda aequiuocatio quaedam, in verbo enim distandi, includitur negatio praesentiae ad rem alteram, seu ad alium locum: cum autem Christus propter hanc praesentiam in vno loco, non priuatur praesentia in aliis locis, ideo licet sit propinquus terra, non distare dicitur a caelo, & eadem ratione no& dicitur proprie distare a se ipso, quia non potest a seipso separari, quamuis modus existendi, quem

V Valdensi. Claudius. Aduerbia locatia simpliciter possumus ac Christofidici.

Similiter et nomina significantia propinquitatem vel distantiam.



di quem habet in caelo, potest distare à modo quem habet in sacramento, & è contrario.

Tertio colligitur, propter has denominationes, non esse necessariam vnionem formalem, quia quod vnum mutetur ad motum alterius, non semper prouenit ex vnione formali: sed ex quacumq; connexione etiam effectiua oriri potest, vt ex se constat: & similiter, quod aliquid amittatur, deficiente altero, indicat quidem necessariam dependentiam, non tamen necessario formalem vnionem. Vnde quod ex illo exemplo colligit Henricus, quod lib. 1. q. 5. species esse corpori Christi rationem formalem existit dicit, si proprie, & in rigore sumatur, non est verum, vt ex dictis constat.

Henricus.

Quae sunt circa species, & non ponunt aliquam mutationem in ipso corpore Christi, neq; attingunt ipsum in se, non proprie illud denominant, sed interdum metaphoram, vel extrinsecam denominationem. Ratio primae partis est, quia cum corpus non sit proprie vnium specieb, vnione formalis, si ad ipsum non pertingit forma denominans, non est cur ipsum proprie denominet propter solas species, quod aperte confirmabunt exempla secundae, & tertiae partis. Probatur ergo secunda pars, quia licet species calefiant, vel alterentur, non dicitur corpus Christi alterari, sicut in cap. In quadam, de Celebrat. miss. dicitur non madeseri, etiam si madesiant species panis, cum mittuntur in calicem. Et confirmatur, quia corpus Christi non denominatur quantum, rotundum, aut album, ab ipsis speciebus panis, sub quibus ipsum manet, ergo nec denominabitur calidum à calore in eis existente, siue antiquo, siue de nouo factò, ergo nec denominabitur calefieri. Et confirmatur secundo, quia actiones procedentes ab speciebus non tribuuntur corpori, aut sanguini Christi, vt non dicitur sanguis frigidescere, etiam, si species frigidissime sint, & haec exempla ostendunt, non intercedere formalem vnionem, nec denominationes alias in illa fundari: alias istae etiam denominationes ex illa oriuntur: esset enim aequalis ratio, sicut etiam videmus fieri in mysterio Incarnationis, dicitur enim, Verbum, ratione humanitatis vnictum, & ambulare, & mori, & calefieri, &c.

Exempla tertiae partis conclusionis sunt, primum de fractione, quod enim corpus Christi frangi, aliquo modo dicitur, probant adducta in prima sententia, quod vero illa locutio metaphorica sit, & non propria, colligitur ex D. Th. infra q. 77. art. 7. in corp. & ad 3. vbi dicit, Christum proprie dici manducari, non sic autem frangi, sed tantum ratione specierum, in qua doctrina, & differentia confirmat vtramq; conclusionem nostram, idem optime docet in 4. dist. 12. q. 1. artic. 3. quaest. i. ad 1. & ibi Bonau. ar. 3. q. 1. A. len. qu. 420. memb. 1. Gabr. lect. 80. in can. Victo. in sum. nu. 69. & Petr. Soto dicta lect. 6. & bene Innoc. lib. 4. c. 9. & 10. vbi aduertit, Berengarium haereticum coactum esse vt in sua confessione nomine contraeactionis, fractionis, quia ipse antea dolose fatebatur, haec fieri circa corpus Christi, sed postea explicabat, in signo corporis Christi, & ideo compulsus est fateri fieri non circa nudum signum, etenim hoc sensu dictum est, fieri circa corpus, id est, circa sacramentum, quod vere, & realiter continet corpus. Ratione patet, quia fractio proprie & in rigore significat diuisionem, & discontinuationem partium, quam constat non fieri in partibus corporis Christi. Ratio autem metaphorae esse potuit, vel, vt per illam locutionem magis declararetur realis praesentia: vel quia fractio nunquam fit, sine motu locali: & ita cum fit fractio, corpus Christi vere mouetur, & ita aliquid participat de fractione: vel quia fractio ad distributionem ordinatur, praesertim quando est ad vsum, vt est illa, de qua fit mentio in Scriptura: corpus autem Christi proprie distribuitur, & ita sumi potuit fractio pro

D. Thomas.

Bonauent. Alensis. Gabr. Victoria. Petrus Soto. Innoc.

distributione, vel certe, quia cum franguntur species ipsa praesentia corporis Christi, quae antea tantum erat vna in actu, & plures in potentia, per fractionem fit plures in actu, & ita quodammodo diuiditur, q. Soto supra notauit. Deniq; quia haec locutio metaphorica est, interdum simpliciter negatur, ne ad ipsum Christi corpus referri videatur, & ita dicit Ecclesia: Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, Et non cofractus, non diuisus integer accipitur, de quo legitur Guitmund. l. 1. de hoc sacramento. parum à principio, VValdenf. tom. 2. c. 39. & Rossent. lib. 2. contra OEcolampad. c. 34.

Secundum exemplum huic simile est de contactu, seu contractione sensibili corporis Christi, nam prius contactus solum est inter res extensas in ordine ad locum, quarum extrema sunt simul, & hoc modo non potest in hoc sacramento esse verus ac proprius contactus circa corpus Christi, quin potius neq; ipsae species ipsum proprie tangunt, vt recte dixit Henricus, quolib. 1. q. 5. & Richard. dist. 10. a. 4. q. 2. & Capreol. q. 1. ad 3. contra primam conclusionem, & inuauit Altioid. lib. 4. tract. 5. c. 4. dicens, quod species tantum adsunt corpori Christi, & velant ipsum, quia tamē, vt supra diximus, quodammodo comparantur species ad corpus, sicut habitus ad rem vestitam, quem admodum dicimus tangere hominem, tangendo eius vestem, ita dicimus quodammodo tangere Christum tangendo species, & praesertim vsurpatur haec locutio ad explicandam magis realem praesentiam, vt late Claud. reper. 5. c. 3.

Tertium exemplum est simile de missione, dicitur enim corpus Christi miseri sanguini, vt in canone dicimus: Fiat commistio corporis & sanguinis. Proprie autem missio per iuxta positionem videtur includere duo, & diuisionem miscibilium in partes, & contactum partium inter se. Quae duo possunt interuenire inter species vini, & panis: non autem inter ipsum corpus, & sanguinem: haec autem dicuntur inter se miseri, quatenus ex vi verborum consecrationis, sub partibus specierum panis, est corpus: & sub partibus specierum vini, est sanguis: & illa miscetur inter se: & ita quodammodo fit missio inter corpus & sanguinem, secundum praesentiam sacramentalem. Vltimo dicitur corpus Christi videri per species, non quidem proprie, & in se, hoc enim modo Christi corpus est hic inuisibile, propter quod interdum inuisibile vocatur ab Aug. in c. Nos autem, &c. Hoc corpus, de Consec. d. 2. Et sic etiam dicitur Sancti in hoc sacramento, aliud videri, aliud credi. Amb. lib. de myst. c. 9. & Cyri. Hierosol. catech. 4. dicitur ergo videri, sicut de contactu dixi, ad explicandam magis realem praesentiam, dicitur enim interdum videri, quae solum in proximo continente, vel per accidens sub aliquo signo, in quo realiter continentur, percipiuntur visu: quomodo interdum in Scriptura dicuntur videri Angeli, in corporibus assumptis, ad hunc ergo modum dicitur videri corpus Christi sub speciebus, & sic etiam interdum dicitur visibiliter sumi, vt est apud Aug. ser. 2. de verbis Apostoli, legatur D. Th. infra q. 76. art. 7. Hugo de sancto Vi. lib. 2. de sacramen. par. 8. c. 7. Raban. lib. de corp. & sanguin. Dom. c. 26. Claud. reper. 4. c. 6.

Atq; hinc facile patet responsio ad fundamenta vtriusq; opinionis, & praesertim ad illam interrogationem: si haec locutiones sint metaphoricae, cur Berengarius in sui erroris abiuratione, illis vi coactus sit, cum fidei professio verbis maxime propriis fieri debeat. Respondetur enim primo, id factum esse, quia metaphorae illorum a verborum est satis perspicua, & aliunde est aptissima ad explicandam veram Christi praesentiam. Deinde ex Innoc. supra, c. 10. quia ille haereticus fatebatur haec fieri circa corpus Christi in sacramento, dolose tamen: intelligebat enim fieri solum in signo, sub quo negabat, vere Christum contineri, & ideo

Guitmund. VValdenf. Rossent.

Henricus. Richard. Capreol. Altioid.

Claud.

Aug.

Ambrosius. Cyri.

Aug. Hugo. Raban.

Claud. Berengarius.

DISPUTATIO XLVIII.

De comparatione utriusque praesentiae, sacramentalis, & naturalis corporis Christi.

& ideo coepulsi est confiteri realiter fieri circa Christum, id est, circa sacramentum, in quo Christus realiter continetur, nam, quia sacramentum hoc consistat ex corpore Christi, & speciebus: ideo, quae sunt in illoratione specierum, dicuntur quae d'immodo fieri circa corpus Christi.

Ex his vero sequitur, has locutiones, cum metaphorice sint, non esse admodum extendendas, nec praeter usum Sanctorum, ne alicui fortasse erroris occasio detur, propter quod vitamus eas, vel locutiones, vel denominationes ab accidentibus sumptas, quae indicare possunt, talia accidentia Christo inherere: ideo non dicimus, corpus Christi esse rotundum, aut album, calidum, aut frigidum, alteratis speciebus, & eadem ratione non dicitur obdurari Corpus Christi, aut accrescere sanguis, licet haec fiant circa species. Et haec etiam exempla confirmant, priores denominationes non esse proprias, nec fundatas in vera, ac formalis unione inter Christum & species, alioquin eadem ratio esset de omnibus praedictis. Et hinc obiter etiam intelligitur, an haec locutiones sint a. Immittenda, hoc album, vel hoc rotundum est corpus Christi, de quibus late agit Vvaldens. to. 2. de sac. c. 72. ubi simpliciter & in rigore falsas esse existimat, quia illud subiectum, album, vel rotundum, in rigore supponit pro subiecto eorum accidentium, & illud non est corpus Christi, sicut et, haec est in rigore falsa, hoc quantum est corpus Christi, quia hoc quantum supponit pro haec extensa, & haec quidem est dialectica proprietas locutionis, si sola proprietas illorum terminorum connotatiuorum attendatur: tamē, si illud pronome hoc, extrahat subiectum ad illam rigorosam significationem, & significet contentum sub hoc albo, vel quato, verus erit sermo, & idem iudicium est de his, hoc sensibile est corpus Christi. E contrario vero, an corpus Christi, prout est hic posset dici sensibile, vel tangibile proprie, & non metaphorice, distinctione opus est: nam, si illa verba significant proprietatem corporis secundum se, verae sunt propositiones, si autem modum existendi, erunt falsa, quo sensu dixit Aug. in c. Nos autem, de Consec. dist. 2. Sumere nos in sacramento res insensibiles, carnem & sanguinem Domini. Corpus ergo Christi, quod hic est visibile, est & tangibile: non est tamen proprie visibile, ut est hic, quamvis metaphorice dicatur ratione specierum visibiliter sumi, ut Aug. ser. 2. de verbis Apostoli loquitur.

Dico sexto, Quae conveniunt corpori Christi secundum se, non possunt dici de speciebus, nisi valde metaphorice & improprie, eo modo, quo nomen rei significat tribuitur signo. Ratio est clara, quia corpus Christi est res omnino distincta ab speciebus, neque ita illis vnitur, ut sua attributa illis communi. Iuxta hanc conclusionem interpretantur multi, quod alibi dixit Aug. Sacramentum corporis Christi, quodammodo dici corpus Christi.

Dico septimo, Quae conveniunt pani praecise, ratione suae substantiae, non dicuntur proprie de hoc sacramento, sed vel nullo modo, vel per metaphoram. Ratio est, quia hic non adest substantia. Unde fit, ut hoc sacramentum non possit dici absolute, & simpliciter panis, sed vel metaphorice, quia ex pane coactum est: vel, quia sub accidentibus panis datur, vel cum addito, significationem eleuante, ut cum dicitur, panis vitae, qui de caelo descendit.

Dico ultimo, Denominationes, quae consequuntur actionem mutuam inter Christum & species, proprie de ipsis dicuntur seruata proportione. Ratio est, quia, ut diximus, vera actio inter ipsa intercedit: unde proprie dicitur Christus sustentare species, si effectiorem significet, & eodem sensu dicuntur species continere Christum, & eadem ratio est, de relationibus consequentibus actionem, seu mutuam realem praesentiam.

Docet Catholica fides, Christum Dominum simul existere in hoc sacramento, & in caelo, & in nocte cenae simul extitisse in cenaculo, modo sibi conaturali & visibili cum discipulis suis, & post consecrationem sub speciebus panis, modo sacramentali.

Ad explicandam ergo propriam rationem, & differentiam sacramentalis praesentiae, de qua nobis sermo est, oportet illam cum naturali, seu quantitativa praesentia conferre, ut ex utriusque collatione, essentia & propria definitio praedictae sacramentalis praesentiae magis constet, & multa principia explicentur, quae ad soluendas plures difficultates in hoc mysterio occurrentes plurimum conferent. Possunt autem haec praesentiae comparari, aut in vnitatem, & distinctionem, aut independentiam vnius ab alia, aut in oppositione, & repugnantia, aut demum in concomitantia quadam, de quibus sigillatim dicemus.

SECTIO I.

Vtrum sacramentalis praesentia corporis Christi specie differat a naturali seu quantitativa.

Sensus huius quaestiones satis constat ex praemissa terminorum expositione. Ut autem ratio difficultatis aperiat, nonnullae convenientiae, & differentiae harum praesentiarum praecise ponendae sunt. Primo itaque conveniunt, quia utraque est intrinsecus, & realis modus corporis Christi: sicut de sacramentali praesentia, disput. praeced. probatum est: de quantitativa vero constat ex philosophicis principis, quae in 4. Phisic. traduntur. Secundo conveniunt, nam utraque harum praesentiarum potest esse formalis ac per se terminus alicuius mutationis: nam praesentia naturalis est terminus motus localis intrinsecus, & maxime proprius, ut constat ex phisicis: praesentia vero sacramentalis, cum sit modus corpori adueniens, & non necessario consequens existentiam eius: constat eam fieri posse per aliquam mutationem: vel propriam, vel improprie dictam: prout comprehendit omnem actionem novam, ut latius infra sumus disputaturi, de transsubstantiatione tractantes. Tertio conveniunt, quia utraque harum praesentiarum est fundamentum propinquitatis, & distantiae: ut per se manifestum est in quantitativa praesentia: de sacramentali vero, & in superioribus declaratum est & videtur res certa ex principis fidei: non enim nunc contendimus, an haec propinquitas, vel distantia sit vera relatio realis praedicamentalis: nihil enim ad mysterium fidei explicandum spectat: sed agimus de reali propinquitate, quae per modum relationis facilius intelligitur, & explicatur, vel per negationem quandam indistantiae: atque hoc modo constat ex doctrina fidei, Christi corpus per sacramentalem praesentiam fieri indistantem ab speciebus panis: & consequenter fieri propinquum aliis corporibus, quibus ipsae species panis propinquae sunt.

Differunt autem haec praesentiae primo: quia corpus quantum, naturali modo existens in loco, ita occupat spatium, quod replet, ut ab illo necessario excludat omnem aliam quantitatem, naturali modo extensam & existentem in loco: hac enim ratione, quando unum corpus ingreditur aliquem locum, inde expellit corpus ibi praexistens: neque naturaliter fieri potest, ut sibi penetratur: at vero in sacramentali praesentia non ita contingit: nam per illam ita fit Christus praesens ubi fuerat substantia panis, & vini, ut ab illo loco non excludat totam panis, & vini quantitatem, sed relin-

Conuenientia interpretata sensus naturalem & sacramentalem Christi.

Differentia plures inter easdem propinquatur.



quat eam cum eadem extensione, & loci occupatione, quam antea habebat. Hoc enim modo docet si des: peracta consecratione, esse Christum presentem intine quantitati panis, & vini, secundum omnes eorum dimensiones, sicut antea erat eorum substantia. Presentia ergo sacramentalis Christi non est impossibilis in eodem loco vel spatio cum naturali presentia alterius corporis quanti.

Secundo differat, quia per naturalem presentiam corpus extenditur in ordine ad locum, ita ut totum sit in toto, & pars in parte: quia, sicut totum corpus excludit totum aliud corpus ab eodem loco, quia cum illo penetrari non potest: ita pars corporis excludit a suo partiali loco aliam eiusdem corporis partem: quia etiam earum quantitates partiales penetrari non possunt, supposita quod nulla fiat mutatio in raritate, aut densitate, at vero per sacramentalem presentiam ita fit presens Christi corpus, ut nullam recipiat extensionem, aut commensurationem in ordine ad quantitatem panis, vel alterius corporis, cui fit presens. Supponimus enim ex fide, Christum esse totum sub speciebus panis, & vini, & sub singulis partibus earum, ut infra, q. 76. latius probandum est. Unde fit partes corporis Christi, sic presentes, non se excludere mutuo ab eodem spatio: nam, ubi una est, ibi sunt omnes aliae: & consequenter fit: non habere eas extensionem in ordine ad spatium seu locum, cui sunt presentes. Et haec differentia sequitur ex priori, nam, si tota quantitas corporis Christi non excludit ab eodem spatio quantitatem panis, multo minus necesse est, ut quantitas vini partis corporis Christi excludat reliquarum partium quantitatem.

Atque hinc oritur tertia differentia: nam presentia quantitativa duplicem habet extensionem: unam ex parte subiecti, quia partialiter una est presentia manus, alia pedis, alia capitis, &c. aliam in ordine ad spatium, seu per commensurationem partium corporis presentis ad partes spatii, veri, vel imaginarij, cui est presens: quia singulae partes sunt in diversis partibus spatii: at vero sacramentalis presentia corporis Christi, quamvis ex parte subiecti diuisibilitatem quandam, & extensionem habeat, quia est tali subiecto proportionata: alia enim est partialis presentia in manu, alia in pede, alia in capite, &c. quia in rigore, & de potentia absoluta loquendo, posset manere una sine alia, in quo differt haec presentia a presentia substantiae angelicae, quae ex parte subiecti omnino est indiuisibilis, eo quod subiectum non habeat partes: nihilominus tamen per comparisonem ad spatium, haec sacramentalis presentia non est intrinsece diuisibilis: quia presentia totius corporis, & omnium partium eius non habet necessariam habitudinem ad diuersas partes spatii, neque ad spatium diuisibile: quia, ut diximus, ubi per hanc presentiam constituitur una pars corporis, ibi ponitur totum corpus: quia in ordine ad spatium pars non est extra partem, sed omnes esse possunt etiam in indiuisibili: est ergo haec presentia, sub hac ratione, suo modo indiuisibilis.

Solutio.

Dices, Etiam in ordine ad spatium est haec presentia diuisibilis: alia enim est partialis presentia, quam habet corpus Christi in una parte specierum sacramentalium, ac ea, quam habet in alia parte specierum: cuius signum manifestum est, quia potest una pars ab alia separari, consumpta, vel separata parte speciei. Respondetur: ideo dixi, per se, & intrinsece, quia huiusmodi latitudo talis presentiae non est simpliciter necessaria, cum presentia totius corporis saluari possit in ordine ad indiuisibile spatium: & quia ex vi talis presentiae, partes rei presentis non dicunt habitudinem ad diuersas partes spatii, & in hoc consistit propria differentia, quam constitutum inter sacramentalem, & naturalem presentiam corporis quanti: hinc autem differentia, seu proprietati non

Obiectio.

repugnat, quod eadem presentia possit habere diuisibilitatem aliquam in ordine ad spatium, non per commensurationem partium corporis, ad partes spatii, sed quasi per reduplicationem eiusdem corporis in pluribus partibus spatii, ut probat argumentum factum: quae diuisibilitas etiam in presentia substantiae angelicae reperiri potest, ut per se constat.

Ex his ergo oritur ratio dubitandi in proposita quaestione: an scilicet, praedictae differentiae sint sufficientia signa essentialis diuersitatis inter has praesentias, vel tantum accidentalis. Videntur enim omnia, quae dicta sunt, saluari posse de potentia Dei absoluta per solam accidentalem variationem, vel repetitionem naturalem, & quantitativam presentiam: non est ergo, quod fingamus nouum quandam modum presentiae differentis in specie, qui vix poterit mente concipi, aut intelligi. Antecedens declaratur, nam omnes differentiae assignatae soli in hoc fundantur, quod Christi corpus est totum in toto, & in qualibet parte spatii: sed hoc fieri potest per naturalem presentiam quantitativam partium omnium eiusdem corporis se inuicem penetrantium in eodem spatio: ergo nihil aliud necessarium est: nam, quando Deus ponit duo corpora penetratiue in eodem loco, non dat illis nouum modum presentiae localis; sed conseruando potius naturales praesentias, quae naturaliter simul esse non possent, facit, ut actu non se excludant ab eodem loco: sicut, si conseruaretur duas qualitates contrarias in eodem subiecto, non tolleretur, nec mutaretur positiuos effectus formales earum, sed impediret tantum repugnantiam: atque ad eundem modum, ut Deus constituat quadrupedale corpus in bipedali spatio, non est necesse, ut mutet naturalem modum presentiae, sed solum, ut faciat, dimidiam partem illius corporis cum altera parte aequali penetrari, & eodem modo poterit totum illud corpus in spatio pedali constitui: & in dimidia parte illius, & in qualibet minori parte etiam si in infinitum minuatur: ergo per solam penetrationem partium, & per quantitativam presentiam quasi repetitam, & multiplicatam in toto corpore, & in omnibus partibus eius in ordine ad omnes partes spatii potest optime fieri praedictus effectus exultant totius corporis in toto, & in singulis partibus spatii. Atque ita videntur nonnulli Scholastici hoc mysterium satis explicare: praesertim Soto in 4. di. 10. q. 1. a. 4. post argumenta Ochami, & Gabr. lect. 43. in Canonem.

Nihilominus dicendum est, sacramentalem presentiam corporis Christi in Eucharistia esse modum quandam supernaturalem, & essentialiter, & specie diuersum, a modo presentiae, quem quantitas habet in loco, quando illud replet, & occupat, modo sibi conuenienti naturali. Hanc conclusionem sumo ex communi doctrina Theologorum in 4. dist. 10. docentium (ut infra videbimus) quantitatatem corporis Christi priuari in hoc sacramento extensione in ordine ad locum: quae extensio nihil aliud est, quam presentia naturalis illius propria, & quantitativa: at vero, si presentia corporis Christi in hoc sacramento non esset diuersa rationis a presentia naturali quantitatis, esset vera extensio in ordine ad locum: non ergo careret corpus Christi in sacramento tali extensione, sed potius haberet illam saepius repetitam, & multiplicatam, & sic posset esse totum in toto, & in qualibet parte spatii, seu sacramentalium specierum. Deinde significat haec sententiam Diuus Thom. tota q. sequente, dum docet, hanc presentiam non esse per modum quantitatis, sed per modum substantiae: effectus adeo supernaturalem, ut non possit etiam ab intellectu angelico naturaliter videri: quomodo dicunt alii authores, hanc presentiam, non solum esse supra naturam, sed etiam supra intellectum. Altius d. lib. 4. sum. tract. 5. c. 4. Alenfis 4. par. q. 40. memb. 3. ar. 4. Bonau. in 4. dist. 10. ar. 1. q. 1. At vero, si modus huius presentiae non esset diuersa rationis, & speciei, a modo naturalis presentiae quantitatis: reuera non esset supernaturalis, sed solum multi-

multiplicatio, & penetratio talium presentiarum in eodem corpore, & in omnib. partib. eius esset super-naturalis, in fieri potius (vt sic dicam) quam in aliqua refacta. Vnde neque per se esset angelo inuisibilis, quia quilibet presentia naturalis, & consequenter quilibet multitudo earum, potest ab angelo natu-raliter cognosci, sicut quando duo corpora penetrati-ue sunt in eodem loco, potest vtrumque eorum pre-sentia mutua, & intima ab angelo naturaliter cog-nosci. Præterea ratione sic arguuntur ex principiis positis: quia naturalis presentia quantitatis, essentialiter includit extensionem partium in ordine ad locum, sed presentia sacramentalis corporis Christi non includit hanc extensionem: ergo essentialiter differunt. Maior consistit ex Philosophia, & ex ipsi terminis: nã licet extensio in ordine ad locum, non sit de essentia quantitatis, tamen est de essentia illius presentie locali, que naturaliter debetur quantitati: & est etiã passio eius: imo formaliter & essentialiter sunt vna & eadem passio. Minor autem, & est commune axioma Theologorum, vt dixi, & declaratur variis modis. Primo, quia, si illa presentia includeret in ratione sua extensionem in ordine ad locum: partes etiã corporis Christi, ex vi & natura talis presentie sese mutuo excluderent ab eodem loco, & presentia totius corporis Christi naturaliter pugnaret cū quantitate panis, eamq; à suo loco expelleret, nisi speciali miraculo diuinitus impeditur: hæc aut omnia sunt absurda, & præter finem, & rationem huius mysterii. Secundo, quia si illa presentia haberet extensionem in ordine ad locum: ex vi vnus tantum presentia esset Corpus Christi totum in vno integro loco, & pars in parte eius. Vnde, vt omnes partes corporis essent in singulis partibus spatii, necessarium esset, vt per itera-tam seu repetitam presentiam, & extensionem, vna pars constitueretur, vbi est alia: ita vt, si per vnã presentiam localem intelligitur, caput corporis Christi esse in suprema parte specierum sacramentalium, & pes in infima, per aliam presentiam intelligantur è contrario pedes esse in superiori parte, & caput in inferiori: atque in huc modum in infinitum variari, & multiplicari, & penetrari presentias, donec partes omnes corporis in omnibus partibus loci coincidant: hoc enim totum necessario sequitur ex alio dicendi modo, vel potius præsupponitur ad eam partium penetrati-onem, quam illa sententia fingit: consequens autem videtur valde absurdum, tum quia iuxta hæc rationem explicandi presentiam Christi in sacra-mento, necesse esset intelligere in corpore Christi varios situs & positiones valde indecentes: nam secundum vnã presentiam esset rectus, secundum aliam vero inuersus omnino, & similia que incredi-bilia sunt: cum etiam, quia oporteret, has presentias esse multitudinem infinitas, vt possent singula partes corporis in singulas partes spatii cadere: nam hæc partes in infinitum diuidi possunt: vnde sit, vt situs corporis in eadem idem spatium possint in infinitum varia-ri, vt per se constat: vt ergo omnes partes corporis per huiusmodi iteratam presentiam adint omnib. spatii partibus, necessarium esset, tales presentias sim-ple esse actum infinitas, quod est reuera inconueniens: nam illa presentie essent in re ipsa distinctæ, & possent à Deo separari, atque vna sine aliis conferuari, quia per accidens, & ex sola Dei voluntate multiplicantur. Tertio hic modus presentie, & omnis hæc presentiarum multiplicatio non esset satis, vt totum Christi corpus & omnes eius partes consti-tuerentur in quolibet puncto indiuisibili hostie: cum tamẽ hoc necessarium sit ad huius mysterii veri-tatem, vt infra ostendemus. Sequela patet, quia per quantitatiã presentiam, includentem extensio-nem in ordine ad locum, non cadit, seu respondet in puncto spatii, nisi punctum indiuisibile corporis ex-istentis in spatio: ergo etiam si illa presentie varien-tur & multiplicentur, cum eadem extensione, nun-

quã partes corporis erunt in indiuisibili puncto spa-tii: sed ad summum, varia indiuisibilia corporis Christi puncta erunt, & quasi se penetrabunt in eo-dem puncto hostie consecrate, atque ita non, vbi-cunque est aliquid corporis Christi, ibi est totum Christi corpus, quod est valde absurdum.

Vltimo vix potest intelligi, corpus grãdioris qua-ntitatis, retinens extensionem aliquã in ordine ad locum, absq; vlla condensatione constitui in minori lo-co: sine imperfectione magna, & quasi confusione, seu complicatione totius corporis, & partium eius, quod abhorret mens cogitare in corpore Christi: nõ est ergo hæc presentia hoc infimo modo cogitanda, sed altiori, magisq; abstracto ab huiusmodi materia-lib. imperfectionib. nam, quod hoc magis deceat tale mysterium, per se notum est, quod vero nullam in-uoluat repugnantiam, ex dicendis constabit.

Ex hoc autem infero primo, cum D. Thom. in 4.^a *1. Illatio.* dist. 10. q. 1. art. 4. quaest. inc. 3. ad 2. & 3. hanc presentiam sacramentalem esse participationem quandam presentie locali, quam habent spirituales substan-tie in locis suis: non quod omnino sint eiusdem ra-tionis: differunt enim ex parte subiectorum, quibus accommodantur, nam presentia angelica realiter spiritualis est, & indiuisibilis ex parte subiecti: hæc vero presentia corporis Christi est materialis, & di-uisibilis ex subiecto, sed quod hæc presentia imite-tur illam in hoc, quod ex natura sua sit absque exten-sione sui subiecti in ordine ad locum, totumque il-lud indiuisibiliter constituit in loco, seu spatio secun-dum comparationem corporis ad spatium, & in hoc consistit proprie ratio huius presentie, & essentialis differentie eius à quantitatiã presentia naturali, vt declaratum est.

Secundo infero ex dictis, hanc presentiam nõ so-lum differre à naturali presentia quantitatiã, sed etiam ab illa naturali presentia, qua materialis sub-stantia habet, sub quantitate sua. Supponendo enim substantiam materialem, & quantitatem esse res o-minino distinctas, consequenter etiam statuendum est, quamquam similes sint, & se se comitentur, ha-bere tamen presentias, re ipsa, distinctas: quia vnus-cuiusq; rei presentia est intrinsecus, modus eius: vn-de, & separari, re ipsa, possunt: sicut nunc, quãdo sub-stantia panis definit esse, manente quantitate, nõ solu perit substantia panis, sed etiam presentia eius, ser-uatur autem quantitas cum sua presentia: & è cõ-trario possent Deus destruere quantitatem panis, & presentiam eius, conseruata substantia, in eadẽ præ-sentia & reali propinquitate, & distantia ad res alias: nulla enim in hoc inuoluitur repugnantia, vt latius Philosophi docent, & in sequentibus etiam attinge-mus: habet ergo substantia materialis, sub quanti-tate, suam propriam realem presentiam localem. In-ferimus ergo ex dictis, sacramentalem presentiam corporis Christi, etiam esse diuersæ rationis ab hæc presentia substantie materialis: quia hæc presentia connaturalis materiali substantie per se non habet indiuisibilitatẽ aliquam, etiam in ordine ad spatium: nam, licet, separata quantitate à substantia per potã-tiam Dei, possent omnes partes substantie in eodem indiuisibili puncto collocari, quia, ablata quantitate non necessario se expellerent ab eodem spatio, cum hic effectus à quantitate naturaliter proveniat: tamẽ hoc accidentarium esset, & non simpliciter necessa-rium: quia etiam possent talis substantia constans ex partibus substantialibus entitatiue distinctis habere illas presentes spatio diuisibili, ita vt tota substantia esset in toto, & pars in parte spatii: quia hoc ipso, quod plures entitatiue sunt, non est necessarium, vt, vbi vna est, sit & alia: sicut duo angeli, licet quantitatẽ non habeant, tamen, quia distincti sunt, possunt etiam diuersis locis esse presentes: sic igitur presentia hæc naturalis substantie materiali, ex natura sua consti-tuit subiectum suum presens, cum extensione qua-dam, ita

Satis
Galt.

D. Tho.

Alipid
d. Tho.

dam, ita, ut sit totum in toto, & pars in parte: at vero sacramentalis praesentia, natura sua potius postulat, ut totum subiectum suum faciat indivisibiliter praesens, ita, ut ibi sit totum, ubi fuerit pars eius, & consequenter totum sit praesens in toto, & totum in singulis partibus spatii ad modum praesentiae spiritualis, cuius haec est participatio, ut dictum est.

Deinde potest hae differentia aliter exponi, nam substantia materialis, ex vi praesentiae, sibi connaturalis, & adaequata, nunquam potest esse tota in toto spatio, & tota in qualibet parte eius; nam, si sit coniuncta quantitati, coextenditur illi, & commensuratur, ut per se constat: si vero fingatur talis substantia, sine quantitate, aut omnes eius partes entitativae cohaerent ad eundem punctum (ut quidam putant esse necessarium, & nos solum credimus esse possibile) & tunc toto quidem substantia & omnes eius partes essent praesentes in eodem loco, non tamen esset tota in qualibet parte, quia spatium, seu locus non haberet partes, cum indivisibilis esse supponatur: si autem talis substantia maneret praesens spatio divisibili, & extenso (prout etiam credimus esse possibile) tunc tota substantia esset praesens toti, & pars parti: quia haec substantia non est nata, natura sua, ad existendum veluti replicata in pluribus locis integris, vel partibus: & ideo, si habet praesentiam ad spatium divisibile & extensum, per diversas partes suas est praesens diversis partibus spatii: & si habet compositionem partium in ordine ad spatium, necessario habet etiam compositionem ex parte subiecti, & secundum diversas partes eius ad diversas partes spatii comparatas: at vero sacramentalis praesentia ex natura sua apta est constituere subiectum totum in toto spatio, & totum in qualibet parte eius. Unde, quando respicit spatium indivisibile, habet quidem compositionem, & divisibilitatem quandam ex parte eius, non tamen iuxta extensionem partium subiecti, sed altiori modo scilicet, per quandam repetitam praesentiam totius subiecti in omnibus partibus spatii. Unde etiam firmiter, ut haec naturalis praesentia materialis substantiae non pugnet cum naturali praesentia quantitatis, sed potius ex natura rei coniuncta sit cum illa, ut diximus, praesentia autem sacramentalis, ex natura sua, excludit quantitativam, seu naturalem praesentiam quantitatis: quia impedit extensionem eius in ordine ad locum. Sunt ergo haec praesentiae ex natura sua valde divergentes: atque constat, sacramentalem praesentiam esse prorsus supernaturalem, nec posse esse connaturalem alicui corpori, seu quantitati: sicut non possunt spirituales proprietates esse connaturales materialibus substantiis, ut tales sunt.

Tertio ex dictis inferitur resolutio dubii supra tacti, an haec praesentia sacramentalis dicenda sit localis, necne. Quod potest magis ad quaestionem de nomine quam de re spectare: nam, si per localem praesentiam intelligamus proprium locum, seu ubi, physicum, constat, hanc praesentiam non esse localem: quia huiusmodi ubi, si sit intrinsecum, nihil aliud est quam praesentia quantitativa, connaturalis corpori quanto; quam diximus esse diversae rationis a praesentia sacramentali: atque hoc modo dici solet, Christum non esse in hoc sacramento localiter praesentem: & eodem sensu dicit interdum Augustinus. Christum tantum habere unam praesentiam localem, 20. contra Faustum, cap. 11. Sic etiam D. Thomas, infra q. sequente ar. 5. negat Christum esse in hoc sacramento, tanquam in loco: quia neque habet intrinsecum ubi physicum, ut declaratum est: neque etiam habet proprium locum extrinsecum ambientem: nam, vel ille esset ipsa quantitas, seu species panis, & hoc non, quia Christus non est in illis speciebus, per modum locati extrinsecus circumdati, sed per modum substantiae, intime sub eis existentis: vel esset extrinsecus superficies, ambiens species panis, & haec non comparatur ad corpus Christi per propriam eius quantitatem, sed

per alienam, sibi non inhaerentem, & ideo non est proprie locus eius: sicutigitur in hac proprietate & rigore stando, neque haec praesentia localis est, neque ratione illius dicitur Christus hic esse localiter. At vero, si per localem praesentiam intelligamus quamlibet realem, & substantialem praesentiam, ratione cuius res hic adest, potius, quam alibi: sicut huiusmodi praesentia, localis est, ad eum modum, quo praesentia angeli, existentis in suo loco, localis est: nam huiusmodi denominatio non connotat aliquem modum physicum, seu quantitativum occupandi spatium, sed modum substantialem, aut entitativum, ratione cuius sit, ut spatium illud, cui res dicitur esse praesens, non sit omnino vacuum, sed tali re, vel substantia plenum: & hoc modo loquuntur saepe Patres quos praecedentibus disputationibus retulimus, de hac sacramentali Christi praesentia dicentes, ratione illius Christum esse hic, & esse potius in hoc loco, quam in alio. Atque hoc sensu dici etiam potest, Christum esse hic, aliquo modo, localiter, ut recte notavit Alensis 4. par. q. 40. memb. 3. ar. 7. & explicatur facile per proportionem ad locum angelorum: nam, si consideremus illud, quod est quasi intrinsecum ubi, habet hic Christus suam realem praesentiam, quae est intrinsecus modus corporis eius: si autem (iuxta multorum sententiam) consideremus extrinsecum locum, qui, respectu angeli, est aliquod corpus, cui virtutem suam, seu operationem applicat, sic species ipsae sacramentales dici poterunt quasi angelicus locus corporis Christi: quia & in eis mirabiliter operatur, ut inferius dicemus, & ibi habet specialem modo applicatam virtutem suam, ut per eas species nostram salutem operetur.

Atque hinc etiam obiter expeditur aliud dubium, scilicet, an corpus Christi, ratione huius praesentiae, sit capax relationis realis propinquitatis, vel ad ipsas species, vel ad locum specierum, vel ad alia corpora: Capreolus enim in 4. dist. 10. q. 3. ad 4. Durandi, dubius est. Palud. vero, ibidem, q. 3. in partem affirmantem magis inclinatur: ego vero nullam rationem dubitandi invenio, si supponamus, relationem propinquitatis fundatam in praesentia quantitativa, aut in qualibet alia creata, esse realem, quod hic disputandum non est, sed solum dicendum, eandem esse relationem, de hac praesentia, & de reliquis creatis: nam etiam haec sacramentalis praesentia, est finita, & potest esse terminus alicuius mutationis; & ratione illius potest res magis vel minus ab aliis realiter distare, ut in principio huius disputationis diximus.

Superest, ut quibusdam obiectionibus & difficultatibus satisfaciamus, quae, licet inferius quae 76. tract. 1. dist. 1. tractari possent, hic vero sunt necessariae, ubi rei essentia & modus & possibilitatem huius praesentiae consideramus. Videtur ergo impossibile, ut corpus quantum recipiat talem modum praesentiae, qualem nos descripsimus, quia huiusmodi corpus essentialiter est divisibile, & extensum: ergo non potest indivisibiliter constitui in rerum natura: sicut & contrario, quia spiritus est intrinsece indivisibilis, non potest divisibiliter, & extense in loco constitui.

Secundo non potest quantitas concipi in rerum natura sine figura: quia est intrinsecus terminus eius: rursum neque figura intelligi potest sine extensione, in ordine ad locum, quia ex illa cofurgit: unde per mutationem eius mutatur, & consequenter, omnino ablata extensione locali, omnino est aufereetur figura: sicut ergo hoc est impossibile manente quantitate, ita etiam illud: ergo impossibile est intelligere in corpore quanto praesentiam omnino excludentem localem extensionem: ergo differentia a nobis assignata est etiam impossibilis.

Tertio, si corpus divisibile esset indivisibiliter in loco, posset dividi in omnem suam partem, quod tamen est impossibile. Sequela pater, nam, cum in se maneat intrinsece divisibile poterit a Deo dividi: cui vero indivisibilitate existat, non est maior ratio, cur

August.

ex una parte potius, quam ex alia diuidatur: diuide-
tur ergo in omnem partem.

Quarto, quia si humanum corpus esset indiuisibi-
liter in loco, modo à nobis explicato, non magis di-
staret una pars ab alia, quam reliquæ, id est, manus à
capite, uerbi gratia, quam humerus: consequens est
fallum: ergo, sequela patet, quia omnes partes æque
essent presentes, etiam in diuisibili puncto seu spatio:
ergo & inter se æque distabunt: falsitas aut consequen-
tis probatur: quia hoc esset contra naturalem com-
positionem talis corporis: destrueretur enim debita
organizatio eius, quæ intrinsece requirit talè ordinè
scilicet, ut talis pars mediet inter alias, & consequen-
ter ut extrema partes magis inter se distent, quam ab
ea, quæ interiacet.

Quinto, quia ex modo, quo explicuimus hæc Chri-
sti præsentiam, sequitur, illam esse compositam ex in-
finitis præsentis perfectis, & diuisibilibus ac æ-
qualibus ex parte subiecti: hoc autem compositio-
nis genus vix potest mète concipi. Sequela declara-
tur, nam Corpus Christi totum est præsens, quasi cõ-
tinuè, speciebus, seu quantitatè vnus hostiæ, & om-
nibus partibus, lineis, ac punctis eius: ergo & ex par-
te corporis Christi necesse est, intelligere vnã præ-
sentiam quali continuam, & diffusam per totam hos-
tiæ quantitatem & ex parte ipsius hostiæ in singulis
partibus, & punctis eius, necesse est intelligere inte-
gram præsentiam totius Corporis Christi diuisibile
ex parte eius, quam, necesse etiam est, in infinitum
multiplicari, sicut partes proportionales specierum
quantitatis, vel puncta eas continuati infinita sunt:
conabit ergo illa integra præsentia Corporis Chri-
sti ex illis præsentis infinitis æqualibus, & diuisibili-
bus ex parte subiecti, adeoque integris, & perfectis,
ut possit vnacumque illarum per se esse ab aliis separa-
ta. possit enim Corpus Christi totum cõseruari præ-
sens in qualibet parte minima specierum per se sola,
imo & in quolibet puncto. Vltimo obicit potest Aug-
ustinus, Episto. 57. ad Dardan. dicens, Spatia tolle corpo-
ribus, & nunquam erunt, & quia nunquam erunt, ne-
que erunt: scit ergo, non posse intelligi corpus exi-
stens, & nullum spatium occupans.

His & similibus argumentis conuincuntur hære-
tici, qui negant esse possibilem hanc Christi præsen-
tiam, nonnulli vero è Catholicis negant, hanc præ-
sentiam conuenire quantitati Corporis Christi, de
qua procedunt argumenta facta, sed soli substantiæ,
quam dicunt esse in hoc sacramento sine quantitate,
ut opinatur Durandus: & idem ex parte sentiunt No-
minales: quamuis diuerso modo, & ex diuersis prin-
cipiis, cum quibus disputandum est infra, q. 76. est e-
nim hæc Durandi sententia plusquam falsa, ut ibi vi-
debimus. Alij vero ex Catholicis, quamuis negare
non audeant, quantitatem Corporis Christi esse in
Eucharistia, & præsentem fieri per sacramentalè præ-
sentiam: tamen, ut effugiant argumenta facta, dicunt,
quantitatem illam non tribuere corpori Christi ef-
fectum suum formalem, sed solum esse illi intime
præsentem. Quia non repugnat (inquit) accidens ef-
ficientie coniunctum subiecto, quali in actu primo,
& non exercere in illa causalitatem formalem, quæ est
veluti actus secundus, qui suspendi potest, saltem per
suspensionem diuini concursus. Ita refert Ledesma
in 1. part. 4. quaest. 17. art. 3. Hæc tamen sententia intel-
lecta de proprio & primo effectu formali quantitatè,
de quo reuera loquitur, & omnino falsa est, & inuti-
lis ad difficultates positas expediendas. Prior pars pro-
batur, quia, non solum certum est, quantitatem cor-
poris Christi in hoc sacramento esse, sed etiam est æ-
que certum, Corpus Christi in sacramento esse quan-
tum: atque adeo quantitate affectum, & informatum:
imo ideo certum est, quantitatem in sacramento ef-
fesse, quia necesse est dicere, Corpus Christi ibi esse quan-
tum, ut possit esse figuratum, organicum, & pulchrũ.
Quod ita declaratur: nam, vel quantitas corporis

Christi in hæret illi existenti in sacramento: vel non:
si inest: ergo necesse est, ut in illo habeat suum effe-
ctum formalem, quia non inest, nisi ut forma. Vnde
talis in hætio includit in suo intrinseco, & essentiali
conceptu vnionem per modum formæ cum depen-
dentia à subiecto, in genere causæ materialis: vnde
ex vtroque resultat vnum compositum ex subiecto
seu potentia, & actu formali. Vnde in hoc sensu im-
plicat contradictionem, accidens actu in hærens
subiecto priuari omni effectu formali suo, conser-
uata actuali in hætionem: nec maior Dei concursus
requiritur ad effectum formalem, quam ad actualè
in hætionem in subiecto. Si autem quantitas illa
non in hæret corpori Christi, erit tantum concomi-
tante præsens: quod licet non sit impossibile, est
tamen impertinens, & ex nullis principiis fidei
colligi potest: quia quantitas hic non adest, nisi, ut
afficit corpus, & illud necessario comitatur ratio-
ne naturalis vnionis, quam cum illo habet, quæ est
per in hærentiam & informationem: ablata ergo
hac vnione, nullum est principium ad asserendum,
adesse hic quantitatem corporis Christi. Denique
probatur posterior pars, scilicet, hanc sententiam ef-
fesse inutilem ad argumenta soluenda: quia, licet dem-
strare quantitatem posse priuari suo effectu formali, re-
spectu substantiæ: tamen cum ipsa quantitas intrin-
sece, & per se ipsam quanta sit, non potest priuari in-
trinseca partium compositione, & extensione: quia
in ea consistit propria entitas eius: & in ea procedere
possunt omnia fere argumenta facta: imo aliqua eor-
um, præsertim quintum, accommodari possunt ad
substantiam ipsam materialem, etiam quantitate
priuatam.

Alia responsio satis vulgaris esse solet, duplicem *Responso ad*
extensionem conuenire corpori, ratione quantita- *tera commin-*
tis: vnã, ratione ipsarum partium in se, seu inter *nis examine*
se: alteram in loco, seu in ordine ad locum: & prio- *107.*
rem esse proprium effectum formalem quantita-
tis inseparabilem ab illa: posteriorem vero esse ve-
luti proprietatem, vel passionem consequentem,
quæ impediri potest. Vnde existimant, solum posse
facile argumenta facta, quia solum procedunt in
corpore quauto habente extensionem in ordine
ad locum. Sed ut omittam, nonnulla ex argumentis
factis, præsertim quintum, procedere de corpore,
quocumque modo extensio etiam in ordine ad se,
prædicta distinctio, quamuis recte explicata fortas-
se vera sit, tamen difficultate non caret. Interrogo e-
nim quid sit, quantitatem extendere partes substan-
tiæ in ordine ad se: aut enim est facere, vnã partem
substantiæ non esse aliam entitatie, & formaliter
& hoc non potest pertinere ad effectum formalem
quantitatis, sed potius ordine naturæ præsupponi-
tur, ut quantitas materiali substantiæ possit in hæ-
re. Primo quidem, quia vnuerfim nulla entitas siue
fit tota, siue pars, potest ab alia entitatie seu reali-
ter distingui per aliam entitatem, tanquam per cau-
sam formalem distinctionis, sed per se ipsam: nam
vnacumque res per id, quod est, ab alia distinguitur: nã
distinctio supra entitates eorum, quæ distinguuntur
solâ addit negationem. Secundo, quia entitas subie-
cti substantialis ordine naturæ prior est, quam acci-
dens illi in hærens: ergo est etiam prior, quam quan-
titas: ergo vel illa entitas, prout sic præsupposita, est
indiuisibilis, entitatie: & hoc non: quia alias non
posset extendi entitatie per quantitatem superue-
nientem, quomodo enim posset quantitas multipli-
care partes entitatis in re secundum se indiuisibili
entitatie? Vel illa entitas secundum se, & prout sup-
ponitur quantitati, est entitatie diuisibilis in par-
tes substantialiter distinctas: & ita non poterit talis
extensio partium secundum se & in entitate sua esse
effectus formalis quantitatè: quia quantitas in nul-
lo genere causæ, etiam materialis, vel efficientis po-
test supponere secundum ordinem naturæ effe-
ctum

ctum suum formalem, nec subiectum ipsum quantitatis quoad entitatem suam, est effectus formalis quantitatis, sed quantum ad aliquid additum suæ entitati: distinctio autem entitativa partium nihil addit supra entitatem earum, præter negationem, ut dictum est. Tercio à posteriori declaratur: quia, si Deus, destructa quantitate, conservaret materialem substantiam corporis humani, entitas materiæ, quæ nun c est in manu, maneret entitativè distincta ab entitate materiæ, quæ est in pede, vel in capite: implicat enim, entitates prius distinctas, & realiter manentes, coalescere in unam indivisibilem entitatem: nam, quamvis possint poni simul in vno puncto, vel in divisibili spatio; tamen una non potest esse alia, cum sine entitates formales quantitatis, facere partem substantiæ extra partem esse in ordine ad se. Vnde vterius colligi videtur, si extensio partium, vel quod vna sit extra aliam, est effectus formalis quantitatis, solum posse id esse in ordine ad locum, vel spatium. Probat: quia hoc non potest intelligi absolute, & in se, ut demonstratum est, neque etiam in ordine ad aliquod subiectum: quia partes materiæ, quæ per quantitatem extenduntur, non sunt in subiecto; sed potius ipse sunt primum subiectum: ergo erit in ordine ad spatium, vel locum; quia nihil aliud excogitari potest, erit ergo primarius effectus formalis quantitatis facere, ut vna pars substantiæ sit extra locum, seu spatium alterius, & ita destruitur communis illa distinctio & obiectiones factæ suam vim retinent. Nec refert, quod quidam dicunt, quantitatem extendere partes substantiæ non entitativè, sed quantitativè. Nam hoc ve eodem revolvitur, vel in solis verbis consistit, & idem per idem explicat: interrogabo n. quid sit extendere quantitativè, & quicquid respondeatur, procedent, sine dubio, argumenta facta.

Communis sententia explicatur quæ assurgatur vna solutio distinctum.

Igitur, non impugnando, sed explicando potius communem sententiam, dicendum existimo, materialem substantiam, non habere à quantitate intrinsecam, sed ad sensum nostrum. Primum itaque habet hæc substantia à quantitate ita occupare locum, ut vna pars excludat aliam ab eodem spatio: & consequenter, ut inter se localiter distent: & similiter inde habet substantia corporea, ut aliam similem ab eodem loco excludat, & impetrabilis sit, & alteri corpori resistat, quamdiu non dividitur & loco pellitur. Possunt autem hæc omnia dupliciter intelligi in substantia quanta: primo aptitudine tantum, seu potentia proxima; Secundo, in actu exercitio, ut sic dicam. Priori modo pertinet ad primarium effectum quantitatis, inseparabilem ab illa, etiam per diuinam potentiam: nam hoc ipso, quod corpus est quantum, aptum est, natura sua, sic occupare spatium: vnde consequuntur cætera, quæ numeravimus, nec potest privari hac naturali aptitudine, retenta quantitate neque è contrario potest intelligi substantia habere hanc aptitudinem, nisi prout est affecta quantitate, & ratione illius. Posteriori autem modo non pertinent hæc ad primarium effectum formalem quantitatis, sed sunt veluti proprietates naturales consequentes, quæ proinde impediri possunt, conservata quantitate. Et iuxta hæc duo membra explicari potest communis distinctio de extensione in ordine ad se, vel in ordine ad locum: nam prior illa aptitudinalis dispositio dici potest extensio quædam corporis, secundum se: quia ratione illius aptum est occupare spatium extensum, & semper in se retinet illam extensionem, seu dispositionem; quamdiu re-

tinet quantitatem, siue actu ita occupet locum, siue non: posterior vero dici potest extensio in ordine ad locum: quia consideratur secundum actualem modum, quo corpus occupat spatium extensum per commensurationem, seu extensionem partium respectu illius.

Argumenta ergo facta procedunt de corpore quanto actu occupante locum, modo extenso proprio, & connaturali quantitati: corpus autem Christi in hoc sacramento, quamvis reuera quantum sit, & in se ita dispositum, ut suæ naturæ relictum, loci esset prædicto modo occupaturum, ac repleturum, diuina tamen virtute recipit altiore modo presentia, impediturque, ne modo sibi connaturali & extenso spatium repleat. Hoc autem esse possibile, quamquam directe demonstrari non possit, quia est valde supernaturale mysterium: satis tamè est, quod non demonstretur impossibile, neque possit vlla ratio ad impossibile probandum afferri, quæ non possit sufficienter dissolvi: ut ex dicendis constabit: neque enim amplius in mysteriis fidei exigendum est. Deinde ratione sola naturali vtendo, asserere possumus coniecturas, quibus hoc fit aliquo modo creditibile. Prima, quia actu occupare locum, est quid distinctum ab esse quantum: vnde & ab Aristotele in diuersis prædicamentis constituitur, & illud prius mutari potest, altero immutato manente, quoad intrinsecum esse quantitatis. Vnde hoc esse quantum comparatur ad localem presentiam, ut principium, & ut prius ad posteriori: quid ergo mirum, quod possit Deus id, quod est prius, sine posteriori conservare? Secundo addit Scotus, quod corpus quantum, conservata eadem quantitate, potest privari hoc, & illo loco, seu spatio & quocunque illatum, seu determinate sumpto, quamvis consule necessario sit in aliquo loco: ergo non est, quod per potentiam Dei absolutam aliquid amplius non possit fieri: atque adeo quod possit corpus quantum privari extensa, seu quantitativa loci repletionem. Quam rationem aliqui Theologi impugnant, & possent facile fieri, si, ut ratio efficax, adduceretur: sed non ita iudicanda est, sed ut suadens, & manu ducens intellectum ad ita iudicandum, quamdiu demonstrata non fuerit implicatio contradictionis. Atque eodem sensu potest asserri tertia coniectura: quia experimur, media condensatione naturaliter fieri, ut corpus, quod prius erat extensum per grande spatium, & totum illud quantitativè replebat, postea contineatur in breuissimo spatio, nulla deperdita quantitate, ut est opinio probabilior: quid ergo mirum, quod possit Deus, absque condensatione media continere corpus grandioris quantitatis sub minori, vel etiam in spatio non extenso, & sine vlla actuali extensione locali?

Præter has coniecturas possumus alias sumere ex aliis principijs fidei pro his, quæ illa recipiunt. Prima est: quia Deus constituit duo corpora quanta in eundem locum penetrando illa: ut constat ex mysteriis natiuitatis, & resurrectionis Christi: & superioris tomo late tractatum est contra Durandum ergo è contrario poterit etiam Deus conservare corpus quantum in rerum natura, absque actuali modo connaturali occupandi locum. Probat coniectura, quia, sicut est proprietates corporis quantum occupare locum: ita etiam non admittit aliud corpus in eodem loco. Secunda similis est: quia tam intrinsecum est substantiæ naturæ proprium inherere, sicut & accidentali formæ proprium inherere, sicut corpori quanto occupare locum: sed potest Deus conservare naturam substantialem sine propria inherencia, & formam accidentalem sine propria inherencia: ergo & quantitatem sine propria & connaturali presentia. Tertiam coniecturam adhibere possumus ex illis verbis Christi, Mat. 19. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuites intrare in-

trare in regnum colorum: & infra, Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt. Quæ verba ita exponunt, Hilar. Hieron. Chryl. Orig. & alij in illum locum: & Aug. epi. 89. q. 4. vt ex eis colligant, posse Deum constituere corpus cuiusvis magnitudinis in quouis minimo loco, tota corporis mole conseruata: vtrumque enim membrum illorum verborum in sensu composito (vt sic dicam) intelligendum est: nimirum, diuitem, retinendo diuitias, difficile saluari, id tamen esse possibile per diuinam gratiam: sicut fieri naturaliter non potest, vt camelus habens tantam corporis molem per foramen acus pertranscat, id tamen esse possibile per potentiam Dei. Vnde idem Aug. lib. de spiritu & litera, c. 1. & 5. hoc exemplo vtitur, vt probet multa Deo esse possibilia, quæ naturam superant, & Greg. Naz. orat. 36. Illud, inquit, impossibile dicitur, quod nature quidem est impossibile, Deo autem volenti possibile, quo in genere illud esse, eundem hominem bis nasci non posse, & acu camelum admitti: quod enim prohibet, quo minus hæc fiant, si Dei voluntas ita tulerit? Ex his ergo ita concluditur ratio: naturalis proprietates quantitatis, non solum est occupare locum, sed etiam occupare locum sibi æqualem & coextensum: & nihilominus facere potest Deus, vt magnum corpus non occupet locum æqualem, sed multo minore, vt ex adducto testimonio constat: ergo eadem ratione, potest facere, vt simpliciter nõ occupet locum, sed altiori modo præfens fiat.

Superest figillatim respondere ad obiectiones factas. Ad primam respondent aliqui Theologi, quauis corpus pure creatum sit incapax modi existendi in loco diuisibiliter, tamen corpus Christi factum esse capax illius modi propter vnionem ad Verbum. Ita significant Ales. 4. parte. q. 40. memb. 3. art. 3. Sed merito impugnat ad D. Thom. in 4. dist. 10. q. 1. art. 1. si de propria capacitate intelligatur: quia hypostatica vnio nihil ad hoc confert per se, ac formaliter: nec naturam corporis quantimmutat: posset ergo Deus hunc existendi modum corpori non vnito sibi hypostatice communicare: quia nulla esset maior repugnantia. Potest autem intelligi in corpore Christi maior quadam congruentia, vt in eo potius, quam in alio hoc mysterium perfectum sit ratione vnionis, sicut alia supernaturalia dona illi sunt communicata propter eandem vnionem: & fortasse de hac congruentia locutus est Alesius. Alij respondent, quantitatem corporis Christi esse capacitatem huius modi: quia non est hic per se primo, sed concomitantem ad substantiam: & ita est ad modum eius. Quæ ratio existimatur esse D. Thom. infra qu. 72. Sed non est hæc mens eius, vt ibi exponam: neque etiam est ratio necessaria aut sufficiens: tum, quia etiam in prima creatione materialis substantiæ quantitas consequitur substantiam, & tamen secum affert naturalem modum, quem substantiæ communicat: tum etiam, quia, licet per se primo faceret hic Deus præsentem quantitatem aliquam, vel simul cum substantia, vel per se separatam, posset Deus illi tribuere modum existendi in loco diuisibiliter: quia non esset maior repugnantia, quam nunc sit in corpore Christi. Ex parte igitur quantitatis ratio sumenda est ex dictis: scilicet, quia essentia quantitatis solum esse natura sua diuisibilem, & ex se postulare extensionem in loco, & hoc inseparabile est ab illa: at vero actu occupare locum diuisibiliter, non est illi essentialis, sed est veluti effectus quidam, quem non repugnat ab illa separari per diuinam virtutem & omnipotentiam, quæ est prima radix & causa huius mysterij: de quo tractans Concilium Tridentinum, sessio. 13. cap. 1. inquit, Corpus Christi esse sacramentaliter præfens, ea existendi ratione, quam, et si verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cognitione per fidem illustrata, assequi possumus, & Chryl. homil. 83. in Matth. Credamus, inquit, Franc. Suarez. Tom 3.

Deo, neque repugnemus, etiam si sensui vel cognitioni videatur absurdum, & Damasc. lib. 4. cap. 14. Hoc inquit, Deus operatur supra omnem sermonem, & intelligentiam. Hoc etiam modo dixit Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 3. Verba illa Capharnaitarum, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? esse verba infidelium, diuinæ omnipotentiae detrahendum. Vnde recte dixit Hugo de Sanct. Viç. li. 2. de sacram. par. 8. c. 9. Quæris, quomodo? Cogita faciem: quia omnipotens est, & non est mirabile. Ac denique, eodem sensu, dixit, Innocent. lib. 4. de hoc myst. ca. 9. Credere iubemur, discutere prohibemur: scilicet, discussione impugnante veritatem, & diuinam omnipotentiam in dubium reuocante. Negatur ergo hoc esse impossibile, aut esse contra intrinsecam naturam, & essentiam quantitatis. Neque est similis aut par ratio in exemplo ibi adducto de re indiuisibili respectu modi existendi in loco extenso extensè, & diuisibiliter. Et ratio differentia est, quia extensio rei in ordine ad locum, supponit necessario extensionem rei in se, quoad distinctionem partium: & ideo repugnat, esse diuisibiliter in loco, quod in se est indiuisibile: quomodo enim habebit partes in loco, ita vt vna sit in vna parte loci, & alia in alia, quod in se non habet partes? Itaque, sicut esse in loco, supponit esse, ita esse diuisibiliter extensum in loco, supponit esse in se diuisibile, & constans partibus, & ideo sine hoc, quod prius est, repugnat esse illud, quod est posterius, & ab illo essentialiter pendet: sicut in vniuersum non potest esse modus sine re, cuius est modus, à qua pendet essentialiter. At vero è contrario, rem extensam in se, esse etiam extensam in loco, est quid posterius, à quo illud prius essentialiter non pendet: & ideo facile intelligi potest, quod, licet res habeat in se partes, non habeat illas loco distantes, sed omnino simul. Non est ergo similis ratio, quin potius ex illo exemplo posset sumi alia coniectura ad veritatem fidei confirmandam: nam substantia indiuisibilis potest naturaliter esse præfens spatio, & loco diuisibili, modo spirituali, & indiuisibili: ergo mirum non est, quod per diuinam potentiam possit corpus diuisibile totum constitui & fieri præfens loco indiuisibili, modo etiam indiuisibili ac supernaturali.

Ad secundam desigura, varia respondent Theologi, præsertim Nominales, quæ hic referre & impugnare superuacuum duco, præsertim cum attingenda inferius sint, q. 76. Dico igitur iuxta distinctionem datam: in se, vel in ordine ad locum: duplicem etiam figuram intelligi posse in corpore, verbi gratia, humano. Vna dici potest organica, quæ provenit ex intrinseca compositione quantitatis: alia dici potest situata aut localis: nam sicut quantitati præfentia corporis in spatio, est quidam modus habens suam propriam extensionem: ita in ea intelligi potest propria figura. Vnde hæc extrinsece pendet ab extensione in loco, & solum mediante illa conuenit quantitati: prior vero intrinsece pendet ex quantitate secundum se & ratione extensionis ac compositionis, quam in se habet, prius quam intelligatur locum occupare. Christus ergo in hoc sacramento habet hanc intrinsecam figuram: non vero alteram extrinsecam seu situalem. Quæ doctrina declaratur in primis exemplo, nam manus extensa vel plicata diuersam figuram habet in ordine ad locum, quamuis semper eandem figuram organicam retineat: atque idem fere videre licet in corpore hominis stantis, vel sedentis. Ratione deinde declaratur, quia figura circularis, verbi gratia, est illa, cuius extrema æque distant à centro: pupilla ergo oculi, quamuis in loco non sit, adhuc intelligitur esse circularis: quia partes quantitatis eius ita sunt in se compositæ, vt tanta quantitas sit in vna parte, sicut in alia, à centro vsque ad vltimam lineam earum: atque idem est proportione seruata de cæteris partibus: recte ergo mente concipitur,

A a a pitur,

pitur, posse corpus retinere suam intrinsecam, & organicam figuram, quamuis nullam habeat sitalem: Hinc etiam facile intelligitur, argumentum factum procedere de figura situati, non de organica: illa enim est, quae ratione solius motus localis mutari potest: haec autem minime, per se loquendo, quod ideo addo, quia per accidens contingere potest ex motu locali sequi alterationem, & ex alteratione condensationem, vel rarefactionem aliquam, & consequenter mutationem intrinsecam & organicam figuram. Denique intelligitur ex dictis, etiam si Christus in caelo stet, aut sedeat: in hoc sacramento non habere eas figuras: seu positiones, quae intrinsece dependent ab Vbi physico & quantitativo. Addunt vero Bonauent. in 4. dist. 10. & Vic. in Summ. nu. 64. quamuis Christus in hoc sacramento non habeat positionem, seu figuram partium in ordine ad locum: pietamen posse à fidelibus cogitari seu apprehendi sub figura Crucifixi, vel alia simili: quia quaelibet pars corporis Christi est in quolibet parte hostiae. Quod intelligendum est de simplici, & veluti de apprehensione praesentia, non de compositiua, affirmante huiusmodi figuram de corpore Christi sub sacramento existentem.

*S. Bonauent.
Victoria.*

*Ad tertiam.
Maior.*

Soto.

Ad tertiam de diuisione, Maior in 4. dist. 10. concedit vtramque Sequelam, scilicet, & Christi corpus posse diuidi in hoc sacramento, & consequenter heri, vt in omnem suam partem diuidatur. Soto vero ibid. art. 4. vt euitet hoc posterius consequens, quod reuera, absurdum est & impossibile, negat etiam prius: nimirum posse diuidi corpus Christi, prout in hoc sacramento existit, quia non est corpus diuisibile, etiam de potentia Dei absoluta, nisi sit actu extensum in ordine ad locum. Sed quamquam hoc verum sit, loquendo de materiali illa diuisione, quae fit, verbi gratia, cultello, vel alio simili corpore interposito inter partes alterius continui: nam ad huiusmodi diuisionem necessarium est, vt corpus, quo fit diuisio, expellat aliquam partem alterius corporis à suo loco, quod fieri non potest, nisi vtrumque corpus esset quantitativum in loco: nihilominus tamen generalius ac formaliter loquendo de diuisione, vt dicit solum separationem vnius partis ab alia, seu discontinuationem partium inter se, nulla est repugnantia, quod Deus diuidat corpus sacramentaliter existens, vel annihilando quasdam partes corporis eius, & conferuando alias, vel destruendo tantum terminos, quibus continuantur, & conferuando illas terminis propriis terminatas, & simul in eodem spatio existentes. In hoc enim nulla est repugnantia: & alioqui illa partium compositio, vel vnius conuenit corpori quanto secundum se, & non ratione localis extensionis, ergo ratione illius poterit etiam diuidi, quamuis non sit localiter extensum. Denique ad omnem extensionem sequitur propria diuisibilitas: sicut ergo corpus manet in se extensum, quamuis non sit extensum in loco: ita manet aliquo modo diuisibile, neque insequitur diuisio in omnem partem: quia posset facile destrui terminus continuans quasdam partes, & non terminus continuans alias: neque ad hoc oportet aliam rationem querere, praeter voluntatem, & potentiam diuinam.

Ad quartam.

*Ocham.
Aliazo.
Soto.
Ledesma.
Maior.*

Ad quartam de distantia partium, Nominales concedunt, in corpore Christi existente in Eucharistia, non magis distare pedem à capite, quam collum. Ita Ocham & Aliazo in 4. q. 4. Soto vero, Ledesma, & alij hoc grauius reprehendunt: quia putant, sequi confusionem magnam in corpore Christi, & destrui organizationem eius. Vnde Maior in 4. q. 3. hanc sententiam sequens, recte distinguit duplicem distantiam: vna dici potest quantitativa: altera localis seu situati: prior sequitur ex intrinseca extensione: quae quantitas habet in se, & consistit in hoc, quod inter partes tanta quantitas intercedat, & cum tanta densitate, vel raritate, quanta sufficit ex natura rei ad occupandum tantum spatium: posterior vero consistit

in hoc, quod partes actu occupent partes spatij ita inter se distantes. Loquendo ergo de priori distantia, sic partes corporis Christi non aequè inter se distant. Magis enim distat pes à capite, quam collum: nam collum illi immediate copulatur: pes vero minime, sed inter ipsum, & caput intercedit tota quantitas corporis: at vero tractando de posteriori distantia, sic verum est, partes corporis Christi aequè inter se distare: quia omnes sunt indiuisibiliter praesentes eodem spatio, propter quod recte dixit Hilarius, Vbi est illud pars, ibi est totum: Vbi pars, de Consecrat. dist. 2.

Ad quintam de compositione vnius praesentiae ex infinitis partibus, seu componentibus, concedendum est totum id, quod inferitur, & sufficienter in obiectione probatur: haec enim de causa dixit D. Thomas, in 4. d. 10. q. 1. artic. 3. quæst. i. ad 1. esse Christum in hostia semel in actu, & infinitis in potentia: nam primum est verum, propter vnam praesentiam, quasi continue diffusam per totum spatium, quod species sacramentales occupant: secundo autem est verum, propter integram praesentiam totius corporis Christi in qualibet parte, & quovis puncto specierum sacramentalium: neque ex huiusmodi compositione sequitur aliquid absurdum, aut aliquid infinitum in actu, propterea quod in singulis punctis hostiae intelligimus esse integras praesentias totius corporis Christi in se diuisibiles, & inter se aequales, ex quibus altera praesentia ad quatuor componitur: quia oportet illi distinguere duas extensiones seu diuisibilitates talis praesentiae, quae sunt diuersarum rationum: Vna est ex parte subiecti: altera ex parte spatij, vt supra dictum est: praesentia ergo, quam corpus Christi habet in singulis partibus hostiae, licet ex parte subiecti sit indiuisibilis, tamè in ordine ad spatium, seu punctum, comparatur indiuisibiliter: & sub hac ratione componitur, & continuatur alteram praesentiam totalem, & integræ, quasi continue diffusam, & extensam per totam hostiam: & ideo non confunditur ex illis praesentia actu infinita in aliqua extensione: quia non componuntur illam, prout diuisibiles sunt, sed prout sunt indiuisibiles. Vnde secundum eam extensionem, quam haec praesentia habet per totum spatium hostiae, non inueniuntur in ea infinitae partes aequales, & non communicantes. Potest huius rei aliquale exemplum in naturalibus reperiri: in extensione scilicet caloris per subiectum, adiuncta intentione eiusdem in singulis partibus & punctis subiecti: nam in singulis partibus, & punctis est aliquid caloris diuisibile secundum intentionem, quod potest etiam esse aequale, si calor sit aequè intensus in omnibus partibus subiecti: & nihilominus ex illis omnibus nullum infinitum resultat: quia quantitates illae intentionis & extensionis sunt diuersarum rationum: & illi gradus caloris, qui intelliguntur esse in singulis punctis subiecti, non concurrunt ad componendam quantitatem extensionis caloris, nisi prout in eo genere sunt indiuisibiles.

Ad sextam ex autoritate Aug. Respondetur locum esse secundum naturalem cursum rerum, non in ordine ad diuinam potentiam.

SECTIO II.

Vtrum sacramentalis praesentia essentialiter pendeat à naturali, vel illam necessario supponat.

Vt intelligatur quaestiois titulus, & tollatur ambiguitas, in qua videtur laborasse Caietanus, infra citandus, supponendum est: aliud esse loqui de essentiali corporis Christi, aliud de naturali praesentia, seu existentia in loco: sunt enim haec duo ex natura rei distincta, & separabilia. Quando enim corpus localiter mouetur, mutatur naturalis praesentia: non tamen mutatur ipsum esse naturale.

naturale corporis : quod non est aliud, quam ipsamet substantia corporis quantitate affecta : ultra quam addit naturalis presentia talem modum occupandi locum, corpori quanto connaturallem. Hic ergo non mouemus questionem de esse naturali corporis CHRISTI : nam extra controuerfiam est, omnem presentiam, tam naturalem, quam sacramentalem essentialiter pendere a corpore, quod fit presentis, & ab existentia seu actuali entitate illius, tanquam a subiecto, quod modificat : est enim presentia modus rei presentis : id autem quod tantum est modus alicuius rei, non potest esse sine re quam modificat : quia non est res perse distincta, secum ferens propriam entitatem : hac enim ratione non potest intelligi figura, sine re figurata : nec sessio, sine sedente, nec vnio, sine re vnita, & similiter, neq; presentia, sine re presentis, hoc ergo sensu certum est, presentiam sacramentalem corporis Christi necessario supponere naturalem esse, seu existere corporis Christi, & ab illo, vt a subiecto, essentialiter pendere : neq; oppositum vnquam docuit Scot. quicquid illi falso Caietanus imponat. Comparamus ergo in hac questione vniam presentiam ad aliam, & inquirimus : an corpus Christi : vt recipere possit sacramentalem presentiam, necessario alicubi habere debeat naturalem presentiam, seu modum existendi in loco, ita vt presentia ab hac necessario pendeat.

Prima sententia affirmat, quam defendit Caiet. infra q. 7. art. 2. quamquam in discursu questionis & probationibus ad alium sensum a nobis indicatum diuertat. Idem sentire videtur ad Altiifiodorenf. libr. 4. sum. tract. 5. c. 5. q. 6. dum ait, existentiam Christi extra sacramentum comparari ad existentiam in sacramento, sicut primam & secundam : & ideo illa ablata hanc etiam auferri. Ex quibus verbis sic potest formari ratio : nam, si destrueretur existentia corporis Christi extra sacramentum, destrueretur etiam in sacramento : ergo signum est, hanc presentiam pendere ab illa : nam, si non penderet, manere posset illa destructa : antecedens est communis sententia Theologorum, & sequitur ex alio principio, quod, si corpus Christi extra sacramentum exanimaretur ; intra sacramentum etiam fieret exanime : propterea quod anima tantum est in hoc sacramento per concomitantiam, ratione naturalis vnionis : quam extra sacramentum habet cum corpore. Vnde potest hoc confirmari ex alio principio fidei, quod corpus Christi tale ponitur in hoc sacramento, quale est extra sacramentum, scilicet, passibile, vel impassibile : viuum, &c. Ergo signum est, sacramentalem presentiam habere originem, & dependentiam a presentia naturali.

Secunda sententia negat, esse huiusmodi dependentiam, vel naturalem connexionem inter has presentias. Ita tenent in 4. dist. 10. Scotus q. 4. Maior. qu. 7. Soto qu. 1. artic. 2. & d. 3. artic. 5. Ledesma quaest. 14. artic. 5. & q. 16. artic. 4. dub. 6. Gabriel. lect. 47. in Canon. Et fundari potest primo a contrario, quia naturalis presentia non pendet a sacramentali : quia nullam habet connexionem cum illa, vt in omnibus nobis patet, & in corpore Christi ante institutionem huius sacramenti, & post diem iudicii : & nunc etiam contingere posset, manere corpus Christi cum presentia naturali, sine sacramentali, si omnes hostiae consecratae eodem tempore consumerentur : ergo & de conuerso, sacramentalis presentia non pendet a naturali, neq; illam necessario supponit. Probatum conuersa : nam intercedit eadem ratio : ideo enim naturalis presentia non pendet a sacramentali : quia nullam habet habitudinem ad illam : neque in vilo genere causae est effectus illius : sed idem est de presentia sacramentali respectu naturalis : quia haec non est causa illius nec conditio necessaria in aliquo genere causae vt illa sit : sunt enim diuerforum ordinum, &

Franc. Suarez Tom. 3.

vna non respicit aliam, vt subiectum : sed vtraq; immediate respicit ipsum corpus : sunt ergo disparatae, nullamq; inter se habet connexionem : sed, ad summum possunt cocomitanter se habere in eodem subiecto per diuinam potentiam, sicut duae presentiae sacramentales, vel duae naturales, de qua re paulo inferius disputaturi sumus. Et hanc sententiam simpliciter veram esse existimo, vt tamen rem totam accuratius explicemus, aduertendum est, dupliciter intelligi posse, sacramentalem presentiam pendere a naturali : primo essentialiter & intrinsece, ad eum modum, quo relatio pendet a termino, vel modus a re, cuius est modus, &c. Alio modo extrinsece tanquam ab efficiente principio, vel a conditione necessaria, quae ad aliquam extrinsecam causalitatem reuocetur.

Dico primo, Sacramentalis presentia non pendet a naturali, dependentia intrinseca, seu formali, & essentiali. Probatum sufficienter fundamento secundae opinionis. Quod vltra declaratur primo, quia haec presentia nullam habet habitudinem intrinsecam ad illam, sed est respectu illius omnino absoluta : non est ergo vnde ab illa intrinsece, & essentialiter pendeat. Secundo, quia comparando has duas presentias inter se, potius in modo suo dicunt repugnantiam. Nam vna dicit extensionem in ordine ad locum, alia indiuisibilitatem. Dices, quauis haec argumenta probent, hanc presentiam non pendere ab illa ex immediata habitudine sui, posse tamen pendere ratione subiecti : vel, quia corpus Christi, quod est subiectum presentiae sacramentalis, essentialiter pendet a seipso abibi existente naturali modo : vel certe, quia pendet, non a se, sed a naturali presentia, quam alibi habet : vnde fit, vt sacramentalis presentia, quae a suo subiecto penderet, necessario etiam pendeat ab alia presentia naturali, sine qua tale subiectum esse non potest. Sed neutrum horum dici potest probabiliter : primum enim corpus Christi, vt in sacramento existens, non potest intrinsece & essentialiter pendere a se ipso, vt existente in caelo : nam est vnum & idem, habens eandem essentialitatem a qua absolutam in vno loco, atq; in alio. Vnde corpus Christi, vt existens in Eucharistia, non magis dicit habitudinem ad se, vt existens in caelo, quam e contrario : sicut existens in vna hostia consecrata non dicit habitudinem ad se, vt existens in alia : & idem esset si vnum corpus modo quantitatio existere simul in duobus locis. Deinde non potest corpus Christi secundum suam substantiam & existentiam pendere ab vlla presentia locali, siue sacramentali, siue naturali, nam illa extrinsecus tantum illi potest aduenire per diuinam potentiam & efficaciam : haec vero licet ex natura rei intrinsecus illi conueniat, non tamen vt intrinseca causa eius : neque vt terminus alicuius habitudinis essentialis & intrinsecae : sed vt proprietates vel effectus manans ab ipsa, media quantitate. Vnde, ad summum fit, aptitudinem quandam radicalem, ad sic existendum in loco, esse essentialitatem tali corpori quanto, non vero dependentiam aliquam ab ipsamet presentia naturali. Vnde superius ex hoc fere principio probabamus, posse Deum alicubi conseruare corpus, absq; actuali extensione in ordine ad locum. Et eadem ratione concluditur, posse illud conseruare realiter existens, etiam si nullibi habeat actualem extensionem in loco, quia, non magis est necessarium, vt alicubi eam habeat, quam vbicunque existit : nulla enim ratio huius maioris necessitatis fingi, aut excogitari potest : ergo potest existere corpus quantum in rerum natura, sine vlla presentia naturali : non solum ergo non habet ab illa essentialitatem dependentiam, verum nec connexionem simpliciter necessariam, in ordine ad potentiam Dei absolutam : multo ergo minus sacramentalis, & supernaturalis presentia habet huiusmodi dependentiam vel connexionem cum naturali,



turali, vel immediate, vel mediante subiecto suo. Neque vero fingi etiam potest, sacramentalem praesentiam intrinsece, & essentialiter pendere a suo subiecto, ut existente alibi naturali modo. Hoc enim gratis, & sine vilo fundamento esset constitutum, quia hic modus sacramentalis praesentiae sufficienter terminatur in ipso corpore Christi, prout hic sub speciebus sacramentalibus existente: nam illud ut sic, afficit, & in illo ut sic, excipitur, & conservatur, quod ergo alibi alio modo existat accidentarium est huic praesentiae, quae reuera non dicit habitudinem ad illud sub tali ratione.

Atque hinc satis concluditur, quod in superioribus iterum tactum est: potuisse hoc mysterium Eucharistiae periculi a Deo, priusquam Christi corpus in propria specie existens conciperetur, aut incarnaretur, licet oppositum significet Palud. in 4. dist. 8. quaest. 1. artic. 3. & Caietanus supra. Probatur ex dictis, quia potest corpus Christi existere sacramentaliter, etiam si nullibi existat naturaliter: ergo potuit etiam primo produci, & vni Verbo sub speciebus sacramentalibus, etiam si antea nullo modo existeret, quia eadem est ratio de prima productione, & de quacunque existentia, siue conseruatione. Item, quia corpus Christi cum praesentia sacramentali non pendente ex praesentia naturali eiusdem corporis, neque ab ipso corpore, ut alibi naturaliter existente: ergo posset Deus, in infinita sua efficacia, efficere corpus Christi sub speciebus panis, etiam si alibi non praesentisset. Sed obiicit Caietanus: nam tunc esset praesentia, sine re praesente: & relatio, sine fundamento: seu modus, sine subiecto: quae sunt impossibilia. Probatur sequela, quia praesentia sacramentalis non addit supra existentiam corporis Christi in propria specie, nisi relationem, seu modum praesentiae: ergo, si potest esse in hic modus sine illa existentia in propria specie, erit tunc praesentia sine re praesente, & cetera. Semper tamen versatur Caietanus in eadem aequiuocatione: quia non distinguit inter corpus Christi existens, & corpus Christi existens in propria specie: cum tamen haec distincta sint aliquo modo: illud enim prius, abstractius est: corpus enim Christi existens in rerum natura praescindit a modo existendi in propria specie, vel sub aliena. Vnde, sicut corpus Christi, prout in caelo, est vere existens, ita prout in sacramento, est vere existens, etiam si ibi tantum esse supponatur, & non alibi. Quocirca falsum est praesentiam sacramentalem addere modum supra corpus Christi existens in propria specie: hoc enim significat, supponere illum modum existendi in propria specie, & addere alium, quod esse falsum ostendimus. Nam illi duo modi existendi non habent inter se intrinsecum ordinem: & quoad hoc dici possunt disparati. Proprie ergo dicendum est praesentiam sacramentalem addere modum supra corpus Christi existens ut sic, sicut etiam praesentia naturalis addit modum supra corpus Christi existens, solumque differunt, quod hic modus est naturalis, ille vero supra naturam. Ac propterea non sequitur in praedicto casu: dari praesentiam, sine re praesente, aut relationem seu modum, sine fundamento: quia nunquam est praesentia sacramentalis, sine corpore Christi existente, non alibi, sed ibi sub speciebus sacramentalibus: & ipsum nec ibi est res praesens, & fundamentum, seu potius subiectum talis modi seu relationis. Quocirca licet haec praesentia sacramentalis non addat supra substantiam, & quantitatem corporis Christi, nisi modum, tamen sub speciebus sacramentalibus non est tantum ipse modus, sed corpus ipsum Christi realiter existens, tali modo affectum: & hoc ipsum esset sub speciebus, etiam si alibi non existeret: tunc autem necessarium esset substantialiter produci corpus Christi sub sacramento: hoc autem nullum est inconueniens, ut per se constat, & a fortiori pa-

Palud. Caietani,

Obiicit.

Solutio.

rebit ex his, quae infra de transubstantiatione dicemus.

Secundo inferitur consequenter ex dictis, posse conseruari corpus Christi in sacramento, etiam si extra illud omnino esse desinat: quod supra Scotus docuit, & sequitur manifeste ex principis positis, quia non est maior connexio vel dependentia in conseruatione, quam in prima effectione: si ergo potuit in principio fieri corpus Christi in sacramento, & non extra, poterit etiam postea conseruari. Patet etiam a contrario, prout supra in simili argumentabamur: nam Christus nunc existens in sacramento, & in caelo, definit esse in sacramento, quin desinat in caelo, & existens in multis hostiis definit in vna, quin desinat in alia: & si vnum corpus posset existere in pluribus locis quantitatiue, posset desinere in vno loco, & non in alio: & de conuerso, quia, nec necessarium esset inchoatum miraculum perpetuo conseruari, nec esset maior ratio de vno loco, quam de alio, ergo similiter simul existens in caelo, & in sacramento, licet ibi, & omnino extra sacramentum esse desineret, posset in sacramento conseruari: quia, non est inter haec maior dependentia aut connexio per se, & intrinsece, ut ostensum est.

Contra hanc autem illationem maxime procedit fundamentum primae sententiae: ad quod consequenter concedendum est assumptum in sano sensu intellectum, scilicet non necessario destrui corpus Christi in sacramento, si extra destruat. Sed, quod ad modum loquendi attinet, aduertendum est, in eo casu, quo Christi corpus conseruaretur in sacramento, & non extra, non posse proprie dici destrui simpliciter seu annihilari corpus Christi, quia supponitur absolute conseruari substantialiter, & in existentia reali: solum ergo amitteret vnam praesentiam localem, quae fieri posset per localem mutationem priuatiuam, sicut, quando abscissa manui, ibi definit esse anima, non annihilatur ibi, nec proprie destruitur, sed amittit partialem modum praesentiae, seu informationis: eadem est de angelo, qui prius bipedalispatio praesens aderat, & postea dimidiam partem relinquit, & in alia sola manet, non enim in altera destruitur, seu annihilatur, sed localiter tantum mutatur priuatiua mutatione. Quod si quis contendat, conseruari corpus Christi extra sacramentum per actionem substantialem, distinctam ab ea, quae in sacramento conseruatur & consequenter non posse extra sacramentum desinere, nisi per suspensionem illius substantialis actionis, quae ad annihilandum sufficeret: dicendum est (hoc gratis concesso) illam suspensionem actionis conseruatiuae per se sufficere ad annihilationem, si terminus eius alibi non conseruetur, tamen, quia iam supponitur alibi conseruari, ideo non potest dici annihilari, quia terminus eius non transit simpliciter in nihilum, ut multi etiam nunc dicunt, quando corpus Christi sub speciebus sacramentalibus conseruari definit, de qua re saepius recitabit sermo in disputationibus sequentibus de transubstantiatione.

Ad argumentum autem, quod vterius urgebatur in fundamento illius primae sententiae, scilicet, quia sequitur pari ratione posse separari animam a corpore Christi extra sacramentum, & non in sacramento, atque adeo posse idem corpus esse mortuum in propria specie, & viuum sub speciebus sacramentalibus, quod videtur inuoluere contradidionem. Ad hoc, inquam, Scotus negat supra Sequelam, nam ex hoc, quod Christi corpus simpliciter esse desinat extra sacramentum, & non intra: nulla contradiditio, vel repugnancia sequitur: sed solum, quod corpus Christi sit in vno loco & non in duobus, seu quod habeat vnum modum tantum existendi & non duos, quod nullum est inconueniens: ex hoc vero, quod extra sacramentum animam amittat, &

tat, & intra sacramentum retineat, sequitur prædicta contradictio, quod simul uiuat, & non uiuat. Sed quamquam fortasse ex natura rei, seu iuxta modum prouidentia magis rebus naturalibus, ita sit dicendum, atque id etiam suadeat naturalis concomitantia, quam in hoc sacramento esse confitemur, vt infra dicemus: nihilominus tamen respectu diuinæ potentia, non arbitror implicare contradictionem, quod, separata anima à corpore extra sacramentum, in illo non separatur, vt sentit Palacius, qui alios refert in 4. distinct. S. disputat. 4. & infra latius dicturi sumus. Et breuiter declaratur, quia eadem materia in diuersis locis existens potest diuersis formis informari, sicut eadem quantitas in diuersis locis existens potest affici diuersis modis, & in vno esse extensa in ordine ad locum, & non in alio. Item quia cum materia & forma sint res distinctæ, potest materia poni in diuersis locis, & non forma: sicut Durand. dixit, materiam corporis Christi in sacramento esse, non vero quantitatem: quod licet sit falsum, nemo tamen dicit implicare contradictionem. Tandem, quæ est contradictio, quæ sequitur? Dices, hoc corpus esse uiuum, & non esse uiuum. Sed respondetur, has contradictorias non esse simul veras: nam negatiua falsa est, quia, vt corpus dicatur non viuere, oportet, vt nullibi uiuat: vt autem dicatur viuere, satis est, quod alibi uiuat: quia affirmatio solum facit sensum particularem: negatio vero simpliciter omne destruit: & facit sensum vniuersalem: solum ergo potest inferri, quod idem corpus hic non uiuat, quamuis alibi uiuat: hæc non magis est contradictio quam, quod hic currat, & alibi quiescat: vel hic stet, & alibi sedeat, sed de hoc, vt dixi infra latius. Atque hæc sint satis de intrinseca dependentia.

Dico secundo, quamuis præsentia sacramentalis corporis Christi in Eucharistia ex natura rei non pendeat à naturali modo existendi alibi, tamen nunc de facto probabile est, aliquo modo pendere ab illo in genere causæ efficientis. Prior pars constat, tū ex dictis, tum quia, cum hæc præsentia sit supernaturalis, ex natura sua non habet aliam causam à qua pendeat, præter solum Deum, cui omnis creatura subiicitur secundum obedientialem potentiam: igitur nec substantia creata, nec quantitas, nec naturalis præsentia eius possunt ex natura rei aliquid efficere ad præsentiam sacramentalem. At vero sicut potest Deus res alias efficere per instrumenta creata, ita etiam potest efficere hanc præsentiam per huiusmodi instrumentum, quia nulla est hic specialis repugnancia: sic igitur potest diuinum Verbum vti suo corpore assumpto, & alibi naturaliter existente, vt organo vel instrumento coniuncto ad efficiendum eiusdem corporis præsentiam in Eucharistia, quia etiam in hoc nulla est specialis repugnancia: nam etiam naturaliter potest Angelus in vno partiali loco existens efficere præsentiam suæ substantiæ in alia parte loci, retenta priori. Et idem contingit in anima, quando per augmentationem, cuius ipse est, principium efficiens, ad nouas partes informandas quodammodo extenditur. Quid ergo mirum, quod de potentia absoluta possit Deus efficere per corpus Christi iam existens in eo loco præsentiam eiusdem corporis in sacramento? Ratio autem est clara, quia illud corpus, quantum est de se, potest esse aptum instrumentum ad quemcumque supernaturalem effectum: & aliunde supponitur iam præexistens: & hic effectus huius præsentia non habet aliunde repugnanciam cum existentia eiusdem corporis, nec cum præsentia eius in alio loco, vt nunc supponimus: ergo ex nullo capite est repugnancia.

Atque hinc probata manet posterior conclusio pars, supposito alio principio probabili, supra posito in materia de sacramentis in genere: Christum Dominum ita esse autorem sacramentorum omnium.

Franc. Suarez. Tom. 3.

nium per humanitatem suam, vt non modo ea infirmiter, sed etiam cum omnibus illis actu concurrat per eandem humanitatem ad effectus eorum: ita vt ipsa humanitas sit quasi principale, & vniuersale instrumentum coniunctum: sacramenta vero sint instrumenta separata, & particularia, nam ex his principiis recte concluditur, Christum per humanitatem in celo existentem actu concurrere in omni consecratione Eucharistia cum verbis formæ ad efficiendam sui corporis sacramentalem præsentiam in Eucharistia, quod clarius patuit in nocte cenæ: vbi ipsemet Christus visibiliter mensæ accumbens se ipsum præsentem fecit sub speciebus panis & vini, quæ consecrauit. Hoc ergo modo intelligitur facile præsentia sacramentalis pendere à naturali, non ex necessitate intrinseca, sed ex Dei arbitrio volentis vt hoc instrumento ad talem præsentiam efficiendam. Vnde dupliciter hoc fieri potuit: primo, secundum emanationem per se vnius præsentia ab alia, ita vt ipsamet præsentia naturalis intelligatur per se influere, vt instrumentum in sacramentalem: quod fieri quidem potuit: nihil tamen est, quod nos cogat ad credendum, ita factum esse: nec per se est admodum verisimile. Secundo ergo modo fieri potuit: quod vna præsentia pendeat ab alia, tanquam à conditione necessaria, ita vt sacramentalis præsentia per se proprie fiat à corpore Christi præexistente: conditio autem necessaria sit, vt modo naturali in propria specie præexistat, atque hoc satis est ad discursum factum, & ad intentam conclusionem. Neque enim dici potest, quod licet supponatur existens alibi, non tamen modo naturali, sed sacramentali: hoc enim falsum est, tum quia præsentia sacramentalis in alio loco est mere accidentalis, & contingens, tum etiam, quia Christus non concurrat cum omnibus sacramentis, vt sacramentum est, seu prout in hoc sacramento continetur, sed vt naturali modo existit: hæc ergo præsentia supponitur vt conditio necessaria ad effectum huius sacramenti. Aliqui vero addunt, etiam posse hic intercedere dependentiam quodammodo in genere causæ exemplaris: quia nimirum, corpus Christi tale constitui debet in sacramento, quoad conditiones intrinsecas & independentes à loco, quale extra sacramentum in propria specie existit, quod mihi non omnino displicet, quamuis hoc causalitatis genus metaphoricum potius seu morale, quàm proprium & physicum esse videatur: vnde intercedere non potest ex sola natura rei, sed solum ex diuino pacto ac institutione, ac denique magis pertinet ad concomitantiam, quam ad dependentiam, vt latius dicemus secti. 5. & 6. Et ita omnino satis factum est fundamentum primæ sententiæ, quoad vltimam partem eius. Fundamentum autem secundæ sententiæ nihil vrget contra hanc conclusionem: quia solum procedit de dependentia intrinseca, & in ordine ad potentiam absolutam: conclusio vero loquitur de dependentia extrinseca secundum institutionem factam.

Ex dictis expeditur obiter vulgare dubium, an, si nunc Christus non existeret homo in rerum natura, per verba consecrationis posset vere confici hoc sacramentum ex vi præsentis institutionis, & corpus Christi fieri præsens sacramentaliter in Eucharistia. Palacius enim supra refert Scotum in 4. d. 10. quæst. 4. affirmantem. Tamen Scotus ibi præcipue loquitur non de extrinseca dependentia, nec de institutione, quæ facta est, sed de intrinseca dependentia & essentiali, & de connexionem necessaria vtriusque præsentia, quamquam interdum videatur sermonem extendere etiam in prædicto sensu, si tamen in suis principiis consequenter loquatur, non potest ita sentire, nam ipse tenet, verba consecrationis nullam habere vim productiuam corporis Christi etiam de se, sed tantum adductiuam, si autem corpus Christi alibi non esset, non posset adduci, nec etiam

etiam posset produci virtute verborum iuxta dictam sententiam: ergo non posset fieri sacramentaliter praesens, quia, ut supra dictum est, haec praesentia esse non potest sine reali & substantiali, existentia corporis Christi, aut praesistente, aut denuo producta: & ita esset, reuera, consequenter dicendum, quamquam fundamentum illud solidum non sit, ut dicemus de transubstantiatione disputantes. Palacius ergo supra negat in praedicto casu posse fieri sacramentalem praesentiam ex vi praesentis institutionis, & virtutis, quam verba de facto habent: & reddit rationem, quia verba nunc tantum habent virtutem conuertendi panem in corpus Christi: & ideo virtus eorum necessario supponit, ut corpus, in quod fit conuersio, praesit: alioquin non essent verba tantum conuersiva, sed etiam productiva. Sed haec ratio per se sumpta non cogit, quia virtutem aliquam esse conuersivam, non excludit, quod sit etiam productiva, quantum est de se, sed potius id videtur includere, & praeterea addere habitudinem ad positum terminum, ex quo fiat actio: posset autem recte intelligi conuersio panis in corpus Christi, etiam si corpus antea non praesisteret: ergo ex hoc capite nihil obstat, quo minus haec conuersio heret per haec verba ex vi praesentis institutionis. Aliunde ergo videtur mihi, verba de facto non habere hanc virtutem, quia nimirum habent illam dependentem in agendo ab humanitate Christi praesistente, ut ab instrumento coniuncto & principali, respectu omnium actionum, & effectuum sacramentalium. Unde, sicut causa particularis nihil ageret, non existente vniuersali, a qua pendet in agendo, nec calamus sine manu: ita nec verba sacramentalia sine Christi humanitate. Quod cum generaliter, & consequenter ita dicendum sit in omnibus formis sacramentorum, prout de facto sunt instituta multo specialiori ratione verum habet in verbis consecrationis: tum quia maxime proferuntur & verificantur in persona Christi loquentis, ut infra q. 78. ar. 1. dicam, tum etiam, quia relatiuum illud, meum, manifeste refert corpus Christi praesitens: quamquam haec postrema ratio non omnino conuincat, ut ex materia de transubstantiatione constabit.

Responsio

Licit Christus non esse visum, recipere praesentia sacramentalia ex forma de facto instituta.

Ex hac vero resolutione intulerunt aliqui, si corpus Christi extra sacramentum non existeret viuum, non posse virtute verborum, ut de facto instituta sunt, recipere sacramentalem praesentiam. Quod tenuit Glos. in cap. Timorem. de Concl. dist. 2. & probabile existimat Ledesm. qu. 17. artic. 1. dub. 5. qui tamen non vtuntur fundamento a nobis ininuato, sed aliis, scilicet, vel quia verba videntur designare corpus viuum, quale erat cum primo prolata sunt: vel quia, cum corpus Christi in Eucharistia sit viuificans, non potest esse nisi viuum, vel quia Christus non cotulit potestatem ministris ad consecrandum, nisi pro eo tempore, quo suum corpus iam esset suscitatum, & viuificatum, vel denique addere possumus, quia concursus, quem corpus Christi conferre debet ad efficiendam suam sacramentalem praesentiam, pendet ex vita eius. Sed haec sententia falsa est, & communi doctrina Theologorum contraria. Primumque fundamentum eius repugnat communi doctrinae probatae in Concilio Tridentino, quod in hoc sacramento non est viuum corpus Christi ex vi verborum, sed per concomitantiam: ergo verba vi sua non significant corpus viuum. Secundum etiam fundamentum futile est, quia corpus Christi, etiam exanime, erat viuificatum animarum: quia hoc non habet ex vnione ad animam, sed ex vnione ad verbum, quam semper reuinit. Adde, illud esse quid posterius, ideoque ex illo non pendere efficaciam verborum. Tertium item fundamentum temere assertum est. Nam Christus in nocte coenae simpliciter dixit, Hoc facite: & illis verbis dedit ministris hanc potestatem: ergo temere limitatur ad tempus, post

Trident.

resurrectionem Christi, contra commune doctrinam, ut patet ex Trident. sess. 21. Quartum item fundamentum, licet minus improbabile sit (quia sacramentorum efficacia videtur pendere ab humanitate Christi, humanitas autem includit vnionem animae & corporis) tamen hoc est valde debile: quia etiam anima vel corpus inter se separata, & verbo vnita possunt ad huiusmodi efficaciam sufficere. Quocirca verissima est sententia communis in praedicto casu, verbi gratia, in triduo, fuisse corpus Christi capax sacramentalis praesentiae: & tam in ipso Christo, quam in verbis fuisse sufficientem virtutem, ad illam efficiendam, ex vi praesentis institutionis, ut D. Tho. d. 71. infra q. 76. ar. 1. & 2. & q. 81. ar. 4. & reliqui omnes docent: quia nihil deest ad hunc effectum, nam, & in ministro esset character sacerdotalis, sicut fuit in Apostolis, ex quo Christus dixit, Hoc facite, & verba sufficienter significabant, & verificari poterant de corpore Christi prout tunc erat, & erant efficacia ex vi institutionis: si aliunde non erat impedimentum: nullum autem erat, quia ex parte Christi, ut dictum est, erat sufficientis instrumentum coniunctum ad huiusmodi efficiendam. An vero Christus tunc concurreret per corpus exanime, vel per animam, problema esse potest: nam vtrumque fuit possibile, magis tamen videtur hoc animae tribuendum: nam, illa maxime videtur retinere virtutem efficiendi miracula, illuminandi angelos, efficiendi gratiam, &c. sicut, si in triduo daretur Baptismus, sine dubio esset verum sacramentum, & gratiam daret, ad quam, si necessarius est specialis humanitatis Christi concursus, tunc certe per animam dandus videretur. Idem ergo in praesenti dicendum est. Propter quod Petrus Soto lect. 5. de Eucharist. sententiam hanc ex principis fidei colligi affirmat.

Sed quaerit tandem aliquis, an nunc de facto idem dicendum sit de consecratione corporis Christi sub speciebus sacramentalibus: quod scilicet, si Christus sub propria specie esse desineret, etiam in sacramento amitteret sacramentalem praesentiam. Videtur enim, non esse eandem rationem de consecratione, & de prima effectione, ut patet discurrendo per omnes rationes supra adductas. Primum enim, etiam si demus fieri Christum praesentem sub speciebus per actionem adductam: & ideo necessario alibi supponi, ut adduci possit: tamen postquam semel adductus est, non est necesse, ut alibi praesens daret, ad hoc, ut altera praesentia sacramentalis conseruetur: similiter, licet demus, hanc actionem ita esse conuersivam, ut nullo modo, etiam de se sit productiva, & ideo dicatur necessario supponere in alio loco corpus, quod determinare debet conuersionem, tamen postquam semel est facta conuersio, iam non est, cur duret illa dependentia. Tandem, quamuis haec praesentia in fieri pendeat ex Christi humanitate alibi existente in propria specie, tamen, postquam facta est, non pendet in conseruari: sicut neque pendet a verbis sacramentalibus, per quae facta est: nam Christus Dominus in his effectibus nihil iam operatur, nisi mediis sacramentis. Sicut etiam gratia baptismalis in fieri pendet a Baptismo: & consequenter a Christi humanitate: tamen, finito Baptismo postea in conseruari tantum pendet a Deo: sic ergo in praesenti dicendum est de effectu verborum consecrationis, qui est praesentia sacramentalis Christi. Et hic discursus, ac dicendi modus, est, reuera, valde probabilis, iuxta quem dicendum est, ex vi dependentiae, seu causalitatis effectiuae non esse amissurum Christum praesentiam sacramentalem, etiam si naturalem, vel quantitativam prorsus amitteret. Nihilominus tamen ex alio capite id affirmari posset, scilicet ratione causalitatis exemplaris supra explicatae, quam, probabile est, hic intercedere ex institutione diuina, vel certe (quod idem est) ratione concomitantiae, de quo fufius dicendum est in fine huius

huius disputationis, ubi quaestiones alias huc spectantes expediemus: quia licet non sint omnino necessariae, non tamen possunt praetermissas omitti, tum propter materiae complementum: tum etiam quia non sunt omnino inutiles ad mysterium declarandum. Adde denique facile etiam posse defendi, praesentiam sacramentalem corporis Christi perpetuo pendere in conservari ab actuali influxu humanitatis Christi existentis in caelo: quod si ita est, facile consequitur ablato illo principio influente, auferendum esse hunc effectum sacramentalis praesentiae, & eadem ratione explicari posset, quomodo, ablata vita à corpore Christi extra sacramentum, consequenter auferenda esset in sacramento: scilicet, quia ut in sacramento existens, pendet ab influxu sui ipsius, naturali modo existentis & sic de alis proprietatibus. Et hanc quidem viam non existimo impossibilem, sed incertam, & novam. Nam Theologi nunquam rem hanc declarant per rationem dependentiae, sed concomitantiae tantum, de qua statim dicendum sumus.

SECTIO III.

Vitam sacramentalis praesentiae & naturalis simul possunt eidem corpori convenire ex natura rei: & consequenter, an per hanc praesentiam res definitur loco.

Primum non esse necessarium, has duas praesentias simul inesse eidem corpori: etiam si alterutra in se, sequitur explicandum, an possint in eodem corpore coniungi, vel iuxta naturam rei, quod hic expediendum est, vel per potentiam Dei absolutam, quod dicitur sectione sequente. Posset autem praesentia quaestio, seu comparatio extendi, & ad naturales praesentias seu quantitativas inter se, & ad sacramentales inter se: an scilicet plures earum ex natura rei, possint eidem corpori inesse: & (quod propositum est) ad praesentiam sacramentalem cum locali.

Prima autem comparatio nihil difficultatis habet. Nam per se clarum est, nullum corpus posse ex natura rei simul occupare, nisi unum locum sibi adaequat, & unica praesentia connaturali: quia per finitatem quantitativam ad unum finitur ac terminatur locus, eius commensuratur: hac enim est naturalis proprietates quantitativae.

In secunda comparatione est satis verisimile, superius positae principis fidei, huiusmodi sacramentalem praesentiam ex natura sua posse simul multiplicari in eodem corpore in ordine ad diversa spatia: non tamen est omnino certum, sed dubium. Prior pars declaratur. Nam licet hic modus praesentiae, supernaturalis sit corpori, habet tamen ipsa suam propriam essentialem rationem, quae potest dici propria eius natura: ratione cuius habere etiam potest proprietates naturales, non quidem corpori secundum se, sed ipsi modo praesentiae, seu corpori ut affecto tali modo. Sicut lumen gloriae, quamvis supernaturale sit intellectui humano, habet tamen suam propriam essentiam & naturam: ratione cuius visio illi est connaturalis, vel etiam intellectui, ut informato tali lumine. Hoc igitur modo connaturale est huic praesentiae sacramentali facere corpus, cui inest, esse praesens totum in toto, & totum in qualibet parte: quia ex vi speciei, & essentiae, habet hanc indivisibilitatem, & inextensionem secundum comparationem subiecti sui ad spatium, cui sit praesens: nam hac ratione dicebamus supra, praesentiam hanc sacramentalem specie differre à quantitativa seu naturalis. Atque hinc ulterius probabile fit, huic praesentiae ex natura eius non repugnare, quo minus in eodem corpore multiplicetur in ordine ad diversa & separata spatia: primo quidem, quia, sicut nunc de facto corpus Christi in una hostia est totum in toto,

& totum in qualibet spatii parte: ita etiam de facto, totum est simul praesens in multis & distantissimis spatiis: ergo, sicut dicimus, illud primum esse connaturale huic praesentiae: ita dicendum est de hoc secundo: quia nulla est repugnantia, quin sit aliquis modus, cui possit hoc esse connaturale: & alioqui per se expedit, ut mysterium hoc, quod lege ordinaria ac stabili ita duraturum erat, iuxta rerum naturas, quoad fieri posset, & paucioribus miraculis percipiendum institueretur. Secundo, quia si est connaturale huic praesentiae, ut in uno spatii continuo tota praesentia subiecti sit in toto spatii, & tota in qualibet parte: ergo iam ibi est tota in duobus locis partialibus, componentibus unum: ergo eadem ratione esse poterit in duobus totalibus, & discontinuis; patet consequentia, quia hoc fere nihil addit difficultatis, nec continuitas spatii videtur quicquam conferre ad rationem indivisibilis praesentiae. Tertia ratio huic non dissimilis esse potest, quia haec praesentia, neque ex ratione formalis sua, neque ex subiecto, terminatur ad aliquod spatium determinatae magnitudinis: sed potest subiectum suum facere praesens in maiori, & in minori spatii in infinitum: ita ut considerata vis & natura huius praesentiae, posset illo modo corpus Christi fieri praesens universo orbi: ergo multo magis poterit fieri simul praesens in duobus partibus distantibus: nam certe videtur hoc minus miraculosum, minusque difficile, Antecedens, quoad primam partem declaratur, nam per hanc praesentiam non coextenditur corpus spatii, sed iterum atque iterum quasi replicatur corpus in qualibet parte, vel termino spatii: & ideo ex vi talis modi praesentiae nulla est ratio, cur ad hunc potius, quam ad alium terminum spatii limitetur. Altera vero pars antecedentis declaratur. Nam Angelus, qui habet proportionalem modum praesentiae, quia est totus in toto, & totus in qualibet parte, licet ex parte modi non sibi determinet certam loci magnitudinem, tamen ex parte subiecti illam determinat: quia ille modus praesentiae est connaturalis tali subiecto, & commensuratur perfectioni eius: & ideo perfectior Angelus ex natura sua potest maiori spatii fieri praesens, quam minus perfectus: non est autem ita in praesenti: quia corpus, quod sit sacramentaliter praesens natura sua non est aptum ad hanc praesentiam, & ita neque ex natura sua possit latere terminum illius, sed est capax illius solum secundum potentiam obedientialem, secundum quam nullum habet terminum, sed tantum potest recipere, quantum Deus potest in ipso facere, seu quantum non implicat fieri: & ideo neque ex hac parte potest terminus huius praesentiae assignari: & eadem ratione concludi potest, hanc praesentiam, neque ex se, neque ex subiecto ad unum spatium terminari.

Ex his ergo satis declarata est prior pars assertionis, nihilominus explicatur altera: quia hoc ipsum, scilicet praesentias multiplicari in eodem subiecto discrete, & absque ulla continuatione ex parte spatii addit per se novam difficultatem, ratione cuius potest hoc non esse connaturale huic praesentiae, etiam si alioqui possit esse tota in toto, & tota in qualibet parte, quasi continue: ergo ex hoc principio non satis concluditur, alterum esse connaturale. Antecedens patet primo, in anima, vel angelo: nam anima potest informare unum integrum corpus, ita ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte: non tamen simul potest informare duo corpora discreta, etiam si simul sumpta non sint grandioris quantitatis, quam illud unum. Angelus idem simul esse potest naturaliter praesens in grandi spatii continuo, totus in toto, & totus in qualibet parte eius: & tamen iuxta sententiam magis receptam non potest simul naturaliter esse praesens in pluribus spatiis multo minoribus omnino distantibus ac discretis. Quod si ad fontem perfectionum omnium recurramus, Deus ipse naturali sua immen-

*Oppositum
etiam esse pro
babilis ostenditur.*

fitate est præfens rebus omnibus quasi continue, & omnibus imaginariis spatiis, nec potest habere hanc præfentiam, quæli discretam, ita ut sit in rebus inter se distantibus, & non in locis, seu spatiis interiectis: cum ergo omnis præfentia participatio sit diuina præfentia & immanentis: verisimile est, non posse, saltem ex natura rei non crescere in eodem subiecto, nisi per modum vnius continue præfentia. Tandem nonnulla ratio addi potest, quia, quando eadem res sit præfens in locis distantibus quocunque modo, & quacunque præfentia, quodammodo eadem manens multiplicatur, & quæli à se ipsa se iungitur, quod speciale habet difficultatem: quamquam ergo ex illa proprietate existendi totum in toto, & totum in qualibet parte, quam admittimus esse connaturalem huic præfentia, probabiliter colligatur altera existendi in pluribus locis, non tamen euidenter, & certo: & ideo res est satis dubia, an hoc sit connaturale huic præfentia: Sicut etiam è contrario, ex eo, quod Christus in hoc sacramento sit præfens multis hostiis, non potest ex vi solius rationis efficaciter concludi, posse in vna hostia esse totum in tota, & totum in qualibet parte, modo sacramentali, à nobis explicato: quia, cum sumitur, Christum esse in multis hostiis, vel intelligitur esse in eis prædicto sacramentali modo: & supponitur probandum: vel intelligitur præfens de reali præfentia, quæcunque illa sit: & sic est quidem probabilis illatio, vnum miraculum ex altero colligendo: non tamen est simpliciter necessaria: nam, quod corpus quantum indiuisibiliter in loco constituatur, maiorem quandam difficultatem habere videtur, saltem ex hoc capite, quod hoc maxime videtur repugnare cum natura, vel intima proprietate quantitatis. De his ergo rebus vix potest à nobis iudicium ferri secundum naturas earum: sed ratio eorum, quæ circa illas facta esse credimus, sumenda est ex potentia facientis, de qua dicemus sectione sequente.

Præfentia naturalis & sacramentalis vno eorum simul conuenire, naturaliter repugnat.

Atque hinc fere constat, quid dicendum sit de tertia comparatione sacramentalis præfentia cum naturalis, de qua est quæstio propolita: quamquam enim hæc præfentia sint diuersorum ordinum, & altera earum omnino sit supra corporis naturam, & ideo vix possint prædicto modo comparari: nihilominus dicendum simpliciter videtur, ex natura rei non posse has præfentias in eodem subiecto coniungi. Probatur, quia in primis non potest hoc esse connaturale ex parte subiecti: tum quia illud natura sua non est capax præfentia sacramentalis solius: ergo neque illius simul cum locali: tum etiam quia hoc ipso, quod corpus sumitur, præter naturam eius est ut sit realiter præfens extra locum sibi adæquatum. Deinde non potest hoc esse connaturale ex parte præfentia quantitatis: tum propter rationem indicatam, scilicet, quia ratione illius sit ut corpus circumferibatur loco, & consequenter naturaliter non sit extra illum: tum etiam, quia actualis extensio in loco ex natura rei pugnat cum indiuisibilitate. Unde tandem concluditur, hoc non posse esse connaturale ex parte præfentia sacramentalis: tum propter rationem factam: quia cum hic modus includat dat extensionem in ordine ad locum, natura sua videtur pugnare cum alio modo: tum etiam, quia cum faciat subiectum præfens in spatio distincto, videtur etiam hoc ipso pugnare cum alia adæquata præfentia, etiam si distincta rationis sit: quia reuera constituit subiectum in distincto seu maiori spatio, quam naturaliter esse possit: & hoc etiam confirmant ea, quæ in secunda comparatione adduximus.

Dubium.

Vltimo ex dictis definiri potest dubium supra tactum de hac præfentia corporis Christi in Eucharistia, an ratione illius dicendum sit, corpus Christi, esse ibi definitiue, nec ne: nam Theologi varie loquuntur. Quidam affirmant esse Christum in qua-

libet hostia definitiue. Ita significat Gabriel. 4. d. 10. quæst. vnica, artic. 2. conclus. 7. & idem videtur sentire Paludanus. ibi. q. 3. artic. 2. licet prima facie videatur docere contrarium: ait enim, proprie non esse definitiue Corpus Christi in vna hostia, quia simul est in aliis: subiungit tamen, quod si vna tantum esset hostia consecrata, in alia esset definitiue. Probatur autem potest hæc opinio, si iuxta dicta in secunda comparatione teneamus, ex natura rei vnam præfentiam sacramentalem non admittit alias omnino distinctas in eodem subiecto: nam hinc sequitur, ex vi vnius præfentia definiri, & determinari corpus Christi, ut sit hic & non alibi, quantum est ex natura talis præfentia: hoc autem sufficit, ut dicatur esse ibi definitiue, etiam si de facto sit in aliis locis per diuinam potentiam: nam hoc non immutat propriam rationem vniuscuiusque præfentia. Sicut corpus Christi nunc est in celo definitiue, quia ex vi illius præfentia non potest naturaliter esse alibi: quamuis de facto etiam sit alibi per diuinam potentiam & altiori modo: imo quamuis simul esset alibi etiam modo quantitatis. Nihilominus ibi esset definitiue, & circumscriptiue: quia ex natura rei illo tantum loco circumferibi poterat & contineri. Dicit fortasse aliquis, quamuis ex vi talis præfentia non possit Christus esse alibi, id est, in alio loco omnino distincto, posse tamen esse in maiori spatio: & ideo non esse definitiue, vbi nunc est. Sed contra primo quia ex modo, quo incipit esse in hac hostia, scilicet per conuersionem panis in ipsum, non potest esse in maiori spatio, quam occupet quantitas panis. Secundo quia inde, ad summum, potest concludi, non esse Christum ibi definitiue adæquate, sicut quando angelus est in loco inadæquato tantum, reuera, est ibi definitiue quamuis inadæquate. Tertio, quia ex vi huius præfentia potest Christus moueri localiter: non mouetur autem, nisi quod definitur loco. Quarto, quia illa præfentia est aliquis modus existendi in loco, ut supra dictum est, & non circumscriptiue: ergo saltem definitiue. Alii vero Theologi negant Christum, ex vi huius præfentia esse definitiue in sacramento, quod sentit Diu. Thom. quæst. seq. art. 5. Alen. 4. par. quæst. 40. membr. 3. artic. 6. §. Aegidius tract. de Euch. prop. 3. 4. & 5. Sorb. & alij distinctione 10. Et probari potest quia CHRISTI corpus, ex vi huius præfentia, non est in loco definitiue. Item, ita est in vna hostia ut sit etiam in aliis: ergo in nulla est definitiue. Sed tota hæc dissentio videtur esse magis de modo loquendi, quam de re, ut hæc rationes ostendunt: multum simpliciter videtur proprius ac verus dici, Christum, ex vi huius præfentia, non esse definitiue in loco: non tamen censio faciendam esse vim in illa particula (esse in loco): quia, ut supra dixi, si sit sic sumatur pro loco physico, sic nulla est quæstio: quia hoc modo etiam Angelus non est in loco definitiue, neque vilo modo. Iam ergo sumenda est, prout dicit esse realiter præfens, alicubi: quomodo vere CHRISTVS ibi est, ratione huius præfentia, vbi species consecrata existunt, & adhuc hoc modo negamus ibi esse definitiue, ad quod explicandum vis facienda est in propria significatione huius, definitiue. Duobus enim modis sumi potest, primo, ut includit negationem actualis præfentia in alio loco: in quo sensu vti videntur hac voce Paludanus & alii: sicut multi etiam auctores vtuntur hac voce (circumscriptiue) ut dicam quæstione sequente, sed non est proprius, ut patet ex his, que circa primam opinionem dicta sunt: & tamen constat, etiam in hoc sensu, CHRISTVM in nulla hostia consecrata esse definitiue: quia simul est, & in aliis, & in celo. Secundo accipi potest illa vox, ut includit negationem aptitudinis, seu potestatis, existendi simul in alio seu in maiori loco potestatis, inquam, intranscæ & connaturalis, per quam intrinseca rei natura

mensuranda, & denominanda est, non per extrinsecam Dei potentiam. Et hoc reuera, est necessarium, vt res proprie dicatur esse definitiue in loco, & ideo Christus ex vi huius presentia non potest proprie dici esse definitiue in loco, vel quia ex vi vnus presentia sacramentalis non potest simul habere alias discretas, etiam eiusdem ordinis ex natura rei, vt supra probabiliter dicebamus: vel certe, quia huiusmodi presentia, neque ex ratione formali sua, neque ex parte subiecti habet terminum magnitudinis, vt supra etiam est ostensum: nam, quod loco definitur, ita clauditur terminis illius loci, vt iuxta rei naturam extra illos esse non possit, vt ex vi illius constat. Et ideo Deus non definitur loco: quia eius immensitas nullis terminis clauditur. Sic ergo presentia haec, quia natura sua, nullo certo termino finitur, non potest ratione illius res proprie loco definiti: neque adaequata: quia nunquam habet adaequatum terminum, neque inadaequata: quia nunquam talis presentia est pars, vt dicitur habitudinem ad presentiam adaequatam, & definitam in illo ordine. Vnde facile patet responsio ad argumenta primae opinionis. Ad primum respondetur, solum probare, hanc presentiam de facto esse finitam ad quantitatem panis, vel vini: non vero quod ex natura sua sit presentia definitiua: quia potest fieri per conuersionem ex maiori & maiori quantitate panis, in maiori, & maiori spatio infinitum. Ad secundum respondetur, non esse simile de Angelo: quia, licet interdum non sit in loco adaequato, tamen est in parte eius, & ideo potest aliquo modo dici esse tunc definitiue inadaequate, non sic autem Christus, vt dictum est: quia nunquam haec presentia est pars adaequata presentiae in illo genere. Ad tertium respondetur, solum probare, quod actu semper sit CHRISTVS in loco finito, ratione huius presentiae. Nam hoc factis est, vt secundum illam possit mutationem recipere. Ad quartum respondetur, hunc modum essendi in loco, nec definitiue, nec circumscriptiue dici posse: neque enim necesse est, vt sub his membris omnes modi essendi in loco contineantur: vt patet in Deo, qui neutro illorum modorum in loco est, sed immense: ad quam perfectionem non attingit etiam haec presentia: quia neque est, neque esse potest actu infinita: est autem quaedam singularis participatio eius: quia, quantum in se est, potest in infinitum augeri, vt eleganter tractat Algerus libr. 1. de Eucharistia capit. 14. Est ergo haec presentia altioris ordinis, & non mensuratur ex incapacitate naturali creaturae, sed ex obedientiali sub omnipotentia Dei, & ideo non habet speciale nomen impositum: dicatur ergo hic modus essendi in loco sacramentaliter.

SECTIO IV.

Vtrum de potentia absoluta plures & distinctae presentiae reales in spatiis distantibus possint eidem corpori conuenire.

In hac quaestione possunt illae tres comparationes tractari, quae in praecedente: potest enim esse quaestio prima de pluribus presentibus sacramentalibus: secunda, de pluribus, vna naturali, & alia vel aliis sacramentalibus: tertia, de pluribus naturalibus, seu quantitatis. Prima, & secunda sunt proprie Theologicae, & solum cum haereticis est nobis contentio. Tertia eadem a Philosophis tractari solet: sed imperfecte, & ex principiis alienis: & ideo hic praetermitti non potest, praesertim quia haeretici magnam vim in ea faciunt, & ex opinione Catholicorum veritatem Catholicam impugnant. Haeretici ergo absolute negant esse possibile, idem corpus simul esse in duobus locis quocumque genere praesentiae: & ideo negant realem praesentiam Christi in sacramento Eucharistiae: quia, cum de fide certum sit Christi corpus esse realiter praesens in caelo impossibile putant, quod simul sit in aliqua hostia consecrata, nedum in multis ac pene infinitis. Probant autem suam sententiam ex verbis Angeli, Matthaei 23. Iesum qui crucifixus est quaeritis, non est hic, surrexit enim: quae causalis collectio non esset bona, si portuisset Christus simul esse in alio loco, & in sepulchro. Secundo afferunt Patres negantes, idem corpus posse esse simul in duobus locis, quod videtur praecipue docere Augustinus epistola 3. & 57. & 20. capite 11. & magis ex professo Anselmus in Monologia capite vigesimo. Tertio argumentantur ad hominem: quia Catholici docent, non posse idem corpus esse modo naturali & quantitativo in multis locis: ergo multo minus esse potest modo quantitativo, seu naturali, & sacramentali: nam in hoc posteriori miraculo includuntur omnes difficultates & repugnantiae, quae in priori excogitari possunt: & praeterea additur specialis difficultas in hoc, quod corpus sit in vno loco extensum, & in alio inextensum antecedens probant ex his, quae adducemus in sequenti opinione.

Est ergo altera Catholicorum sententia negantium, duas presentias quantitativas adaequatas & discontinuas posse simul eidem corpori conuenire etiam de potentia Dei absoluta: quamuis de aliis presentibus sacramentalibus vel solis, vel cum vna naturali id negare non possint, propter Catholicam fidem oppositum docentem. Hanc sententiam indicat D. Thomas hic ad 3. & expresse quodlibet 3. articulo 2. & in 4. d. 10. q. 1. articulo 1. & dist. 4. quae 2. articulo 2. quodlibet 3. ad 4. vbi etiam Bonauentura articulo de dote subtilitatis. q. 1. Capreolus d. 10. q. 1. articulo 3. Palud. q. 1. Durand. q. 1. num. 30. & 31. & q. 4. num. 8. & d. 4. q. 6. ad 1. Sed hic author in hac materia grauius fallitur, quia, dum ait, presentiam sacramentalem solum esse presentiam ordinis, vere negat, esse veram presentiam realem. Et eandem sententiam tenet Henricus quodlibet 9. q. 32. Godof. quodlibet 13. q. 4. Aegid. quodlibet 1. q. 1. quodlibet 2. q. 17. & Theorem. 3. de Eucharistia. Heru. quodlibet 11. q. 13. Ferrar. 4. cont. gen. ca. 68. Carthus. in 4. d. 13. dub. 1. ac denique Soto, qui in 4. phys. contrarium docuerat, hic subdubitat, magisque in hanc partem propendit. d. 9. q. 1. art. 1. ad 3. & dist. 10. q. 1. art. 5. & eodem modo sentit Ledesma, quodlibet 16. art. 1. Fundamenta huius sententiae commodius postea proponuntur, ostendendo eadem adduci posse contra Catholicam fidem, & vix posse differentiam probabilem assignari.

Dico primo, Idem corpus potest simul esse praesens locis distantibus presentia sacramentali in diuisibili. Conclusio est in fide, quae sufficienter probatur ex mysterio Eucharistiae: & ex his, quae in superioribus adducta sunt ad probandam realem presentiam Christi in hoc sacramento: nam inde credimus, Christum esse realiter presentem in omnibus hostiis, quae in variis & distantibus Ecclesiae locis consecrantur: non est ergo haec presentia ad vnum locum coarctanda, vt sensus & traditio Ecclesiae factis probant, & illa verba Christi: & factum est primum primae institutionis. Nam Christus eo de tempore communicauit Apostolos: vnde simul erat praesens in omnibus particulis panis, quas singulis tribuit: quod autem hoc non implicet contradictionem, ex sola ratione naturali non potest euidenter probari: possunt tamen facile solui argumenta, quae afferri possunt ad probandum hoc esse impossibile, vt infra videbimus: possunt etiam adduci nonnullae coniecturae, quas in tertia conclusione afferemus de presentia quantitativa, quae eandem vel maiorem vim habent in hac sacramentali. Tandem probare possumus ex alio mysterio huius sacramenti, quod supra ostendimus, non implicare

August. Anselm.

Ex catholica quidam negant duas presentias quantitativas eidem corpori posse simul conuenire de potentia absoluta Dei. D. Thom. D. Bonau. Copreol. Palud. Durand.

Heru. Carth. Soto.

Ledesma.

Idem corpus simul potest esse in diuisibili loco distantibus per diuisas presentias sacramentales.

re con-

re contradictionem, scilicet, Christum ex vi huius praesentiae esse totum in toto, & totum in qualibet parte specierum sacramentalium, ante diuisionem earum: ergo etiam post diuisionem potest manere totus in quauis parte diuisa. Quia nulla fere maior est difficultas: ergo etiam si illae partes diuisae loco separantur, manebit Christus sub qualibet earum: & ita erit simul in locis distantibus. Patet consequentia eadem ratione, quia etiam in hoc nihil fere est maioris difficultatis: & si quid est, facile vincit potest per diuinam potentiam: quia nulla nouam contradictionem inducit: imo videtur quid consequens ad prius miraculum. Atque ex hac conclusione sequitur, coniungi simul in eodem corpore Christi distinctas praesentias sacramentales in ordine ad diuersa spatia, quae occupant variae sacramentales species, quod licet non sit tam aperte de fide, mihi tamen est indubitata veritas, quae necessario consequitur ex principiis fidei, quod recte vidit Paludanus in 4. distinctio. 10. quaestio. 3. num. 22. quia haec praesentia sunt modi ita distincti in Corpore Christi, vt vnus corrumpi possit, alio manente: & e contrario: & vt secundum vnum possit Christus moueri, & secundum alterum non moueri: ergo necesse est, illos esse modos re ipsa numero saltem distinctos, sicut sunt duae praesentiae, quae successiue fiunt in corpore Christi.

*Idem corpus etiam duplici loco distan-
ri potest adesse, vni sacramentaliter, alteri naturaliter.*

Dico secundo, Non est impossibile, idem corpus esse simul in diuersis locis distantibus, in vno naturali & quantitativo modo: & in alio vel aliis sacramentaliter. Haec conclusio est etiam de fide, eodem modo probatur ex hoc mysterio: quia de fide est, Christum in nocte cenae propter sacramentale praesentiam, quam sub speciebus panis habere cepit, non amisisse viliabilem: nec naturale modum existendi in loco per quem erat praesens in propria specie, discipulis suis. Et eodem modo de fide certum est, nunc existere in caelo in propria specie, quamuis simul sit in terra in sacramento: habet ergo simul vtramque praesentiam, quas a fortiori constat ex supra dictis esse in re ipsa distinctas: cum non solum numero, sed etiam specie, differant: & multo magis in vna fiat mutatio: altera immutata manente: quia reuera nullam maiorem repugnantiam intellectus in hoc concepit, quod CHRISTVS sit hic sacramentaliter & in caelo quantitativum, quam in hoc, quod sit hic, & Romae sacramentaliter: nam tam vere & realiter adesse praesens per sacramentale praesentiam, sicut per quantitativam: quod autem vna praesentia pateat sensibus, & non alia, aut quod vna coextendatur spatio, & repleat illud materiali modo, alia vero, modo altiori, non auget difficultatem vel repugnantiam in hoc miraculo, sed potius in altero: quia tunc priuatur Corpus in vtroque loco naturali modo existendi in loco: iuxta hanc vero conclusionem solum caret illo in altero loco. Quocirca omnes rationes & congruentiae, ac argumentorum solutiones, quae afferri possunt pro conclusione precedente, & sicut in sequente, eodem modo valent ad hanc conclusionem confirmandam: denique illa est sufficiens ratio: quia ex hoc, quod corpus quantum, & alicubi extensum in ordine ad locum alibi ponatur sine tali extensione cum sacramentali praesentia, nihil sit directe repugnans essentiae quantitativae, aut modo proprio occupandi spatium, quem alicubi addit: nam horum ratio solum in hoc consistit, quod tale Corpus constet partibus quantitativae distinctis, & per eas occupet aliquod spatium eum commensuratione ad illud, diuersas illius partes suis etiam distinctis partibus occupando: sed nihil horum destruitur ex hoc, quod tale corpus simul ponatur alibi, sine huiusmodi locali extensione: ergo ex hoc capite istud non repugnat,

neque ex vilo alio ostendi potest, vt facile constabit respondendo obiectionibus: non est ergo hoc impossibile: neque extra diuinae omnipotentiae obiectum.

Dico tertio, Non est impossibile, idem corpus simul constitui in duobus locis distantibus, & in vtroque, modo naturali & quantitativo. Hanc sententiam tenet Hugo de Sancto Victor. libr. 2. de sacrament. part. 8. capite 11. vbi tamen non tam accurate, & scholasticè distinguit de modo existenti in loco, sed simpliciter docet, idem corpus per diuinam potentiam posse esse in multis locis: quomodo loquuntur etiam plures Sancti, tractantes de praesentia reali in hoc sacramento, quos supra retulimus. Distinctus, & formalis docuerunt hanc sententiam Alexander 4. par. quaestio 11. articulo 1. §. vltimo alias quaest. quadragesima quarta membr. 7. in 4. distinctio. 10. per multas quaestiones, praesertim in 2. Richardus 2. art. 2. quaest. 2. Maior. quaest. 2. Gabriel. q. 1. art. 2. & lect. 46. in Cano. Marfil. in 4. q. 7. art. 3. d. 2. Ocham. q. 4. Aliacus. q. 5. art. 2. Adam q. 5. art. 3. Aureol. apud Capreol. d. 10. quaest. 1. Palacius. d. 11. disput. Ruard. quamuis subdubitan. artic. 15. contra Luth. Alan. 11. de hoc sac. ca. 38. Claudius de Sanctis repet. 4. de Euchar. ca. 4. & 7. Bellar. lib. 3. de Euchar. c. 3. & 4. & fere communiter reliqui moderni Scriptores Theologi, qui hoc tempore scripserunt, praesertim contra haereticos. Est enim haec opinio non solum aptior ad respondendum haereticis, & veritatem Catholicam tuendam: sed etiam iudicio meo, tam necessario, tamque euidenter consequens illam, vt mirabile semper mihi visum fuerit, contrariam sententiam grauissimis Theologis persuaderi potuisse. Probat ergo conclusio, primo, rationem per facta: quia, quod idem corpus alicubi existens quantitativo modo, alibi simul eodem modo ponatur, non est contra intrinsecam rationem quantitatis, neque est contra rationem intrinsecam illius naturalis modi existendi in loco, quem corpus quantum in vno loco habere supponitur: ergo simpliciter non repugnat: consequentia probatur, quia a priori nullum aliud principium, seu caput repugnantiae excogitari potest inconuenientia vero, quae a posteriori inferri posse videntur, facile inferri dissoluntur. Maior autem per se videtur nota ex supra dictis: quia ratio integra quantitatis prior est, quam extensio eius in ordine ad locum, ergo, sicut hac ratione dicimus priuari huiusmodi extensione, non esse contra rationem quantitatis: ita dicendum est, recipere vnicam vel plures extensiones huiusmodi, non esse contra rationem quantitatis: quia hoc etiam est quid posterius, sicut illud, & certe minus dissonans naturae quantitatis, quatenus minus videtur a natura vniuersusque rei alienum recipere duplicatas (vt sic dicam) proprietates naturales, quam omnibus priuari: sicut magis violentum est terrae priuari motu deorsum, quam duplo intentius moueri, quam naturaliter possit: ac denique, si solum res ipsa attente consideretur facile intellectus concepit quantitatem ex hoc, quod in multis locis ponatur, nihil eorum amittere, quae ad rationem suam, suumque effectum formalem intrinsece pertinent. Dices: quantitatem ex se reddere corpus aptum, vt in vno tantum loco extendatur: vnde, si in multis simul extensio ponatur, vel mutabitur, vel augetur effectus formalis quantitatis non mutata forma, vel recipiet corpus plures actus, sine capacitate ad illos, sed ad vnum tantum: vtrumque autem horum impossibile est. Sed hoc nullius momenti est: laboratur enim in aequo loco, non distinguendo capacitatem naturalem, ab obedientiam: nec capacitatem ad plures actus diuisim, aut copulatim sumptos, per quantitatem enim redditur corpus naturaliter capax vnius tantum extensionis in loco, non quidem determinate, sed confuse: quia potest hanc vel illam extensionem recipere

re in hoc, vel illo, aut quouis alio spatio, atque ita distinctum, seu diuisiue capax naturaliter est plurius extensionum, & quamuis simul tantum possit naturaliter vnum recipere, tamen successiue potest habere plures. Vnde sit, vt cum hac capacitate naturali coniuncta esse possit capacitas obedientialis, vt supernaturaliter possit recipere simul & coniunctim ea, quæ naturaliter tantum poterat successiue aut distinctim habere: & ita in hoc non fit contra capacitatem simpliciter quantitatis, sed supra naturalem capacitatem eius: neq; augetur aut immutatur formalis effectus eius: quia cum illo intrinsece coniuncta est hæc obedientialis capacitas. Quæ doctrina non est hic specialiter inuenta, sed necessario est generaliter ab omnibus admittenda in rebus omnibus, quæ habent potentiam obedientialem ad aliquos actus vel effectus, vt in superficie recipiente simul per potentiam Dei albedinem & nigredinem intensas, quas solum poterat naturaliter recipere successiue, & in intellectu accipiente visionem Dei, & in presente materia, in corpore quanto recipiente simul cum presentia quantitativa vnius loci, presentiam sacramentalem in alio, cuius non erat naturaliter capax.

Superest probanda altera pars antecedentis, seu minor propositio in principali argumento assumpta, scilicet, hoc etiam non repugnare cum intrinsece ratione modi existendi quantitativæ in vno loco, quod facile etiam patet ratione supra indicata: nam ratio huius modi solum in hoc consistit, vt Corpus quantum ita fit presentis spatio, vt ex vi modi, quo illud replet, habeat extensionem partium in illo, ita vt vna aliam excludat à suo partiali loco: sed hoc totum integrum manet, etiam si corpus sic existens in hoc loco, alibi in alio spatio simili modo constituitur: quia per hoc non amittit extensionem in alio loco, nec aliquid aliud, quod intrinsece illi adueniat: imo hoc ipsum est, quod hæc sententia affirmat, esse possibile, scilicet, multiplicari huiusmodi presentia modum, alia simili presentia integra, & immutata manente. Sed obijciunt, intrinsecam rationem huiusmodi presentia non satis explicari per totum illud posituum, quod nos proposuimus, sed includere etiam negatiuum, scilicet, quod corpus ita claudatur terminis illius loci, quem occupat, vt extra illos non sit. vnde hoc ipso, quod alibi esse ponitur, directe sit aliquid repugnans priori modo existendi in loco, & rationi eius: quod sic etiam patet, nam esse in loco quantitativæ, idem est, quod esse in loco circumscriptivæ, sed de ratione eius, quod circumscriptivæ, est, vt non sit extra terminos circumscriptivæ, vt ex ipsa voce patet, & ideo etiam id, quod circumscriptivæ, dicitur definiti loco. Sed hæc obiectio, aut facit vim in solis verbis, aut petit principium, & ipsum sumit, quod probandum est. Si enim affirmat, & sumit, de ratione modi existendi in vno loco quantitativæ esse, vt illud met corpus non sit extra illum locum, vel actum non habeat aliam rationem similem, petit principium, vnde enim hoc probatur, aut probari potest? nam, considerata tota intrinseca natura, & ratione positiva illius modi, ex illa non sequitur intrinsece hæc negatio, præsertim in ordine ad absolutam Dei potentiam: vnde enim constat hæc connotio, aut quo modo colligi potest? cum totum illud posituum satis intelligatur sine tali negatione, vt declaratum est, si vero solum affirmat & sumit, de ratione illius modi tantum esse, facere rem presentem predicto modo in vno spatio, hoc quidem verissimum est, tamen ex eo solum sequitur, vnam rem vel vnum modum presentia tantum esse in vno loco: & ad summum, etiam sequitur, naturaliter vni^o modi talis presentia esse capax: non vero inde inferri potest, non posse eandem rem per plures modos similes esse in pluribus locis, aut per potentiam Dei non posse illos modos recipere. Quod si tandem fiat vis in illa

voce, circumscriptivæ, dico illam vocem recte explicatam solum dicere naturalem terminationem & adæquationem locati ad locum, quo circumscriptivæ. Vnde ex vi illius vocis solum significatur, rem, quæ circumscriptivæ loco, naturaliter solum esse, ac posse esse in illo, cui significato non repugnat, quod supernaturaliter sit extra illum. Quod si quis tandem pertinaciter contendat, illa voce significari id, quod est circumscriptivæ in loco, de facto non esse, nec posse esse alibi, etiam per diuinam potentiam: primum hoc dato, nego idem esse, esse quantitativæ in loco, & circumscriptivæ: quia in hoc posteriori additur quedam negatio, quæ non est de ratione prioris. Vnde, illa suppositione facta, recte sequitur, Deum non posse vnum corpus ponere circumscriptivæ in multis locis: quia hoc nihil aliud est, quam dicere, Deum non posse facere, vt idem corpus simul sit intra vnum tantum locum, & in multis: quod friuolum valde est, & impertinens ad nostram assertionem. Deinde vero dicitur, illa vocis significationem falso esse, & gratis confictam ad implicandam & confundendam questionem. Alioqui eodem modo dicere posset aliquis, de ratione essendi in loco circumscriptivæ esse, vt corpus, quod ita est in aliquo loco, in alio esse non possit, etiam definitivæ seu sacramentaliter. Secundo principaliter suaderi potest conclusio naturalibus exemplis: nam angelus (idem est de anima) potest virtute naturali esse totus in toto aliquo loco, & totus in qualibet parte: quid ergo mirum, quod Deus virtute supernaturali aliquid simile possit operari in corpore, constitutendo totum illud in diuersis locis? Quod si dicas angelum solum posse esse illo modo in spatio continuo, non vero in discretis. Respondetur, illud esse incertum, & sub opinione: nam multi opinantur, posse angelum virtute sua esse in locis distinctis, qui adæquatam virtutem angeli non excedant: extra controuersiam autem esse debet, aliquid maius dandum esse diuinæ potentia, præsertim cum ex sola locorum discontinuatione nulla appareat specialis implicatio contradictionis, vt sepe in superioribus dictum est: quia, vt recte August. ait li. de cura pro mortuis agenda c. 16. & 17. Alij sunt humanarum limitis rerum, alia diuinarum signa virtutis: alia sunt, quæ naturaliter, alia, quæ mirabiliter fiunt. Ex quo principio procepto ibidem habet, posse animas Sanctorum simul esse in caelo, & in terra, quando hic aliquid mirabiliter operantur: quamuis dubitatur, an de facto ita fiat. Vnde etiam concluditur, posse idem constitutere angelum in locis distantibus, et si singula eorum adæquatam sint: quia, licet hoc excedat naturalem virtutem angelicam, non tamen est, cur superet diuinam potentiam. Et hoc etiam satis persuadet mythenij Eucharistia, in quo presentia, quæ multiplicatur, est indiuisibilis, & similis angelica, & per tota spacia extenditur, vt immense excedat spatium, quod naturaliter potest Christi corpus occupare: ergo idem posset facere Deus circa angelicam substantiam, dædo ei plures presentias distinctas & distantes, ita vt singula earum essent connaturales: collectio autem, vel multitudo esset præternaturalis: ergo eodem modo posset dare corpori plures presentias connaturales in modo & ratione earum, quamuis collectio earum supernaturali modo fiat. Probatur hæc vltima consequentia: nam, quod res sit spiritalis vel materialis, & presentia naturalis sit indiuisibilis vel diuisibilis, videtur valde materiale, & impertinens ad inferendam implicationem contradictionis: quia etiam res spiritalis suo definitur loco, & extra spatium adæquatam naturaliter esse non potest, & quando ita constituitur, quodammodo à se diuisi videtur, & simul habet relationem distantia, & propinquitatis ad eandem res, & potest hic moueri, & alibi quiescere. Deniq; habet plures adæquatas presentias, quam naturaliter possit: ergo, formaliter rem considerando, eadem est difficultas, & quod corpus vnum loci occupet

Exemplis naturalibus confirmatur conclusio.

occupet modo materiali & sensibili, nullam inducit specialem contradictionem.

Item exem-
pla superna-
turalibus.

Tertio argumentari possumus ex aliis supernaturalibus exemplis, & omnis Trinitatis & Incarnationis mysteriis, quia illud factum non est neque sub operibus Dei cadit, hoc vero licet sit factum & excellentius, tamen videtur esse alterius ordinis: & id eo non posse ab illo proprium argumentum proportionale, seu à simili sumi, possumus tamen hinc aliquo modo argumentari, iuxta opinionem D. Thom. asserentis, posse Deum eandem humanam naturam hypostatice ponere in multis personis: quod multo sane videtur difficilius; quam idem corpus poni in duobus locis. Unde aliud etiam potest confici argumentum, nam potest Deus facere, vt eadem accidentalibus forma inhaereat multis subiectis: non est enim hoc difficile, quam eandem substantialem naturam vniiri multis personis. Idem potest facere, vt idem effectus simul pendeat à pluribus causis totalibus; vt probabilior est opinio, & è contratio, vt eadem causa simul producat plures effectus adæquatos virtuti suæ: quia non est hoc difficile, quam supernaturalem effectum producere: ergo poterit etiam vnum corpus in diuersis locis ponere: tenet autem proportio argumenti in hoc, quod in omnibus illis exemplis, aut res afficitur simul pluribus modis, cū ex natura sua tantum vnus sit capax, aut aliquid amplius agit, vel patitur supernaturaliter, quam possit naturaliter. In hoc autem opere, de quo disputamus, nullum aliud mirabile reperitur, nisi alterutrum ex his. Fortius tamen argumentum sumemus ex aliquo supernaturali effectu, quem constat, Deum effectu, huiusmodi autem est penetratio duorum corporum: nam Deus facit, duo corpora in vno loco adæquato esse: ergo potest idem corpus constituere in diuersis locis adæquatis: probatur consequentia, quia sicut naturaliter vnum corpus tantum est in vno loco, ita etiam naturaliter in vno loco tantum est vnum corpus. Respondet D. Thomas negando consequentiam, quia de ratione vnus, duo (inquit) sunt, primum, esse indiuisum in se: secundum, esse diuisum à quolibet alio: & primum est magis intrinsecum, quam secundum, quando autem duo corpora ponuntur in vno loco, solum fit, vt inter se non sint diuisa, si autem idem poneretur in duobus locis, diuisum deretur à se ipso, & ita in hoc magis fit contra rationem vnus, quam in illo. Sed hæc responsio probari certe non potest: primo, quia si esset solida, reuera idem probaret de qualibet præsentia reali, etiam sacramentali: nam licet corpus per hanc præsentiam non repleat spatium quantitatio modo, tamen vere & proprie per illam est in terra eadem res, quæ est in celo: & hic caret modo, quem ibi habet: ergo etiã dicitur ditare, seu diuidi à se ipsa. Deinde, inquiri, in quo sit vis illius rationis, nam si sit sermo de propria diuisione, vel indiuisione entitativa, sicut repugnat vnã entitatem manentem vnã, esse diuisam in duas, ita æque repugnat duas entitates manentes duas, esse vnã indiuisam: quia, licet heri possit, vt ex duabus entitatibus fiat vna composita, tamẽ duæ, vt sic, non possunt esse vnã simplex entitas: est ergo, quoad hoc, æqualis repugnantia. Si autem solum sit sermo de diuisione & indiuisione quoad locum, prout reuera esse debet, quia nunc tantum de loco tractamus, sic rem esse vel non esse diuisam quoad locum, nihil refert ad rationem vnus, quæ ex ipsa rei vnitatem vel quantitate cõsurgit, non ex modo existendi in loco. Unde, sicut duo corpora existentia in eodem loco, non propterea sunt vnum corpus, imo, neq; habent vnum & eundem locum intrinsecum præsentia localis, ita neque vnum corpus existens in duobus locis, esset diuisum in multa corpora, sed haberet tantum diuersos modos præsentia localis: nihil ergo in hoc fieret contra rationem vnus, atque ita in sua vi manet consequentia facta, quia, sicut quantitatis na-

tura sua terminatur vno loco, ita expellit aliud corpus ab eodem loco: ergo, sicut Deus vnã difficultatem superat, ita potest vincere aliam. Aliter respondet Bonauentura, negando etiam consequentiam, & rationem differentiam addit: nam, quod vnum corpus quantum, in vno tantum loco existere possit, ex eo prouenit, quod finitum est: Deus autem non potest facere, quoniam sit finitum: imo (vt supponimus) Deus non aufert quantitatem eius, & ideo non potest illud nisi in vno loco constituere, quod autem duo corpora in vno loco naturaliter esse non possint ex eo prouenit, quod habent molem, quam Deus potest quantitati auferre: & ideo facere etiam potest vt duo corpora sint in eodem loco. Sed hæc responsio non est magis solutio, quam præcedens: & à ratione posteriori incipiendo, interrogo: quid nomine molis intelligat? nam, si per molem intelligamus ipsam quantitatis extensionem in se, ratione cuius natura sua postulat diuersum spatium quod repleat, aut vna pars respectu aliarum, aut vnum corpus respectu alterius, hoc modo verum est, ideo duo corpora, natura sua apta esse expellere ab vno loco; quia habent molem: quamquam in actu non faciant hæc actuali extensione in loco: falsum autem est, quantitatem posse priuari mole in hoc sensu: quia habere molem est intrinseca ratio quantitatis, & ad eius primarium effectum formalem pertinet, vt supra ostensum est, & multo magis falsum est, corpora se penetrantia priuari huiusmodi mole, vt à fortiori patebit excidendis. Si autem per molem intelligamus actualem in loco extensionem (nam præter hæc duo nihil aliud excogitari potest) hic verum est, posse quantitatem priuari huiusmodi mole: falsum autem, hinc prouenire, quod penetratio corporum sit possibilis: nam corpora, quæ Deus ponit penetrare in eodem loco, non priuantur propriis extensionibus in ordine ad locum, vt conitat de corpore Christi & Virgineo, quando in partu sese penetrant: & de eodem Christi corpore & de lapide sepulchri in Resurrectione. Imo, vt sit propria penetratio, necessario supponitur, vt vnum corpus esse extensum in loco, & nihilominus diuinitus heri, vt nõ se impediant: & ideo corpus Christi non proprie se penetrat cum speciebus panis: quia non est ibi extensum, sed alio modo. Unde retorqueri potest argumentum hoc modo: nam, licet penetratio corporum ex mole quantitatis proueniat naturaliter, nihilominus, nõ ablata mole, Deus facit corpora penetrari: ergo, licet naturalis limitatio ad vnum locum ex eo proueniat, quod quantitas finita est, poterit Deus, nõ ablato: neq; mutato quantitatis termino, idẽ corpus in pluribus locis constituere. Unde, si altera pars rationis Bonau. efficax esset, eadem probaretur, non posse Deum eleuare creaturã ad aliquid agendum præter virtutem suam finitam: quia eam limitationem in agendo habet ex eo, quod finita est, quod Deus non tollit: probaretur etiam, angelum vel animam non posse constitui à Deo extra se peram finitã perfectioni eius adæquatam, imo etiam sequeretur, non posse Deum ponere corpus Christi sacramentaliter extra locum, quem habet in celo; quia etiam ille locus est adæquatus quantitati finitæ corporis Christi, ex qua prouenit, vt naturaliter limitetur ad illam præsentiam. Quocirca, vt res finita, quæ natura sua limitatur ad certam præsentiam, vel spatium, supernaturaliter possit recipere simul aliam præsentiam eiusdem rationis, vel alterius; non oportet, vt infinita fiat, vel, vt quantitas eius augetur; sed solum vt eadem res cum tota sua quantitate finita, iterum, atque iterum quasi explicetur, & plures modos existendi recipiat.

Quarto principaliter argumentari possumus ex veritate huius mysterij, & ex præcedentibus conclusionibus, nam potuit Deus corpori habenti quantitatem & naturalem præsentiam, dare alibi præsentiam realem & supernaturalem & alterius ordinis: ergo

Exemptio.

Improbatur.

ergo potuisset etiam dare aliam naturalem & eiusdem ordinis: probatur consequentia, quia nulla potest maior repugnancia assignari, ut evidentius statim patebit in solutionibus argumentorum, & nunc breuiter declaratur. Primo, quia presentia hæc supernaturalis, tam vera & realis presentia est, sicut naturalis. Vnde æque potest esse fundamentum propinquitatis, & distantia realis: hoc autem est, quod per se videtur pertinere ad repugnantiam, quæ inter duas presentias reales intercedere videtur: non enim tantum repugnant, quia duæ similes, & eiusdem rationis sunt: sed ex hoc præcise & maxime, quod duæ distinctæ, & reales sunt in vna omnino, eademque re: quæ tota difficultas versatur inter naturalem, & sacramentalem presentiam. Et præterea augetur ex eo, quod sacramentalis presentia pugnare videtur cum naturali conditione quantitatis. Item ex eo, quod illæ duæ presentia videntur habere conditiones repugnantes: extensionem, & inextensionem in loco. Vnde non solum videntur hæc esse æque possibilia, verum etiam hoc, de quo agimus, esse multo facilius ac possibilis. Secundo ostenditur potest illa consequentia, excludendo omnes rationes differentie, quæ inter hæc duo miracula possunt assignari: sed hoc melius etiam fiet in solutionibus argumentorum. Tertio tandem per se videtur incredibile, potuisse Christum realiter adesse in sacramento visibili inuisibiliter, & tamen non posse ibi se ostendere visibiliter, si velit, nisi cælum deserat. Atq; hic afferri etiam possent variæ Christi apparitiones in terra, quæ post ascensionem eius factæ sunt per veram, ac realem sensibilem presentiam, vt multi existimant: cum tamè probabile etiam sit, tunc cælestem locum non deseruisse, propter quod plures ex citatis autoribus, non solum existimant, hoc esse possibile, sed etiam de facto Christum sæpius fuisse in pluribus locis in propria & visibili specie, de qua re videri possunt, quæ superiori tomo dixi disp. 51. sect. 4.

Reliquum est, vt argumentis in oppositum satisfaciamus. Et primum expediamus ea, quæ ex hæreticis adduximus. Ad primum ex verbis Angeli, (Non est hic: surrexit enim) responderetur primo, verba non continere propriam argumentationem, seu simplicem narrationem eorum, quæ gesta erant præsertim quia Angelus loquebatur multis, iuxta mentem earum, quæ Christum mortuum in sepulchro quærebant, cum tamen iam omnino viueret. Vnde secundo dicitur, etiam ex vi consequentiæ illam esse optimam, loquendo familiari sermone humano, in quo, non quid Deus possit facere, sed quid sit consequens ex ipsis rebus consideramus. Tertio, Angelus non ita intulit, est alibi, ergo non est hic: sed ita: surrexit, ergo non est hic, quæ illatio est formalior: quia resurgere non solum significat incipere alibi viuere, sed quod illud idem corpus, quod hic mortuum iacebat, hinc viuum egressum fuerit, & ita ex vi illius verbi non solum significatur esse alibi, sed etiam non manere ibi. Ad secundum ex testimoniis patrum, iâ supra dictum est, Augusti. loqui iuxta naturas rerum, non autem explicare, quid Deus possit, vel non possit. Anselmus vero in citato loco non definiendo, sed argumentando procedit. Vnde c. 21. fatetur, discursum prius à se factum nihil concludere, addit vero ibi, in creaturis, quæ loci spatium non excedunt, verum esse, non posse vnam simul esse in pluribus locis: quod recte intelligitur, considerata naturali virtute earum: nam secundum hanc, loci spatium non excedunt. Ad tertium, primum dicimus, non esse, quod hæretici Catholicorum autoritate abutantur: nam his solum negant, corpus esse posse in pluribus locis quantitatie, quia circa hoc nihil est expresse reuelatum, & ex principiis philosophicis, & nonnullis differentis inter huiusmodi opus, & aliud mysterium nobis reuelatum: ita eis probabiliter seu apparenter visum est, nunquam tamen ipsi ausi fuissent, propter

Franc. Suarez Tom. 3.

physicas apparentes rationes veritatem reuelatam negare, quod hæretici faciunt. Deinde dicimus, Catholicos authores eam opinionem sequentes deceptos in ea re fuisse, & infirmis rationibus, quibus suam sententiam probare conati sunt, præter intentionem suam, veritatem fidei impugnasse, quibus, ante omnia obiciamus verba illa Aug. 22. de Ciuit. c. 11. Ecce quilibet argumentis omnipotentia Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas. Deinde sigillatim est huiusmodi rationibus satisfaciendum, in quo duo præstanda sunt, primum est, fere omnes eodem modo procedere de presentia sacramentali, & de quantitatie: secundum, contra neutram earum quicquam concludere.

Prima ergo ratio Catholicorum apud D. Thomam est: quia, si vnum corpus posset esse in duobus locis, eadem ratione posset esse in multis, & in toto vniuerso, & vbiq;: quod affirmare, ait D. Thom. hæreticum est: quia esse vbiq; est ita proprium Dei, vt ex hac proprietate sufficienter probent Sancti, Filij, & Spiritus sancti diuinitatem, vt patet ex Augusti. lib. 6. contra Maximin. cap. 21. & Fulgentio lib. 2. ad Trasimund. cap. 17. Ambrosii lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 7. & Basil. lib. de Spiritu sancto. cap. 22. Sed hæc ratio apparentius conuertitur potest contra mysterium Eucharistia: nam, si corpus Christi sacramentaliter potest esse præfens multis locis: ergo omnibus: ergo vbiq;: si autem de fide est, creaturam non posse esse vbiq;: non solum est secundum presentiam quantitatie, sed etiam secundum quancumq; presentiam realem, etiam indiuisibilem, & angelicam: nam etiam de re spiritali creata erit de fide non posse esse vbiq;: alioqui ex illa proprietate non colligeretur diuinitas Filij, & Spiritus sancti. Adde deinde, multo apparentius sequi hæc vbiq;: in presentia sacramentali, quam in locali, quia quod proprie est vbiq;: debet esse totum in omni loco, quod non necessario haberet corpus extensum in loco, quamuis esset replicatum per omnia loca: quia in singulis eorum non esset totum in omnibus partibus loci, & maxime in indiuisibilibus punctis, at vero si per sacramentalem presentiam corpus esset in omnibus spatiis, magis proprie corpus esset vbiq;: quia totum esset in omnibus partibus, & in omnibus indiuisibilibus. Respondeo igitur, recte posse facere Deum, vt idem corpus sit præfens extenso vel inextenso modo omnibus rebus & spatiis creatis, & cuiuscumq; loco maiori, & maiori, etiam si in infinitum assignetur: nego tamen inde sequi, creaturam esse immensam: tum, quia ad immensitatem non satis est rem esse actu presentem omnibus rebus creatis, seu spatiis realibus, sed necessarium est, esse actu presentem omnibus spatiis imaginariis, quod à nobis melius ita explicatur, oportere scilicet, rem ita esse in se dispositam per suam presentiam, vt sine sui mutatione possit esse præfens omnibus rebus seu spatiis creabilibus, etiam si in infinitum crescant, seu multiplicentur, ad quod necesse est, vt talis presentia sit in se actu infinita, & hæc est, quæ nomine immensitatis significatur, & est propria Dei, & non potest communicari creaturæ. Neque oppositum sequitur ex prædictis mysteriis: quia, licet sequatur, posse Deum ponere idem corpus in pluribus, & in pluribus locis in infinitum, aut ponere illud realiter præfens in maiori & maiori spatio in infinitum, non sequitur, posse illi conferre presentiam actu infinitam, vel presentias multitudinem infinitas: quia ab infinito in potentia, seu syncretematically, ad infinitum in actu, seu categorically nulla est consecutio, vt per se constat. Tandem addo, licet hoc, quod dixi, probabilis sit, scilicet non posse Deum facere huiusmodi infinitum in actu in presentia seu presentis eiusdem corporis propter generalia principia seu inconuenientia de infinito, non tamen esse de fide: sicut non est de fide, non posse Deum facere alia infinita creata in actu, neque

Bbb runc

tunc illa praesentia creata esset proprie immensitas, vel quia non esset proprietates connaturalis talis rei, seu corporis, sed extrinsecus participata, vel quia non esset omnino necessario, & immutabiliter ei conueniens, quae sunt de ratione propriae immensitatis, & huiusmodi est immensitas Filij, & Spiritus sancti, ex qua recte colligitur, ipsos esse Deum. Simile quid dici solet de aeternitate per essentiam, & participata.

Ad secundam. Secunda ratio etiam D. Tho. est: quia si idem corpus esset in duobus locis, vnum corpus esset in se diuisum, quod est contra rationem vnius. Sed iam supra ostendimus, & ratione hanc eodem modo posse obici contra sacramentalem praesentiam, & nihil contra alterutrum concludere: quia ex duplici locali praesentia eiusdem rei non sequitur eandem rem in se esse diuisam, sed praesentias inter se diuisas & distinctas, inesse eidem rei, hoc autem nullo modo est contra rationem vnius ex parte subiecti, sed ex parte modi: nos autem non dicimus modum esse vnum, sed duos in vno subiecto. Et eodem modo solvendum est, quod alij obijciunt, quod idem a se ipso distaret: hoc enim non sequitur de eodem secundum idem, sed secundum distincta vbi, seu distinctas praesentias, & ita nullum est inconueniens: imo distantia proprie non est secundum entitatem, sed secundum locum, & ita, vbi sunt loca diuersa, ratione illorum intelligi potest distantia, quamuis res locata eadem sit.

Ad tertiam. Tertia ratio est, quia sequitur haec implicatio: mirum, quod res sit extra aliquod spatium, quia est in alio loco: & quod non sit extra illud, quia in illo est circumscriptiue. Sed de hac etiam ratione supra ostensum est, eodem modo applicari posse contra praesentiam sacramentalem corporis Christi, ratione cuius est extra locum, quem in caelo occupat, in quo tamen est circumscriptiue & consequenter definitiue. Responsum etiam est, illam negationem simpliciter sumptam non esse de ratione circumscriptiue, neque illa necessario sequi in ordine ad omnipotentiam Dei, sed solum secundum naturalem capacitatem corporis, seu creature.

Ad quartam. Quarta ratio supra est ex Bonauentura tacta, quia quantitas occupat locum quasi formaliter, & est finita: ergo omnino limitata ad vnum locum replendum: ergo manente quantitate eodem modo finita non potest plura replere. Et confirmatur, quia non potest quantitas esse extensa in ordine ad locum, nisi sit extensa in ordine ad se: ergo nec potest esse bis extensa in ordine ad locum, nisi sit bis extensa in se: sed hoc posterius non potest conuenire vni, & eidem quantitati: ergo neque prius. Ad hanc vero rationem in superioribus etiam demonstratum est, quomodo etiam deficiat in Eucharistiae mysterio, & in aliis operibus omnipotentiae Dei, & pro omnibus responsum est, finitam quidem quantitatem, natura sua esse limitatam, tamen supra naturam suam iterari posse in diuersis spatiis, & in eis recipere plures modos extensionis in ordine ad locum, atque hoc satis esse, vt plura spatia simul repleat, quam naturaliter possit. Vnde ad confirmationem negatur consequentia, quia extensio in se est proprium fundamentum, & radicalis ratio formalis extensionis in ordine ad locum, & quasi adequatum subiectum illius modi existendi in loco, & ideo nullus talis modus esse potest sine tali fundamento: quia non potest res habere partes in loco, nisi prius ipsa constans ex partibus intelligatur: illo autem fundamento simul supposito iam res est capax extensionis in ordine ad locum vni, aut plurium secundum capacitatem naturalem, vel obedientialem, vt supra declaratum est: quia postquam res habet partes in se, nihil repugnat, quod eas habeat in diuersis partibus diuersorum locorum, sicut substantia Angeli non potest intelligi existens tota alicubi, nisi preintelligatur habens suam substantiam, qua supposita per eam sit capax, vt non tantum semel

fit tota alicubi, sed etiam, vt naturaliter fit tota in toto, & tota in qualibet parte, supernaturaliter vero etiam in pluribus locis adaequatis.

Quinta ratio, quia aliqui possent idem corpus bis poni in eodem loco, quod vix potest mente concipi. Sequela patet: quia, si potest simul habere duas praesentias inter se distantes, cur non etiam indistantes? Responderetur in primis, fieri posse idem argumentum de praesentia sacramentali: & quod in ea fuerit responsum, dicitur in alia. Deinde, Maior, supra negat sequelam: fortasse, quia praesentia sumit vnitatem, & distinctionem ex ordine ad spatium, quod occupat, & ideo in ordine ad diuersa spatia facile intelligi possunt diuersae praesentiae, etiam si subiectum idem sit: si autem subiectum sit idem & respectu eiusdem spatij, non videtur esse posse nisi vna, & eadem praesentia. Sed haec ratio in primis non procedit in praesentis diuersarum rationum: quia illae secundum se distinguuntur, poterit ergo in eodem spatio idem corpus esse secundum quantitatem, & iterum sacramentaliter, vt si Christus appareret intra hostiam extensus & in propria specie, conseruata sacramentali praesentia, quam antea habebat: deinde non procedit illa ratio in praesentis totalibus quantitatis, si secundum diuersas partes respiciant diuersa spatia partialia, vt si idem homo semel sit reclusus in vno spatio, & iterum contrario modo, seu in ueris partibus, quia iam est habitudo diuersa ad spatium, vt patet in motu circulari, in quo fere hoc tantummodo fit loci mutatio. Denique absolute verum non est, in eodem subiecto non posse esse praesentias numero diuersas in ordine ad idem omnino spatium: nam successiue consistit naturaliter id accidere: suppono enim, corpus, quod recuperat omnino eundem locum, seu spatium, quod prius amiserat, non recuperare eundem numero modum praesentiae: nam idem numero nunquam redit per naturam: quod autem causa naturales successiue facere possunt, Deus qui in agendo a tempore non pendet, potest facere simul, & ideo probabilis existimo, posse Deum, bis, & pluries constituit idem corpus in eodem loco circumdante, seu in eodem spatio, multiplicando in illo modos praesentiae numero distinctos, non aliunde, quam ex se ipsis, seu ex suis modalibus entitatibus.

Sexta ratio esse solet, quia non potest idem corpus esse in diuersis temporibus: ergo neque in diuersis locis. Hanc rationem non inuenio apud Catholicos auctores, sed eam aliqui referunt ex haereticis, & reuera aequae procedit contra mysterium Eucharistiae, vt per se constat. Est autem frigidissima ratio: aut enim est sermo de tempore extrinseco, aut de intrinseco vniuscuiusque rei duratione. Rursum, tempus extrinsecum multiplicari potest vno modo, iuxta probabilem opinionem, in diuersis subiectis, seu motibus: & hoc modo, sicut duo tempora possunt simul esse seu currere: ita potest vna res esse simul in multis temporibus, seu illis commensurari: alio modo multiplicari potest hoc tempus secundum diuersas partes eiusdem subiecti, seu motus: quomodo multiplicatur dies, & anni: & hoc modo non potest eadem res simul esse in diuersis temporibus: quia talia tempora ipsa inter se non possunt esse simul: eo quod in suo proprio conceptu includunt successiuenem, in quo est aperta differentia inter tempus, & locum: eo tamen modo, quod illa tempora habent esse, scilicet, vnum post aliud, potest eadem res permanens secundum eandem omnino durationem in eis esse, seu illis coexistere. At, si loquamur de duratione intrinseca illi (vt opinor) non potest in eadem re secundum idem esse multiplicari: quia non est modus extrinsecus rei superaditus, sicut praesentia localis, sed ipsa rei entitas seu existentia, solumque ratione ab ea distinguitur.

Septima ratio, quia sequitur idem corpus quantum esse

esse æquale corpori maiori, & minori, & consequenter æquale, & inæquale eidem, quod manifestam repugnantiam inuoluit: sequela probatur: quia corpus quantitatiue existens in loco, est æquale loco, teste Aristotele: ergo, si est in duobus locis, est æquale utriusque loco simul: ergo est etiam maius quolibet illorum locorum per se, vel è contrario uterque locus simul erit maior, quam locatum. Atque hæc ratio inter omnes nonnullis philosophis maxime placet: quia hæc non potest ita apparenter accommodari mysterio Eucharistiæ: quia secundum illud modum præsentia non est commensuratio inter locum, & locatum. Sed reuera, etiam hæc ratio est valde friuola, & omisso mysterio Eucharistiæ, manifeste retorqueri potest ex alio miraculo penetrationis duorum corporum in eodem loco: nam, sicut locatum est æquale loco, ita locus locato: est enim relatio mutua: ergo, quando duo corpora sunt penetratiue in loco, locus est æqualis utriusque illorum, & utrumque illorum simul æquatur loco: quia simul commensuratur illi: & tamen utrumque simul est maius, quam quodlibet illorum per se: ergo idem locus est æqualis maiori & minori locato, scilicet vnicuique illorum corporum per se, & utriusque simul. Constat autem, hanc argumentandi rationem esse sophisticam. Quod aliter in hunc modum declaratur, fingamus enim duo corpora se penetrantia in eodem loco, vnum & idem corpus intra se continere, vt v. g. duo vasa omnino æqualia & eiusdem figuræ penetratiue existentia in eodem loco eandem aquam continere, seu circumdare: quo posito necesse est, fateri, vnum corpus esse in duobus locis materialibus, id est, sumendo locum tantum pro superficie extrinseca continente: & tunc redit idem argumentum: nam illud locatum æquale est illud duobus locis: nam hæc æqualitas potissimum intercedit secundum superficies continentem & continentem: ergo erit idem locatum æquale singulis locis, acq; utriusque simul. Quod si dicatur, facta tali penetratione, vnum corpus esse æquale duobus, quia sunt per modum vnius, & non occupant maiorem locum quam vnum locum tantum, vel (quod idem est) esse æquale utriusque, quoad extensionem in loco: hoc ipsum declarat prioris argumenti fallaciam, nam eodem modo vnum corpus existens in duobus locis est æquale illis, quoad extensionem in loco, seu quia est in illis per modum plurium, seu per plures extensiones in loco, & ideo tantum spatium occupat, quantum duo corpora æqualia. Ratio autem à priori huius deceptionis est, quia non distinguitur duplex extensio quantitatis, altera in se, altera in ordine ad locum, neq; duplex æqualitas, quæ in eis potest fundari. Nam secundum eam extensionem seu dimensionem, quam habet quantitas secundum se, non potest eadem quantitas eodem modo in se deposita secundum condensationem vel raritatem, esse æqualis maiori & minori quantitati; & duabus quantitativis æqualibus simul sumptis: quia, sicut hæc extensio consistit in hoc, quod inter talia extrema tanta quantitas mediet in vno corpore, sicut in alio: & à posteriori à nobis explicatur per naturalem aptitudinem ad occupandum locum quantitativum: ita æqualitas secundum hanc eandem extensionem consistit in aptitudine ad occupandum æqualem locum, seu spatium, & quia hæc aptitudo tantum est vnica, ideo non potest, nisi vnâ relatione æqualitatis, vel inæqualitatis respectu eiusdem fundare. Atq; ita etiam vnum corpus sit in duobus locis, non erit secundum hanc extensionem æquale utriusque simul sumpto: quia nunquam est aptum ex natura sua occupare tantum locum, quantum duo corpora simul sumpta, quia ratione non potest vere dici, quantitatem hostiæ esse æqualem quantitativis corporis Christi: quia hæc de se potens est occupare maiorem locum, quamuis actu non occupet in Eucharistiâ, & eadem ratione duo corpora penetratiue existentia in eodem loco, simul

Franc. Suarez Tom. 3.

sumpta non sunt æqualia illi, sed maiora: quia natura sua apta sunt ad occupandum maiorem locum. Alia vero æqualitas, vel inæqualitas considerari potest secundum extensionem in ordine ad locum: & hoc modo potest corpus idem, existens in duobus locis, esse æquale singulis, per singulas extensiones, quas in illis habet, & utriusque simul per ambas etiâ simul: quia hæc æqualitas nihil aliud est, quam relatio fundata in hoc, quod idem corpus tantum spatij occupet, quantum duo: sicut è contrario, si duo corpora penetratiue ponantur in eodem loco, est similis æqualitas: quia non plus spatij occupant, quam vnum: hæc autem nulla inducunt inconuenientia, sed explicant tantum ipsa mysteria, & supernaturalia opera, quæ dicimus esse possibiliâ. Sicut etiam ex natura rei satis magnum inconueniens videri potest, quod duo corpora quanta, non sint inter se æqualia neq; inæqualia, quod tamen factum est in mysterio Eucharistiæ, secundum extensionem ad locum, quia, sicut corpus Christi ibi est, sine tali extensione, ita etiam sine relationibus, quæ in ea fundantur: sicutigitur è conuerso corpus recipiens plures extensiones locales in diuersis spatijs, potest in hoc æquari pluribus locis, & tunc non secundum idem est æquale vni, & multis, aut maiori, vel minori quantitati, sed secundum vnâ, vel plures extensiones locales. Atq; hinc facile soluitur alia incommoda, quæ hinc inferri solent, scilicet, quod sequatur, idem corpus posse esse æquale sibi ipsi: & consequenter posse circumdare & continere se ipsum: & vterius posse esse sibi continuum, vel contiguum. Sed hæc omnia nullam habent difficultatem: quia æqualitas in eodem secundum diuersas extensiones nihil habet incommodi: similiter si corpus idem potest esse in diuersis locis distantibus, etiam in propinquis, & ideo nullum est inconueniens, quod extrema eius sint simul, & consequenter, quod secundum diuersas, vel etiam secundum eandem superficiem, bis existentem in eodem indivisibili spatio se ipsum circumdet, vel contingat: aut, si Deus etiam velit, nihil repugnat, quod secundum diuersas partes eadem quantitas sibi ipsi continuetur, ablatiis superficiebus terminantibus, & data vna communi, vt, si Deus poneret eundem hominem supra se ipsum, posset Deus facere, vt non solum pedes super caput, sed etiam, vt continuarentur illi.

Ultima ratio sumi solet ab inconuenientibus, quæ ex actionibus & passionibus oriuntur: quam late profequitur, & in ea magnam facit vim Ledesma hic: quia sequitur, inquit, quod idem homo simul possit viuere, & mori, calefieri, & frigeferi, & (quod obscurius est) peccare in vno loco, & mereri in alio: & in vno amare Deum, & in alio odisse: fidelis in vno, & in alio hæreticus. Quod si obijcias, quia eadem incommoda inferri possunt in mysterio Eucharistiæ: responderetur, non esse eandem rationem: quia corpus in loco extensum, est expositum his mutationibus, & passionibus: corpus autem sacramentaliter existens, est incapax illarum. Sed hoc non satis considerate dictum est, primo quidem, quia res existens modo sacramentali est capax saltem spiritualium actionum animæ, ergo in illa poterunt saltem illa incommoda sequi: quod in vno loco amet, in alio odio habeat: in vno credat, in alio discredat. Deinde, quamuis res existens modo sacramentali, vt sic, sit incapax materialium alterationum & passionum: tamen, si alibi existit quantitativè, ibi poterit pati, aut interfici, sicut potuit Christus in nocte cœnæ etiam si alias præsens conseruaretur: tunc ergo eodem modo possunt inferri illa incommoda, quod in propria specie pateretur, & non in sacramento: & hic viueret, ibi interficeret. Hæc ergo & similia æque procedunt contra fidei mysterium: quæ non tam illud impugnant, quam possulant, vt declaremus, quomodo in his omnibus sentiendum, & loquendum sit, seu quid in his omnibus consequatur, sup-

Bbb 2 posito

posito mysterio, quod in duabus sequentibus sectionibus præstabitur.

SECTIO V.

Verum res habens duas presentias, easdem proprietates utrobique, necessario habeat.

HÆ proprietates quædam sunt, quæ intrinsecam habitudinem dicunt ad præsentiam realem, seu localem, ut stare, sedere, localiter moveri, aut quiescere, & similes: quædem vero sunt, quæ per se non pendunt à loco, vel præsentia reali, quas omnino absolutas à loco vocabimus, ut sunt omnia prædicata essentialia & substantialia, vel Qualitates, ut esse album, vel nigrum, vel aliquid simile. De prioribus nulla est controversia: quia hoc ipso, quod corpus in diuersis locis constituitur, habet aliquam varietatem in ipsis proprietatibus. Nam in primis necesse est, ut modus ille præsentia, qui est in vno loco, non sit in alio, neque e conuerso: quia vnaquæque præsentia ita respicit in spatium illud, quod replet, vel cui adest, ut extra illud esse non possit, sed statim corrumpatur, vel mutetur, ut satis ostenditur in motu locali, per quem amittitur, vel acquiritur Vbi, & modus præsentia, solum quia eadem res mutat spatium quod replet: hoc enim est magis per se, & intrinsecum, quam mutare circumdantem superficiem, ut patet in vltima sphaera mobili, si nulla alia supra illam existeret: atque in hoc fundatur immutabilitas loci physici, de qua Philosophi cum Aristotele tractant in 4. Physicorum: cuius primaria ratio sumenda est ex natura talis modi, quæ intrinsece & ex se postulat hanc immutabilitatem, & inuariabilem habitudinem ad talem locum seu spatium: hinc ergo fit, ut ea, quæ intrinsece fundatur in his modis præsentia, variari possint in diuersis locis, ut sunt quiescere, moveri, &c. quod est per se notum, ut euidenter conuincitur in mysterio Eucharistia.

Difficultas est de alijs proprietatibus absolutis: de quibus vterius distinguiamus, interdum præcedere, & adhærere corpori, ut in loco existenti, prius quam alibi constituantur, ut nunc contingit in corpore Christi: interdum vero accidere potest, ut postquam res est in pluribus locis, in altero eorum nouam proprietatem seu formam acquirat, de hoc posteriori modo dicam sectione sequente: hic solum disputamus de prioribus formis, ex quibus quædam esse possunt intrinsece & connexæ cum natura talis rei, seu corporis: quædam vero possunt esse intrinsecus seu per accidens adiunctæ, rursus corpus ipsum potest, aut simul poni in duobus locis, aut prius in vno & postea in alio: idque aut per actionem adductiuam, aut per aliam actionem substantialem, de se productiuam, ut postea dicam.

His positis, tres videtur esse opiniones: prima simpliciter & sine vlla distinctione affirmat, esse necessarium, ut res existens in duobus locis, in vtroque habeat omnes proprietates absolutas, quas habet in quolibet eorum. Quod videtur sentire Scotus in 4. dist. 10. quæst. 4. quia repugnat, prædicata priuatiuè opposita, seu contradictorie eidem rei simul conuenire: si autem idem corpus in vno loco haberet proprietatem seu formam, quam non habet in alio, idem esset, verbi gratia, simul cæcus & videns, aut videns & non videns. Hæc enim satis videtur dicere, loci diuersitatem impedire oppositionem priuatiuam seu contradictoriam: quia hæc proprietates conueniunt rei absolute & secundum se, abstrahendo à loco: ergo de illa ut sic prædicantur, vel negantur: ergo nihil ad contradictionem refert, quod in vno vel alio loco prædicentur, aut negentur. Præsertim (ait Scotus) quia respectus extrinsecus adueniens non potest variare absolutas prædicationes: Præsentia autem diuersa solum sunt quidam respectus extrinsecus aduenientes: ergo non variant huiusmodi prædicationes. Secunda opinio est extreme contraria, non fo-

2. *Sensentia.*

lum de potentia absoluta, sed etiam ex natura rei posse idem corpus existens in duobus locis habere in vno aliqua accidentia huiusmodi, quæ non habent in alio. Ita indicat Alenf. 4. par. quæst. 4. memb. 7. Laetius Maior in 4. dist. 10. quæst. 4. Ocham quæst. 4. Faust. Innocentius lib. 4. de hoc mysterio cap. 12. & Hugo Viêt. lib. 2. de sacramentis par. 8. cap. 3. quatenus sentit corpus Christi in nocte Cœnæ, non fuisse sub speciebus panis mortale, sicut erat in propria specie: sed gloriosum & impassibile. Ratio autem solum est, quam supra indicabimus, quia ex hoc non sequitur contradictio, quæ seclusa, nulla est talis repugnantia specialis.

Tertia opinio media est, de potentia absoluta recte posse fieri, ut idem corpus habeat quasdam proprietates in vno loco, & non in alio propter rationem dictam: tamen ex natura rei omnes proprietates huiusmodi comitari idem corpus vbicumque sit. Ita tenet Marfil. in 4. q. 7. art. 3. Soto dist. 10. q. 1. art. 5. Gab. q. 1. a. 2. & lect. 4. 6. in Can. qui opinionem Scoti ita interpretantur, ex quæst. 2. illius in prædicta dist. 10. tamen questionibus sequentibus aliquid amplius sentit, ut dixi: & hoc etiam ut minimum sentit D. Thom. quæst. 81. art. 4. Fauet etiam Conc. Trident. sess. 13. approbans communè doctrinam, quod quædam existunt in hoc sacramento per concomitantiam tantum, de qua dicturi sumus, q. 7. 6. ea enim sequi videtur, habiturum Christi in hoc sacramento omnes proprietates, quas habet extra sacramentum, quæ non pendunt ex hac, vel illa præsentia, idque per naturalem concomitantiam, quæ in prædicta connectione fundari videtur. Et hæc opinio simpliciter mihi placet: ad eam vero exactius explicandam,

Dico primo, simpliciter non repugnat, de potentia absoluta, idem corpus habere aliquam proprietatem vel formam in vno loco, quam non habet in alio, dummodo talis forma vel proprietates à parte rei distinguatur à tali corpore, & alioqui sit ab ipso separabilis. Hæc posterior pars per se nota est, quia nisi huiusmodi sit proprietates, neque in vno tantum loco existens corpus poterit esse sine tali proprietate: quia supponitur inseparabilis, seu indistincta ab illo: oportet ergo supponere, absolute loquendo, separabilem esse, quod habere non poterit, nisi aliquo etiam modo sit à parte rei ab illo distincta. Hoc igitur posito, probatur prior pars: primo argumento sumpto ex ipsamet locali præsentia, quæ est modus quidam ipsius corporis ex natura rei ab ipso distinctus & separabilis. Vnde fit, ut corpus Christi, verbigratia, quamuis in sacramento habeat totam substantiam & quantitatem, quam habet in celo, nihilominus possit non habere ibi illum modum præsentia, quem habet in celo, & e conuerso non habere in celo illum modum, quem in Eucharistia habet: ergo non implicat contradictionem, idem fieri in quacumque alia proprietate absoluta æque distincta ac separabili. Probatur consequentia, quia, quoad possibilitatem, eadem est ratio, quamuis non sit eadem, quoad necessitatem, id est, in illis modis localibus, non solum possibile, sed etiam necessarium est, ut non simul constituantur in omnibus locis propter rationem specialem supra dictam, quia ab intrinseco habent causam determinationem & immutabilitatem, quæ necessitas non est in alijs proprietatibus sic absolutis à loco: tamen ex necessitate illarum colligitur possibilitas in alijs. tum, quia eadem contradictio esse videtur in his & in alijs, vel si in his non est, neque in alijs erit: tum etiam, quia neque ex identitate subiecti, neque ex distinctione vel indistinctione proprietatum potest colligi maior repugnantia. Confirmatur alto exemplo: nam anima rationalis vnita capiti, vel manui, non habet in hoc loco, vbi est manus, illum modum vnionis, quem habet in capite, quia hic modus pendet intrinsece ab illo subiecto, cum quo fit vnus, & ideo esse non potest, nisi vbi est illud, & tamen isti modi

modi vnionis per se non pendent à præsentia locali, vt constat, quia quamuis totus locus mutetur, semper seruetur idem modus vnionis, seu informationis: ergo etiam in his modis, qui per se à loco non pendent: potest eadem omnino res habere vnum modum in vno loco, quem non habet in alio. Quod si hoc naturaliter possibile est, vt contingit in re spiritali & in ordine ad modos & loca partialia; mirum non est, quod de potentia Dei absoluta hoc non repugnet in re corporea in ordine ad integra loca omnino diuersa. Secundo sumi potest argumentum ex diuersis temporibus ad loca diuersa: nam idem corpus existens in temporibus diuersis potest in vno habere proprietatem huiusmodi, quam non habet in alio: ergo idem erit in pluribus locis. Patet consequentia quia; sicut potest separari in vno tempore, & non in alio, ita in vno loco, & non in alio. Fateor esse differentiam, quia quando separatur in vno tempore, omnino separatur à tali subiecto actu existente, quando vero separatur in vno loco tantum, non omnino separatur à subiecto, vt actu existente, sed tantum vt existente hic. Veruntamen hæc differentia non obstat rationi factæ, quia similitudo seu proportio, non in hoc ponitur, sed in hoc solum, quod sicut subiectum potest in vno tempore durare, in quo non durat proprietas, quia est distincta, & separabilis: ita etiam subiectum potest poni in vno loco, in quo non ponatur proprietas, quia est distincta, & separabilis. Tertio est optima ratio supra facta, quia hoc non inuoluit contradictionem, vt exempla supra adducta declarant, & supra etiam sectione 3. dictum est, quia, si contradictio proprie, & simpliciter fiat (& idem est de priuata oppositione) semper altera pars est falsa, scilicet, quæ absolute negat proprietatem conuenientem rei in aliquo loco: si vero fiat cum loci determinatione, sic non est contradictio, quæ esse debet eiusdem de eodem secundum idem. Neq; contra hoc obstat replica Scoti, scilicet, quod hæc prædicata abstrahunt à loco: duobus enim modis hoc potest intelligi: primo, quod hæc proprietates per se non pendent à loco, & hoc est verum, secundo, quod non requirant præsentiam localem proportionatam præsentia subiecti, vt illi inhæreant: & hoc est falsum, quia ante omnia oportet, vt sint simul loco, & indistantia: ex hoc capite prouenit, vt non fit contradictio, rem esse hic albam, & non Romæ, quia licet subiectum sit verobiq; præsens, potest albedo non habere vtramq; præsentiam, sed vnam tantum, quia, cum sit res absoluta, & ex natura rei distincta, potest multiplicari in subiecto, & non in forma, & per hoc factis responsum est ad totum fundamentum primæ opinionis.

Dico secundo, proprietates intrinsecæ & connaturales tali rei seu corpori, de potentia ordinaria, seu iuxta naturam suam, necessario insunt rei, vbicunq; existat. Hoc probat argumentum tertie opinionis simpliciter ex concomitantia, quæ in hoc sacramento reperitur. Et ratio est primo, quia istæ proprietates consequuntur rem necessaria quadam connexiono, seu dimanatione: Ergo sine nouo miraculo non potest res alicubi esse sine illis. Secundo, quia non potest res naturaliter existere sine his proprietatibus: neque ex natura rei factis est, quod in loco distante illas habeat, quia vnaquæque forma sibi solum habet suum formalem effectum, vbi præsens existit, sicut etiam, vt accidens alicubi naturaliter existat, non satis est, quod alibi inhæreat subiecto, sed necesse est, vt, vbicunq; existit, ibi sit in subiecto: idem ergo erit in alia quacunq; proprietate, seu naturali existendi modo.

Dico tertio, Si corpus prius existens alibi postea ponatur simul in alio loco solum per actionem adductiuam, ex natura rei affert secum omnes suas proprietates, quas in priori loco habebat, atq; ita secundum potentiam ordinariam necessario habebit etiam easdem proprietates in vtroq; loco. Probatur, quia

hæc proprietates etiam si accidentariæ sint, tamè supponuntur realiter inherentes, & vnitæ: & alioqui sunt independentes in suo esse à tali loco: ergo sicut Aristoteles dixit, motus nobis moueri ea, quæ sunt in nobis, ita nos dicere possumus, adducto illo corpore in alium locum, adducta ea, quæ sunt in ipso propter realem vnionem, quæ non dissoluitur propter talem mutationem. Et confirmatur, nam, quando motio adductiuæ talis est, vt auferat re ab vno loco, & transferat in alium; tunc necessario transfert illam cum huiusmodi proprietatibus omnibus, vt per se constat: ergo idem erit, etiam si per adductionem non priuatur res priori loco, quia ratio concomitantia, quæ est connexio, eadem est, cuius non nullum naturale veltigium esse potest, in substantia angeli, quando ex inadaquata parte sui loci, se extendit suo modo ad vltiores partes, nam secum defert suas potestias, & actus, & quicquid in se habet præter partialem modum præsentia.

Dico quarto, Si idem corpus simul ponatur in pluribus locis, aut, si per actiones substantiales diuersas in eis constitutur, etiam si altera earum prius existat, quam alia, fere ex voluntate Dei pendet, quod in vtroque loco habeat, vel non habeat eandem qualitates seu proprietates extrinsecas, seu accidentales, magis tamen congruum, & naturis rerum magis consentaneum esse videtur, vt eandem vtrobiq; recipiat. Probatur primo, quia hæc proprietates neq; ex re ipsa intrinsece sequuntur, neq; ei sunt debita ex natura rei, vt supponitur: ergo, quando res fit, vt aliquam habeat ex his proprietatibus, necessaria est noua actio, quæ non solum est distincta ab actione, qua fit subiectum, sed etiam nullam habet connexionem cum illa: ergo quod de facto coniungatur, ex voluntate & concursu & extrinseci agentis pendet: ergo similiter, quod coniungatur in vno loco, & non in alio, vel quod actio accidentalis coniungatur cum vna actione substantiali, & non cum alia, pendet ex voluntate Dei, quia hæc supernaturaliter operatur. Dices, quamuis hæc proprietas absolute non sit debita, tamen ex suppositione, quod inest, seu datur in vno loco, debetur in alio. Respondetur hoc declarare vtrique alteram partem conclusionis: nam hoc debitum non potest esse omnino intrinsecum & connaturale, quia ista proprietas intrinseca & connaturalis non est, & ideo non tollit, quin pendeat ex Dei voluntate: videtur autem esse debitum quoddam congruitatis: est enim magis consentaneum naturis rerum, vt cum identitate subiecti, identitas proprietatum seruetur, quantum fieri possit. Item quia non est natura rei consentaneum, vt idem subiectum habeat contrarias formas, etiam in diuersis locis: ergo neq; vt habeat simul formam & priuationem eius. Tandem hoc etiam persuadet communis doctrina supra data de concomitantia, quæ in hoc sacramento intercedit, vt latius, qu. 76. dicturi sumus.

SECTIO VI.

Vtrum mutatio facta in aliquo corpore necessario fiat in omnibus locis, in quibus illud existit.

Constat ex dictis questionem hanc non tractari de mutatione locali: quia cum hæc nihil aliud quam effectio præsentia, seu ipsamet præsentia, aut Vbi in fieri, sicut vna præsentia est in vno loco, & non in alio: ita potest fieri vel mutari in vno loco, & non in alio, & ita Christus mutat præsentiam in sacramento, & non in celo, & suo modo anima in manu, & non in capite: imo, licet contingat simul moueri in duobus locis, vt mouetur Christus in duabus hostiis, non est idem motus vtrobiq; sed diuersus, quia ad distinctam præsentiam terminatur. Est ergo questio de aliis mutationibus, in qua suppositis, quæ præced. sect. dicta sunt, nulla videtur esse difficultas in

exisset, necessario ita ut proprietates de potentia ordinaria.

Si tamen simul in dupli loco ponatur, non habet cum illis ista quasi necessariam connexionem.

Angli. Ockam. Eusebius. 3. Sectio. Marfil. Sen. Gabriel. D. Tim. Thilo.

Chalch. In potentia ordinaria. Connaturales. In quo præ-

Chalch. In potentia ordinaria. Connaturales. In quo præ-

ordine ad diuinam potentiam: quia huiusmodi mutatio superueniens rei existenti in loco, semper terminatur ad aliquid ex natura rei distinctum & separabile a subiecto: diximus autem terminum ipsum posse esse in subiecto in vno loco, & non in alio, quia quoad hoc, non est minor repugnantia in mutatione, quam in ipso termino. Solum ergo superest inquirendum, quod ex natura rei consequatur, & hoc ipsum est, quod de Eucharistia inquiri solet, an si Christus extra sacramentum calefieret, vel doleret, easdem mutationes in sacramento pateretur. In qua

1. Sententia D. Thomae.

Scotus Alcius. Egidius. Petrus Soto. Innocentius.

2. Sententia Hugo Victor. Alensis Maior.

Palae. Ladesta. Ruard.

agens naturale mutans corpus in vno loco, non mutatur in alio, ex vi suavitatis.

Enasio.

Impugnatur.

Secunda vero sententia negat, hoc sequi ex natura rei, indicat Hugo Vist. & Alex. Alen. citati scilicet. proced. Tenet Maior. d. 10. q. 5. Palae. d. 11. q. 1. Led. q. 1. 6. art. 1. dub. 3. Ruard. art. 15. Fundamenta afferemus postea.

Dico ergo primo, Ex sola virtute agentis naturalis mutatio facta in vno loco non fit in aliis locis distantibus, in quibus idem corpus existit. Hae conclusio probabitur melius, descendendo ad specificas mutationes, & per eas sigillatim discurrendo. Hae ergo mutatio potest esse, aut per actionem transeuntem, aut per immanentem: & prior potest ad tria capita reuocari, quae sunt alteratio, augmentatio propria, vel impropria, & generatio: sub posteriori vero membro continentur omnes actus sensuum exteriorum & interiorum, intellectus, appetitus, & voluntatis: Probatur ergo primo de alteratione, quia si corpus existat hic & Romae, & hic calefiat ab igne, ex virtute illius agentis non potest illa calefactio Romae fieri, quia ignis non habet virtutem naturalem ad agendum, nisi intra suam sphaeram: non ergo potest calefactionem seu calorem Romae transmittere.

Dices, quamuis agens per se consideratum non habeat hanc virtutem: nihilominus hunc effectum sequi ex necessitate materiae, quia, quod actioni huius agentis hic subiicitur, idem omnino est Romae. Sed contra: primo quia hic effectus, quod hic calor addit, Romae est nouus effectus realis: ergo necessario esse debet ab aliqua causa efficiente, quae habeat vim effectricem illius, sed hanc non habet ignis ex se, neque identitas subiecti, eam illi confert: ergo. Secundo ex illa actione sequetur, quod ille calor habeat duas praesentias reales, vnam hic, alteram Romae: sed hic est effectus valde supernaturalis: ergo non potest illum efficere ignis virtute sua, etiam si subiectum sit idem in vtroque loco. Quin potius, si ad agendum illum calorem in illo subiecto in vno loco, omnino necessarium esset, illum efficere in vtroque loco, potius dicendum esset, ignem non posse omnino efficere illum calorem, sola virtute naturali etiam in vno loco, quam posse in vtroque: quia facilius est, virtutem naturalem impediri ab agendo, quam eleuari ex sola conditione materialis subiecti ad agendum aliquid supra totam naturae virtutem. Quod autem nec hoc sit necessarium dicere, probatur tertio ex motu locali: nam supposita existentia eiusdem corporis in duobus locis, potest agens virtute naturali illud mouere localiter in vno loco, quamuis non possit illud, & eundem motum transferre in alterum locum: ergo similiter poterit calefacere illud in vno loco, quamuis non possit calefactionem illam mittere in alium locum: signum est enim, solam identitatem subiecti non sufficere, vt mutatio in eo facta in vno loco transeat in alium, si aliunde obiter ali-

quod impedimentum: hoc autem impedimentum in mutatione locali prouenit non solum ex defectu virtutis actiuae, sed etiam ex ratione ipsius mutationis, & termini eius: in alteratione autem sufficienter prouenit ex defectu virtutis agentis. Quarto & ultimo est specialis ratio in hoc mysterio, vt calefactio facta in corpore Christi existentis, verbi gratia, in exanaculo, non possit virtute agentis naturalis transire in idem corpus sub speciebus panis existens: quia oporteret, calorem illum recipere modum sacramentalem existendi sub speciebus, totumque existere in toto, & totum in qualibet parte: & puncto: hoc autem neque ab agente naturali virtute, neque ex vi materialis alterationis fieri potest: quia ille modus sacramentalis, supernaturalis est & altioris ordinis. Et confirmatur: nam propter hanc maxime causam non potest corpus Christi, vt in hoc sacramento existit, immediate pati ab agente naturali: ergo nec mediate, id est, media alteratione facta in eodem corpore, in eodem loco: nam effectus idem futurus est sub sacramento, siue immediate, siue mediate fieri dicatur, praesertim: quia semper requirit propriam & immediatam actionem, per quam fiat.

Secundo probatur conclusio in motibus ad quantitatem, quos sub nomine augmentationis proprie vel improprie dicitur, ad quam diminutio reducitur, complexi sumus: potest enim hic motus triplex intelligi. Primus est, per modum continuationis, vel diuisionis, vt, cum aqua aquae infunditur, vel ab aqua separatur, & de hoc constat, non necessario consequi ex vno loco ad alium, quia fit per motum localem vel ipsius corporis, vel alterius, quod interponitur inter partes eius: ostensum est autem, mutationem localem non transferri ex vno loco in alium. Vnde, si eadem aqua esset hic & Romae in duplici vase, posset hic affundi, & in vase hic existente diminui, & non Romae. Et eadem ratione, quamuis perforarentur manus Christi in cruce, ex vi talis agentis naturalis non perforarentur in Eucharistia: quia per se ac formaliter solum est quaedam diuisio continui, motu locali facta: ac simili modo, quamuis in proprie specie effunderetur sanguinem, non egrederetur hic sanguis ex corpore, prout in Eucharistia exiret, quia illa effusio solum erat mutatio localis, quae non necessarii transit in alium locum, praesertim facta modo extenso, & quantitatio, cuius non est capax corpus sacramentaliter existens: manet ergo sanguis in sacramento intra corpus & cõtinuus reliquo sanguini, sicut erat antea: quia nulla esset facta in eo mutatio, & quia cum sit res liquida, manens intra venas cum alio sanguine, non potest, vt videtur, non manere continua. Aliud genus huius mutationis esse potest condensatio & rarefactio, sed de hoc eadem ratio, quae de alteratione & mutatione locali, habet autem ad iunctam mutationem localem, interdum antecedentem, interdum consequentem. Tertius modus ad quantitatem est propria augmentatio & diminutio: & de hoc est mihi res euidenti, quod factus in corpore in vno loco non necessario fiat in alio, aut factus in corpore Christi extra sacramentum, non necessario fiat in sacramento, quamuis contradicat Scotus, dist. 10. quaest. 6. Probatur autem, quia hoc augmentum non fit sine coniunctione extrinseci corporis, scilicet, nutrimenti, seu materiae eius: sed potest esse corpus in duobus locis, & nutrimentum tantum in vno: ergo applicabitur nutrimentum viuenti in vno loco, & non in alio: Respondet Scotus, tunc necessario fieri, vt materia & quantitas cibi in alterum etiam locum transferantur. Sed hoc, vt Maior notauit, incredibile est, praesertim ex virtute sola agentium naturalium, primo, quia ibi nullum est agens, quod habeat tantam virtutem. Secundo, quia illa mutatio materiae, seu corporis quanta

quantum in alium locum distantem, subita & instantanea, siue transitu per medium est, ut multis videtur, impossibile, vel saltem, ut verius est, difficilima, & valde supernaturalis: a quo ergo agente naturali, ut sic fieri potest? Tertio, quia si ignis existens hic & Romæ, hic generet ignem ex stupa, non ibi illum continuando, nemo dicit ignem illum denuo genitum, ita ut incipere esse hic & Romæ: quia stupa, ex qua genitus est, ut supponitur, non erant Romæ, neque est alia causa vel ratio, a qua illuc sit translatus: ergo eadem ratione, quamuis ignis ille genitus continuaretur generanti, non propterea inciperet esse Romæ, quia ut ostendimus, continuatio, quæ in vno loco fit non necessario fit in alio: sic igitur posset ignis ille per iuxta positionem augeri in vno loco & non in alio: ergo eadem ratione posset viuens per intrusumptionem, quia reuera est fere eadem ratio. Quarto accedit specialis difficultas in hoc mysterio, si corpus Christi augeretur extra sacramentum, quia oporteret, illam partem materiæ & quantitatis additam, modum sacramentalem accipere, sicut dictum est de alteratione: nam eodem modo hic applicari potest ratio ibi posita.

Tertio probatur conclusio in integra substantia-
li mutatione, qualis est, verbi gratia, corruptio: de
generatione enim nihil est, quod dicamus, quia, si
supponitur corpus iam existens in multis locis, clarum
est, virtute naturali, de qua nunc agimus, non posse
alibi generari: nam de virtute supernaturali
infra dicemus agentes de trãsubstantiatione. Quod
ergo corruptio vel mors posset euenire eidẽ corpore
in vno loco, & non in alio, probatur primo ex
dictis: quia eadem fere ratio est de corruptione, ac
de diminutione, in qua intercedit partialis corruptio.
Secundo, quia sæpe corruptio fit ex diuisione
continua, semperque per actionem præuiam: verã
autem harum mutationum potest fieri in vno loco,
& non in alio. Tertio naturali exemplo anima, quæ
in vno loco est vnita vni parti materiæ, & non alteri,
cui est tãtum vnita in alio loco. Vnde fit, ut possit se-
parari, & amittere vnionem in vno loco, & non in
alio: ergo eadem ratione posset diuina virtute esse
in vno loco vnita vni corpori, & in alio alteri: &
tunc, licet separaretur ab vno per actionem alicuius
agentis naturalis, non propterea necessario separa-
retur ab alio: ergo pari ratione è conuerso potest
materia in vno loco esse vnita, & non in alio, &
tunc, quamuis ab vna forma separaretur in vno lo-
co, non separaretur ab alia in alio. Ac tandem fe-
re eadem ratione concluditur, quod si in duobus
locis sit vnita eidem formæ, possit in vno ab ea se-
parari, virtute agentis naturalis, & alteri vniri, &
non in alio: nam est fere eadem ratio, suppositis
præsertim, quæ dicta sunt de alteratione: nulla est
enim hic specialis repugnantia: nam quod eadem
materia in diuersis locis sit sub diuersis formis sim-
pliciter non repugnat, ut recte notauit Gabriel, le-
ctione 47. in Canonem, contra Scotum, carpens il-
lum, quod non consequenter fuerit locus: nam
in quarto, distinctione decima, quæstione 2. conce-
dit, quod licet corpus Christi vitium & animatum
fuerit ante Incarnationem, in Eucharistia, potuisset
in propria specie ex puris sanguinibus Virginis sub-
stantialiter concipi, ad hoc autem necessarium fu-
isset, ut prius eadem materia esset informata anima
Christi in Eucharistia, & forma sanguinis in vtero
Virginis, ut ex illa posset Christus concipi & gene-
rari, neque in hoc, reuera, est vlla implicatio con-
tradictionis. Quo fit, ut, si causæ naturales applicen-
tur corpori in vno loco, & non in alio, possint illud
corrumperere, & aliud ex illo generare in vno loco,
& non in alio. Dices, esto, non implicet contra-
dictionem, eandem materiam esse simul sub diuersis
formis, tamen naturaliter saltem hoc repugnat, siue
materia sit in vno loco, siue in multis. Vbiq; enim

eandem capacitatem habet, & eandem numero
potentiam, quæ vnica forma repletur. Ergo si idem
numero corpus existit in duobus locis, ex eadem
numero forma & materia compositum, non potest
virtute alicuius agentis naturalis corrumpi in vno
loco, & non in alio. Probatur consequentia, quia
non potest expellere formam in vno loco, nisi intro-
ducendo aliam: non potest autem introducere aliam
quamdiu in alio loco manet prior forma in eadem
materia, alias naturaliter maneret materia sub dua-
bus formis. Atque idem argumentum fieri potest de
alteratione, quia idem subiectum non est capax con-
trariarum formarum: ergo etiam in diuersis locis
positum, non potest eas recipere, quia capacitas sub-
iecti non augetur propter locorum multitudinem:
Ergo non potest in vno loco calefieri, quin expellatur
frigiditas ab illo subiecto, non in vno loco tantum,
sed in quolibet: ergo necesse est, ut calor etiam ex vi-
talis calefactionis incipiat esse, ut calor etiam ex vi-
talis calefactionis incipiat esse in omnibus locis, in
quibus est subiectum. Ad priorem partem aliqui, pro-
pter illud argumentum concedunt, non posse agens
naturale in vno loco tantum existens corrumpere al-
liud compositum existens in pluribus locis, quia non
potest omnino expellere formam ab illa materia, v-
bi cunq; est, eo, quod non possit actionem suam ex-
tendere ad distantem locum, & ideo etiam non posse
expellere illam formam in loco propinquo, propter
rationem factam, quia non potest illa forma expelli
hic, nisi vbique & omnino expellatur, quia alioqui
agens naturale introduceret aliam formam. Sed
hæc opinio creditu difficilis est, scilicet, stupam in
medio ignis positam non esse comburendam, solum
ex eo, quod sit in alio loco distante, vel separato
ab igne, aut Christum Dominum non potuisse in
Cruce interfici, si in triduo esset in sacramento vi-
uus.

Ratione item argumentor, quia sicut non po-
test naturale agens actionem suam transmittere in
corpus illud, prout in loco distante existit, ita idem
corpus alibi existens, non potest existere virtuti ta-
lis agentis: ergo si agens habet virtutem ad super-
randum, & corrumpendum illud corpus in loco
propinquo tantum existens, potuit corrumpere
illud, etiam si alibi existat. Aliter ergo dici potest in
eo casu agens naturale posse corrumpere immedia-
te tale corpus, prout est ibi propinquum, consequen-
ter tamen & ex necessitate materiæ expelli formam
ab illa etiam in loco distante, ne materia maneat sub
diuersis formis. Quod si obiciatur, quia non potest
agens introducere suam formam in loco distante,
responderi poterit, vel propter hanc causam mate-
riam desinere esse simpliciter, & annihilari in loco
distante, quia nec potest retinere propriam formam
priorem, cum alibi aliam recipiat, nec potest ibi re-
cipere aliam formam, per quam conseruetur: vel
certe magis philosophice dicendum esse, Deum
tunc suppleturum defectum agentis naturalis, & in-
troduciturum ibi formam in materia, per quam ibi
possit conseruari. Aliter dici posset è contrario: in
eo casu agens naturale posse disponere corpus sibi
propinquum vsque ad corruptionem, ita ut for-
ma substantialis expellatur ex defectu dispositionis
conseruantis, non posse tamen ex virtute naturali
introducere suam formam, solum quia in eodem
subiecto est alia forma incompositibilis, quam non
potest simpliciter expellere, ideoque oportere, ut
aut Deus suppleat defectum agentis ad introducendam
talem formam, aut quod materia simpliciter
desinat esse ob defectum formæ. Sed neuter ho-
rum modorum mihi probatur, nam in primis
quod in eis dicitur, Deum supplere defectum ag-
entis, non pertinet ad hanc conclusionem, sed ad se-
quentem, nec saluat, quod naturale agens sola
naturali virtute possit corrumpere corpus existens in
duobus locis, vel sibi simile ex illo generare. Deinde

ratio supra facta, quod illud passum propter solam existentiam in loco distante non possit magis resistere agenti sibi propinquo in alio loco, quam si ibi tantum esset: haec inquam ratio continet, non solum posse expellere formam repugnantem, sed etiam posse introducere sibi similem in illa materia. Quod etiam confirmatur: nam, si potest expellere aliam formam, necesse est, ut possit introducere dispositiones repugnantem, de quibus tamen eadem ratio est, ac de ipsa forma, ut probat argumentum factum de alteratione. Quod autem e contrario possit huiusmodi agens de naturali virtute expellere contrariam formam in loco distante, & ibi non introducere suam, non videtur consequenter dici, tum, quia eadem est difficultas, quomodo virtute naturali agit in distans, siue ad corruptendum, siue ad generandum, tum maxime, quia una forma non expellitur, nisi ratione alterius, quae introducitur: ergo si ex sola identitate materiae necessario sequitur expulsiō in vitroque loco, sequitur etiam introductio, & si recurramus ad dispositiones praemas, de eisdem fiet proportionale argumentum, quod etiam in eis non fit immutatio, seu remissio in aliquo loco, nisi quatenus in eodem fit alteratio ad contrariam formam. Vltimo, tandem haec omnia videntur satis impugnari exemplo supra adducto de aliis contrariis, seu oppositis, quae immediate consequuntur motum localem, vel etiam alterationem aliquam: ut sunt, esse densum & rarum, sedere & stare, quae nec se impediunt in diuersis locis, nec vnum eorum, prout in loco distante existit, impedit virtutem agentis in alio. Quocirca dici potest vltimo, quod licet absolute & simpliciter, nullaque facta suppositione, materia eadem non possit recipere varias formas virtute agentis naturalis, tamen facta suppositione, quod sit in multis locis, & quod Deus relinquat naturalia agentia operari praecisa virtute sua, consequenter sequi, ut eadem materia possit a variis agentibus naturalibus varias formas recipere, quia eadem materia in tantum non potest plures formas simul recipere, in quantum ipsae formae inter se formaliter pugnant: potentia enim passiva Subiecti de se indifferens est ad recipiendam quamcumque formam alteri non repugnantem: formae autem, ut actu sibi repugnent, & ut vna expellat aliam, vendicant, ut non solum circa idem Subiectum versentur, sed etiam in eodem loco. Nam vel haec repugnantia est effectiua, vel formalis. Si effectiua, conitatur requirere loci approximationem, quia agens & patiens debent esse simul, vel saltem intra certam, Sphaeram. Si formalis, ut verius est, multo magis requirit intimam praesentiam localem: Nam hic effectus priuatiuus expellendi aliam formam, sed secundarius, ut supponit positum effectum informandi, hic autem effectus fieri non potest, nisi forma intime praesens sit in loco, vbi est materia: ergo repugnantia formalis inter formas solum est respectu eiusdem Subiecti & loci, vbi altera forma praesens adest: quod ergo vna materia existens in diuersis locis habeat varias formas, non est contra naturalem repugnantiam harum formarum, & ideo mirum non est, quod talis effectus sequi possit ex actione plurium agentium naturalium, supposito priori miraculo, per quod ablata fuit prima radix repugnantiae. Neque hoc est admirabilius, quam quod idem corpus possit naturaliter moueri & quiescere, sedere & stare, pensari & rarefieri, supposito priori miraculo. Atque haec omnia applicari possunt ad quamcumque alterationem & ad qualitates contrarias (actus vitales excipio, de quibus statim) quae inter se non pugnant actu, nisi sint sufficienter propinqua, ut vna alteri formaliter resistat, quod non habent, nisi sint in eodem, ideo & circa Subiectum idem versentur.

Quarto loco explicanda est conclusio posita in actibus vitalibus, inter quos & alias mutationes, haec

est differentia, quod intrinsece manant ab eadem potentiam qua recipiuntur, & ideo de eis est specialis difficultas, nam hoc ipso, quod idem homo, verbi gratia, est in diuersis locis, est in vitroque loca agens & patiens huiusmodi actus, & aequo sibi propinquum: quia est omnino idem, & ideo quicquid in hoc genere agit & recipit in vno loco, videtur necessario agere & recipere in alio, hic enim cessat difficultas posita in aliis generibus, scilicet, quod non possint transmittere actiones suas ad loca distantia. Sicut si idem ignis, & idem lignum essent simul hic, & Romae, & aequo sibi propinqua, tunc necessario sequeretur calefactio in vitroque loco. Quae quidem ratio conuenire videtur in aliquibus actibus, sed non in omnibus. Distinctione ergo opus est, nam quidam sunt actus immanentes, qui pendunt non tantum a potentia, sed etiam ab obiectis loco propinquis, & actu immutantibus ipsas potentias, ut sunt actus sensuum exteriorum, & in his habet etiam conclusio posita locum, quod actus, verbi gratia, visus, hoc loco factus, non necessario sit in alio realiter praesens, quia pendet ab obiecto praesente: obiectum autem, quod hic est praesens, non est alibi: item species causata ab obiecto hic non est alibi, propter rationem supra factam, quia non potest transmittere suam actionem in distans: ergo virtus actiua visus non est in alio loco, quia ipsa species est partialis virtus: ergo neque actus erit necessario in vitroque loco ex vi naturalis virtutis actiuae. Alii vero sunt actus, qui non pendunt ab aliquo obiecto, vel agente extrinseco localiter applicato: ut sunt actus interiores memoriae, intellectus, voluntas & appetitus, & in his verisimile est necessario fieri in vitroque loco, vbi idem homo existit, propter rationem factam, ad quam tamen supponendum est, totam virtutem actiuam talium actuum per se necessariam ad eos efficiendos esse in vitroque loco. Quod in voluntate & appetitu semper accidit, quia iuxta probabilem sententiam tota actiua virtus est in ipsis potentiis: obiectum autem non efficitur, sed finaliter & meaphorice mouet, non localiter applicatum, sed per cognitionem ex sympathia potentiarum quae in eadem animata dicatur. In intellectu autem & phantasia necessario esset, ut species impressa in vitroque loco fieret, quod quidem fortasse naturaliter non fieret, speciebus comparatis per sensus externos, maxime, si verum est effectiue causari ab ipsis, vel ab exteriori sententione in interiori sensu, & a phantasia in intellectu. Nam si fortasse species intelligibilis solum sit ab intellectu agente, phantasia autem solum requiritur per modum exemplaris, per sympathiam etiam potentiarum, sic probabile est, speciem intelligibilem resultare in vitroque loco, quamuis obiectum sensibile in vno tantum loco applicetur: quia virtus per se actiua & receptiua, ipsius speciei est eadem in vitroque loco, & in vitroque sufficienter excitatur seu mouetur a phantasia per modum exemplaris, & per sympathiam potentiarum, quae a distantia loci non pendet, ut iam dicam.

Atque hinc probabile sit, in huiusmodi actibus vitalibus non posse esse duos actus contrarios, oculi autem & amoris, assensus & dissensus, in eadem potentia, est autem actus naturaliter semper est in vitroque loco, tum etiam, quia huiusmodi actus non solum pendet a potentia, ut a subiecto recipiente, sed etiam ut a principio agente: eadem autem potentia non habet vim naturalem ad efficiendum simul actus contrarios, in quo multum differt virtus actiua a passiva: nam haec indifferens est, ut ab agente recipiat, iuxta virtutem eius dummodo formae inter se non pugnent. Illa vero est ab intrinseco limitata in sua virtute, quae non crescit propter existentiam in pluribus locis. Dices, has rationes ad summum procedere, secundum potentiam naturalem: supernaturalem autem videtur sequi, posse esse simul in diuersis lo-

Verā solutio.

his locis, quia supernaturaliter potest virtus activa confortari, & quilibet actus in vno loco tantum consistit. Quod videtur concedere Gabriel. in 4. dist. decima, articulo tertio, dubio tertio, non tantum in homine existeret in diuersis locis, sed etiam in eodem, quod frequens est apud Nominales. Ego autem suppono, inter actus vitales contrarios esse tantam repugnantiam, vt etiam per potentiam Dei absolutam non possint esse in eodem Subiecto & loco simul, quia sese omnino destruunt ex parte obiecti, vnus enim destruit obiectum alterius. Vnde fit, vt cum alie qualitates contrarie simul esse possint in gradibus remissis, hoc repugnet naturaliter actibus vitalibus contrariis. Vnde probabilius etiam censeo, non posse huiusmodi actus contrarios esse simul, in eodem Subiecto etiam in diuersis locis, quia licet concedam, posse Deum ponere vnum ex his actibus in vno loco, & non in alio, vbi esset idem Subiectum, tamen inde impediret actum sibi contrarium in eodem Subiecto etiam in alio loco, non per meram informationem & impossibilitatem formarum, ad quam esset necessaria presentia localis, sicut in alijs contrariis, sed ex parte obiecti, destruendo illud per sympathiam eiusdem anime, seu potentie existentis in vno loco ad se ipsam, vt existentem in alio loco, nam, sicut eadem anima apprehendens aliquid, per imaginationem excitatur ad amandum per appetitum, quamuis illi actus imaginandi, & appetendi non sint in eodem loco corporis, solum quia radicantur in eadem anima, & intus ab illa fluunt, ita opinor, quod si idem homo hic & Romae esse intelligatur, quamuis hic tantum haberet actum imaginacionis, vel intellectus, quod aliquod apprehenderetur bonum, per illum sufficienter excitaretur, vt posset illud Romae appetere: quia illa sympathia potentiarum non pendet ex loco, sed ex identitate anime, in qua illa potentia & actus radicantur: est enim eadem ratio & proportio. Vnde vltimus, sicut mutata apprehensione intellectus vel imaginacionis: necesse est mutari actum appetitus, quia mutatur obiectum: ita in predicto casu, hoc ipso, quod homo alicubi iudicet, hoc esse falsum, destruitur in eodem intellectu veritas, respectu illius obiecti, & ita destruitur obiectum, respectu assensus contrarij: & idem est de omnibus similibus contrariis. Quae tandem sympathia, & correspondentia actionum vitalium, sic potest explicari, quia si ego nunc Romae simul existerem, quamuis non haberem hic realiter presentem sensibilem visionem, quam haberem Romae, nihilominus hic possem narrare, quae Romae geruntur: vnde quodammodo dici possem hinc videre, quod satis est, vt hic possem narrare, quia ad hoc non est necessaria propinquitas seu indentitas loci, quia nunc etiam lingua loquitur, quae oculis videt, quia ab eadem mouetur anima, quamuis loco distent, quod idem esset, etiam si fingatur homo tanta magnitudinis, vt longe amplius inter se distarent: huiusmodi ergo consonantia est ex parte obiectorum in reliquis actibus vitalibus.

Vltimo addendum est in hac materia, quamuis agentia naturalia per se non sufficiant ad immutandum eodem modo corpus in diuersis locis existens: magis tamen congruum & consentaneum naturis rerum videri, vt supposito priori miraculo Deus suppleat defectum causarum naturalium, praebeatque concursum sufficientem, vt talis immutatio eodem modo in omnibus locis fiat. Haec est consentanea Deo Thomae, & alijs authoribus citatis in prima sententia, & idem sentit Alenus, qui rationibus indicat, quia alias magna confusio & perturbatio rerum sequeretur, quae non decet ordinem diuinae sapientiae. Item, quia aliqui multa sequerentur, praeter naturalem ordinem rerum, vt quod eadem materia sit sub diuersis formis, & c. quae omnia euitantur positio huiusmodi concursu, consentaneo priori miraculo. Praeterea in hoc mysterio necessarius est hoc dice-

re, supposita communi doctrina, quod corpus Christi in hoc sacramento, eadem per concomitantiam habeat, quae extra sacramento recipit: quod hic speciali ratione necesse est fieri singulari concursu Dei, propter sacramentalem modum supernaturalem, vt saepe supra indicatum est. Ad quod ita instituendum, fuit etiam hic specialis ratio, tum propter excellentiam & maiestatem corporis Christi: tum etiam, quia hoc sacramento est memoriale & signum eiusdem corporis in propria specie existentis, & ideo decuit, vt eodem modo esset in hoc sacramento, quo extra, quoad omnia absoluta, quae a loco non pendunt.

Atque hinc expeditur dubium, supra huc remissum, si corpus Christi extra sacramento corrumperetur, vsque ad resolutionem in elemento, ita vt iam nullo modo maneret corpus humanum, an nunc desineret esse omnino in sacramento. Scotus enim in 4. distinctione decima, quaestione sexta, affirmat, vt recte in vno sensu. Dico autem hypotheticum esse impossibile, supposita institutione facta in hoc sacramento, & statu illius corporis, quem ipsa supponit. Vnde ex illa hypothese impossibili videntur sequi contradictoria: Nam ex vi praesentis institutionis absolute, & sine vlla conditione verum est, tamdiu corpus Christi conferuari sub speciebus, quamdiu ille possunt substantiam panis conseruare, & ex hoc principio Christus semper ibi manebit quicquid extra sacramento circa corpus eius fieri fingatur: Aliunde vero, quia iuxta eandem institutionem corpus in sacramento debet esse substantialiter conforme sibi ipsi extra sacramento, & quia in sacramento esse non potest, nisi corpus humanum, quod significant verba formae: ideo etiam sequitur in eo casu corpus Christi non mansurum sub sacramento, & hoc simpliciter verum est: alia autem promissio, quod Christi corpus tamdiu durat sub speciebus, quamdiu species ipsae durant, inuoluit contradictionem, quod Christi corpus in propria specie perseveret, & duret in ratione corporis humani: quod quia perpetuo ita futurum est ex absoluta lege, & promissione diuina, ideo alia etiam promissio tranfit in absolutam simpliciter, & alia conditionalis procedit ex hypothese impossibili, supposita institutione, prout facta est.

ARTICVLVS II.

Verum in hoc sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod in hoc sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem. Dicit enim Damasc. in 4. lib. Quia consuetudo est hominibus comedere panem, & vinum bibere, coniungunt eis Deus diuinitatem, & fecit ea corpus & sanguinem suum, & ita panis communicationis non panis simplex est, sed vnus diuinitati. Sed coniunctio est rerum actu existentium. Ergo panis & vinum simul sunt in hoc sacramento cum corpore & sanguine Christi.

2. Praeterea, inter Ecclesiae sacramenta debet esse conformitas. Sed in alijs sacramentis, substantia materia manet, sicut in Baptismo substantia aquae, & in Confirmatione substantia chrismatis. Ergo & in hoc sacramento est substantia panis & vini.

3. Praeterea, panis & vinum assumuntur in hoc sacramento, in quantum significant Ecclesiam vnitatem, prout vnus panis fit ex multis granis, & vinum vinum ex multis racemis, vt August. dicit in lib. de Symb. Sed hoc pertinet ad ipsam substantiam panis & vini. Ergo substantia panis & vini remanet in hoc sacramento.

Sed contra est, quod Ambros. dicit in lib. de sacram. Licet figura panis & vini videatur, tamen nihil aliud quam caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt.

Respon-

Inf. ar. 6. cor. 8. q. 77. ar. 1. 8. q. 4. d. 18. q. 2. ar. 1. q. 8. d. 12. p. 1. ar. 1. q. 3. 8. q. cont. c. 83. in prin. & quod lib. 7. a. 9. & quodl. 9. a. 5. ad 3. & 1. co. 11. l. 4. col. 6. & lect. 9. col. 5. lib. 4. c. 14. in me. tract. 26. in Ioann. inter med. & s. 1. 1009. 9. colligitur ex li. 4. c. 4. l. 6. c. 1. 4. reformatur de c. 8. d. 2. c. omnia

Respondeo dicendum, quod quidam posuerunt post consecrationem, substantiam panis & vini in hoc sacramento remanere. Sed hæc positio stare non potest. Primo quidem, quia per hæc positionem tollitur veritas huius sacramento, ad quæ pertinet, ut verum corpus Christi in hoc sacramento existat, quod quidem ibi non est ante consecrationem. Non autem aliquid potest esse alicubi ubi prius non erat, nisi vel per loci mutationem, vel per alterius conversionem in ipsum, sicut in domino aliqua de novo incipit esse ignis, aut quia illuc desertur, aut ibi generatur. Manifestum est autem, quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem. Primo quidem, quia sequeretur, quod desineret esse in celo, non enim quod localiter mouetur, peruenit de novo ad aliquem locum, nisi deserat priorem. Secundo, quia omne corpus localiter motum, pertransit omnia media, quod hic dici non potest. Tertio, quia impossibile est, quod vnus motus eiusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diuersa loca: cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento, simul esse incipiat, & ideo relinquatur, quod non possit alter corpus Christi in ipse esse de novo in hoc sacramento, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum. Quod autem conuertitur in aliquid, facta conuersione non manet. Vnde relinquatur, quod salua veritate huius sacramento, substantia panis post consecrationem remanere non possit. Secundo, quia hæc positio contrariatur formæ huius sacramento, in qua dicitur, hoc est corpus meum, quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret: nunquam enim substantia panis est corpus Christi, sed potius esset dicendum, hic est corpus meum. Tertio, quia contrariatur venerationi huius sacramento, si aliqua substantia creata esset ibi, que non posset adorari latrice adorari. Quarto, quia contrariatur ritui Ecclesie, secundum quem post corporalem cibum non licet sumere corpus Christi: cum tamen post vnam hostiam consecratam: licet sumere aliam. Vnde hæc positio vitanda est tanquam heretica.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus coniungit diuinitatem suam, id est diuinam virtutem, panis & vino, non ut remaneant in hoc sacramento, sed ut faciat inde corpus & sanguinem suum.

Ad secundum dicendum, quod in alijs sacramentis non est ipse Christus realiter, sicut in hoc sacramento manet substantia materia, non autem in ipso.

q. 87. art. 3.
et 4.

Ad tertium dicendum, quod species, que remanent in hoc sacramento (*ut infra dicitur) sufficiunt ad significationem huius sacramento, nam per accidentia cognoscitur ratio substantia.

COMMENTARIVS.

Conclusio
D. Thomæ
est negatiua.

Negat D. Thom. manere in hoc sacramento substantiam panis & vini. Quæ assertio, certa & facilis est. Rationes tamen, quibus D. Thom. illam probat, magnam habent difficultatem, quia vero singulæ fere singulas quæstiones requirunt, in sequenti disputat, commodius disputabuntur. Solutiones autem argumentorum sunt faciles. De testimonio vero Damasci, quod in solutione ad 1. explicatur, dicemus in sequentibus.

DISPUTATIO XLIX.

De absentia panis & vini ab hoc sacramento.

Disputat de
Eucharistia.

Postquam diximus de presentia corporis Christi, quæ est velut terminus ad quem consecrationis huius sacramento, antequam modum, quo hæc presentia fit, & rationem transubstantiationis explicemus, oportet dicere de absentia panis, quæ est veluti terminus à quo eiusdem consecrationis, intellecto enim utroque termino, facilius erit transitum vnus ad alium contemplari: loquar autem semper, breuitatis gratia, de substantia panis, quia in omnibus eadem ratio est de substantia vini.

Verum de potentia absoluta poterit Christus fieri hic realiter præfens manente substantia panis.

Remittimus hæc quæstionem, quoniam valde conferat ad explicandam rationem, propter quæ negamus manere in hoc sacramento substantiam panis: Agimus autem de possibili absolute & simpliciter, ac sine respectu ad determinata verba, per quæ fiat consecratio, salua eorum veritate: De hoc enim sectione sequente dicturi sumus: hic vero generaliter inquirimus de quocumque modo actionis diuine, & de quocumque instrumento, quo Deus vti velit, aut si malit sine illo operari. Denique suppono, sermonem esse præcisè de presentia, non de vnione corporis Christi cum accidentibus panis: quæ & est incerta, & per se non pertinet ad doctrinam fidei, quæquam de illa etiam non nihil obiter attingemus. Ratio itaque dubitandi est, quia D. Thom. hic ex sola presentia corporis Christi colligit absentiam substantiæ panis, quæ collectio nulla esset, si cum presentia Christi simul esse posset substantia panis. Et eodem modo procedit in quarto distinctione 11. quæstione 1. articulo 1. quæstionum 1. in corpore, & ad 3. & 4. contra Gent. cap. 63. Quibus locis hæc ratio videtur. Non potest aliquid incipere esse alicubi, nisi aut per motum localem, aut per conuersionem alterius in ipsum: ergo nec corpus Christi incipere potest esse in hoc sacramento, nisi alterutro ex his modis, sed non potest incipere per motum localem. Primo, quia necessario deberet esse in celo. Secundo, quia necessario transiret per omnia media loca. Tertio, quia non potest simul incipere esse in diuersis locis, cum vnus motus ad vnum locum terminetur. Ergo necessario incipit in hoc sacramento per conuersionem panis in ipsum: quod autem in aliud conuertitur, desinit esse: ergo.

Propter hæc antiqui discipuli Diui Thomæ alleuerunt, fieri non potuisse de potentia absoluta, ut corpus Christi haberet sub accidentibus realem presentiam sacramentalem, quam nunc habet, manente sub eisdem substantia panis: & quidam eorum omnem presentiam negant fuisse possibilem. Alij, licet fateantur, potuisse Deum facere aliquam, non tamen eiusdem rationis cum illa, quæ nunc est. Ita sentit Hieronymus in 4. distinctione 10. quæstione 1. articulo 1. Paludanus distinct. 11. quæst. 2. artic. 1. & 2. Capreol. quæst. 1. artic. 3. ad 3. Scotus cont. 1. conclus. qui secundam adhibet rationem, quia, si corpus Christi (inquit) fieret hic præfens, sine conuersione panis in ipsum, vel haberet presentiam per suam quantitatem, vel per suam substantiam, vel per vtramque: non primum, nec tertium, aliàs esset corpus Christi hic quantitatiuè, & consequenter non posset esse in pluribus locis, neque etiam secundum, quia substantia materialis, ut abstrahit à quantitate, non potest fundare genus aliquod presentie: quia abstrahit à quantitate, abstrahit ab actione: ergo ab omni contractu quantitatio & virtuali: ergo ab omni presentia. Idem videtur sentire Ferrar. 4. contra Gentes, cap. 63. qui tertiam indicat rationem, quia impossibile est, relationem esse sine fundamento: Sed relatio presentie, quam Christus nunc habet, fundatur in conuersione panis in ipsum. Ergo eiusdem opinionis videtur fuisse Marfilus, in 4. quæst. 8. artic. 1. conclus. 4. Bonauentura d. 11. artic. 1. q. 1. & clarius quæst. 3. Ex quibus sumitur quarta ratio, quia impossibile est aliquid incipere esse, ubi antea non erat, sine sui mutatione, vel mutatione alterius in ipsum: sed Christus non incipit esse hic per sui mutationem: ergo necessaria omnino fuit mutatio in substantia panis. Tandem in hæc sententiam inclinare videtur Alan. lib. 1. cap. 35.

Dico tamen primo, potuisse Deum facere verè & realiter præfentem Christum intra panem, consecratum, uat;

Doct. Richard. Gab. Maior. Cas. Soc. Loh. Thom.

data, imo & immutata manente substantia panis. Hec est communior sententia Theologorum in 4. d. 10. Scoti. q. 1. §. Quantum ad istud. & latius, d. 11. q. 3. Durand. quest. 1. Richardus articulo 1. quest. 1. Gab. Maior. & aliorum, & ex Thomistis eam tenet Caie. hic Socio dist. 9. q. 2. art. 2. Ledes. quest. 16. art. 2. & tandem idem dicit Ferrar. supra ad 4. Scoti, contra 2. dictum D. Thom. Antequam vero hanc conclusionem probem.

Dico secundo, potuisse Deum dare hanc presentiam corpori Christi omnino eiusdem rationis cum illa, quam nunc habet, & cum omnibus intrinsicis conditionibus eius, id est, ut nullam haberet, non amittendo eam, quam habet in celo, ut per eam esset totum in toto, & totum in qualibet parte panis, & cum intima & inseparabili distantia ab ipso, ablata solum ea actione, qua accidentia separantur a subiecto, vel etiam cum illa, si Deus vellet simul conservare presentem substantiam panis, non vnitam accidentibus. Ita sentiunt predicti Doctores, licet non tam distincte mentem suam declarant, videtur tamen res adeo clara, ut nulla appareat dubitandi ratio. Primo, quia nulla intercedit contradictio. Quod ita ostendo, quia nec ratione ipsarum rerum, seu terminorum, id est, corporis Christi & substantiae panis, nec ratione modi, seu actionis vel mutationis, per quam debet hic constitui Corpus Christi, intercedit hac repugnancia: ergo reuera nulla est. Prior pars videtur per se evidens: Primo, quia etiam quantitatiuo modo non repugnat vnum corpus heri intime praesens alteri, conseruata illius substantia. Secundo, quia hic de facto quantitas corporis Christi fit intime praesens quantitati panis, illa manente & conseruata, neque est ex parte ipsarum rerum repugnancia: ergo multo minus est inter substantias, si solas ipsas, & earum praesentias intimas consideremus. Tertio, quia hic est substantia corporis Christi per modum substantiae indiuisibiliter praesens: huiusmodi autem praesentia indiuisibilis substantiae non repugnat, nec excludit formaliter praesentiam alterius substantiae ab eodem loco seu spatio: hac enim ratione substantia Angeli potest esse praesens intime in quavis alia substantia, & materialis substantia si priuaretur quantitate, non excluderet aliam substantiam ex hoc loco, vbi ipsa est, quia hoc est, quod potissime facit quantitas naturae siue relicta: quibus rationibus conuincor ad dicendum, non solum de potentia Dei absolute, sed etiam ex natura rei, si solum consideremus vim praesentiae & formalem incompatibilitatem abstrahendo ad efficaciam & veritatem verborum, praesentiam corporis Christi non expellere formaliter substantiam panis physica expulsioue, de quo latius dicam disputatione sequenti. Aliud membrum, scilicet, hoc non repugnare ex parte viae, seu mutationis: probatur primo in genere, quia ut recte notauit Scotus, duae partiales mutationes possunt hic intelligi, alia priuatiua, qua substantia panis transit ab esse ad non esse, alia posititiua, qua corpus Christi ex non praesente fit praesens: sed istae non sunt essentialiter connexae, nec termini vnus, cum terminis alterius: ergo possunt separari: ergo corpus Christi non necessario fit hic ex substantia panis, quia solum hic terminus a quo, est simpliciter necessarius in tali mutatione. Deinde magis in particulari, quia repugnancia constituitur in hoc, quod si substantia panis non definit, nulla est actio, vel mutatio, per quam hic fiat corpus Christi: ostendam duos modos esse possibiles, & quomodo ad disputationem de transubstantiatione multum conferrent, eos diligenter explicabo.

Dico ergo tertio, potuisse Christum fieri substantialiter presentem intra panem per actionem substantialem per se primo terminatam ad substantiam corporis Christi per modum creationis, vel conseruationis, ad quam talis praesentia consequatur. Pro-

batur, nam si Christi corpus alibi non existeret, posset creari a Deo cum noua praesentia locali absque alterius rei delitione: ergo etiam posset creari hic, intra substantiam panis, cum hac praesentia sacramentali, absque delitione substantiae panis, quia, neque ex parte termini a quo, neque ex parte termini ad quem neque ex formali repugnancia substantiarum esset contradictio, ut ostensum est: ergo etiam si corpus CHRISTI alibi existat, poterit per simile genus actionis fieri praesens intra substantiam panis. Probo consequentiam, quia eadem res potest duplici actione produci, aut conseruari. vnde, licet supponatur existens alicubi vna actione, potest alibi idem esse recipere per aliam actionem, quae de se esset sufficiens rei, productio, si non supponeretur existens, tunc autem non denominabitur productio, quia haec vox, connotat ordinem ad terminum a quo, qui fit priuatio, seu negatio simpliciter existentiae termini ad quem, quia produci significat adduci de non esse simpliciter ad esse, sed denominatur quasi conseruatio, quia conseruatio est influxus eiusdem esse, quod antea erat, & hoc conuenit illi actioni. Nec refert, quod conseruatio propriissime est eadem actio cum productione, quantum permanet & durat, influendo idem esse, quod in primo instanti produxit, ut constat ex Diuo Thoma prima parte, quaestione 104. articulo primo ad quartum, quia etiam potest per nouam actionem conseruari id, quod per alteram actionem fuerat productum, ut, si lumen productum ab vna lucerna conseruaretur ab alia, & in hoc mysterio conseruaret Deus quantitatem separatam, alia actione ab illa, quae antea fuerat producta: at vero sicut fieri potest, etiam naturaliter, ut res conseruetur per distinctam actionem a productione, cessante priori actione, ita, ut saltem supernaturaliter fieri potest, ut conseruetur per nouam actionem absque cessatione prioris.

Quoniam vero ex hoc principio pendet, non solum ratio facta, sed multa etiam dicenda de transubstantiatione, oportet illud fundare ac declarare. Primo igitur ponendum est ex Philosophia, heri posse diuina virtute, ut idem effectus simul a duabus causis totalibus producat: dicuntur autem causae totales, quando vnaquaeque actu efficit actionem sufficientem ab totum producendum, quas non repugnat fieri simul, quia vna non destruit aliam, neque aliunde est specialis repugnancia, aut implicatio contradictiois, ut suo loco ostendimus.

Hinc fit secundo, ut si effectus fiat a duabus causis totalibus, necessarium esse, ut fiat duabus actionibus diuersis, quia si causa est totalis, necesse est, ut dicitur, actionem esse per se sufficientem ad effectum, ut quamuis alia & melior tolleretur, ex vi talis agentis & actionis, fieret effectus tam perfectus, & integer, sicut ab vtraque producebatur: nam si causa non sit huiusmodi, non erit totalis, sed partialis, cum indigeat consortio, & adiutorio alterius: ergo necesse est, talem causam agere actione propria & integra, distincta ab actione totali alterius causae. Patet consequentia, tum quia actio dicitur habitudinem intrinsecam ad agens, & ita ab illo pendet, ut in variato agente non possit variari actio, ut supra agentes de instrumentis declarauimus, tum etiam, quia vna destructa potest manere alia, & e contrario, quia potest vnus agens cessare ab agendo, alio perseverante in actione, & idem omnino esse in effectum influente: hoc autem ipso, quod agens cessat ab agendo, perit eius actio, quia si antea agebat, & nunc non agit, necesse est, aliquam mutationem esse factam, vel in causa, vel in effectu, vel in actione: sed non in causa, quae per transuentem actionem non mutatur, & praesertim quia suppono cessare ab actione per suspensionem diuini concursus, neque in effectu, ut est res facta, quia suppono, integre conseruari ab

D. Thom.

Idem effectus a duabus causis totalibus simul potest produci simul naturaliter.

Hoc autem fieri debet ab abus actionis, ut quibus diuersis ita, ut quibus suffi tenet agentis & actionis, fieret effectus tam perfectus, & integer, sicut ab vtraque producebatur: nam si causa non sit huiusmodi, non erit totalis, sed partialis, cum indigeat consortio, & adiutorio alterius: ergo necesse est, talem causam agere actione propria & integra, distincta ab actione totali alterius causae. Patet consequentia, tum quia actio dicitur habitudinem intrinsecam ad agens, & ita ab illo pendet, ut in variato agente non possit variari actio, ut supra agentes de instrumentis declarauimus, tum etiam, quia vna destructa potest manere alia, & e contrario, quia potest vnus agens cessare ab agendo, alio perseverante in actione, & idem omnino esse in effectum influente: hoc autem ipso, quod agens cessat ab agendo, perit eius actio, quia si antea agebat, & nunc non agit, necesse est, aliquam mutationem esse factam, vel in causa, vel in effectu, vel in actione: sed non in causa, quae per transuentem actionem non mutatur, & praesertim quia suppono cessare ab actione per suspensionem diuini concursus, neque in effectu, ut est res facta, quia suppono, integre conseruari ab

Doct. Richard. Gab. Maior. Cas. Soc. Loh. Thom.

Doct. Thom.

Doct. Thom.

Doct. Thom.

Doct. Thom.

Doct. Thom.

Doct. Thom.

Doct. Thom.

Doct. Thom.

Doct. Thom.

alia causa totali: ergo in actione: Ergo potest vna actio desinere, manente alia, & e conuerio: sunt ergo distincta.

Vnus effectus potest duplici actione reseruari, conformari

Ex quo vterius concludo, sicut potest vna res ab initio productionis suae fieri à duobus agentibus duplici actione totali, ita, licet in principio producta sit vna actione, posse deinceps duplici actione conseruari: nam, si duae illae actiones possunt simul fieri & durare, cur non poterit vna post aliam incipere, & postea simul durare? Præterea naturaliter fieri potest, vt res producta per vnam actionem, per aliam conseruetur, cessante priori: cur ergo fieri non poterit per potentiam absolutam Dei, vt res producta per vnam actionem similiter conseruetur per aliam actionem, non cessante priori? Nam, si quæ esset repugnantia, maxime quia illae duae actiones simul durarent: sed in hoc non est, quia possent simul à principio durare, vt ostensum est. Dices, quomodo potest intelligi noua actio, si nihil nouum facit in termino? actio enim non est sine termino: ergo neque noua actio sine nouo termino. Respondetur, idem quæri posse quando eadem omnino res incipit conseruari per nouam actionem, desinente priori: vt ergo actio sit noua, satis est, quod eadem res incipiat habere nouam dependentiam, quam antea non habebat, etiam si nouum esse non recipiat, sed illud ipsum per influxum alterius causæ, & hoc sensu falsum est, nihil fieri in termino per illam actionem, si fieri late sumatur, vt extendatur ad conseruationem, & alium quemcunque influxum.

Obiectio.

Solutio.

Res in vno loco producta potest in alio simul poni per actionem terminatam ad eius substantiam.

Quarto hinc colligo, posse rem factam & existentem in vno loco, de nouo in alio constitui per actionem nouam terminatam ad substantiale esse ipsius rei conseruatae in tali loco. Probatur, quia eadem res potest conseruari duplici actione, vt dictum est: ergo cum possit simul poni in diuersis locis (vt suppono) poterit in vno conseruari per vnam actionem, & in alio per aliam. Probatur consequentia, quia, cum duae actiones, & inter se, & à termino ex natura rei distinguantur, poterit per vnam earum res fieri, & conseruari in vno loco, & per aliam in alio.

Obiectio.

Dices, talis actio per se primo terminatur ad substantiam, vt sic abstrahendo ab hoc vel illo loco: ergo necessario terminatur ad illam, vbiunque est: ergo etiam si res sit in duobus locis, vel in vtroque licet aut conseruetur substantialem per eandem actionem, vel si non ponatur duplex actio, vt supra terminabitur ad rem secundum se. Et confirmatur non posse esse, nisi vnam, alias posset Deus, etiam in eodem loco conseruare vnam rem duabus actionibus distinctis & totalibus. Respondetur ad argumentum primo, distinguendo antecedens, nam actio substantialis potest dici abstrahere ab hoc, vel illo loco, quia de se non postulat potius hunc, quam alium, & hoc sensu transeat antecedens, quia non est ad rem alio modo potest dici abstrahere, quia cum sit actio, non magis est præfens in hoc loco, quam in alio, & hoc sensu est falsum, quia actio seu passio, aut diminatio seu dependentia habet etiam suam presentiam & necessarium alicubi sit, & tantum ponit effectum, vbi ipsa sit, non est autem necesse, vt dixi, actionem esse in pluribus locis, etiam si in illis sit res facta, quia potest esse in illis, non vt est per illam actionem solam, sed vt est, vel conseruetur per plures: igitur in hoc modo productionis nulla est repugnantia. Secundo admissio antecedenti in priori sensu, nulla est consequentia: nam licet actio terminetur ad substantiam, & ideo necessarium sit, ibi esse substantiam, vbi substantialiter est actio, per quam conseruetur, quia, vt suppono, actio identice est in ipso termino, & in illa entitate ratio essentialis, & prorsus inseparabilis est illa, quæ constituit terminum in suo esse reali seu substantiali: ac denique, quia non potest actio influere in terminum, nisi vbi ipsa

Solutio.

Secunda.

est, non tamen è contrario necesse est, vt, vbiunque est res facta per aliquam actionem, ibi sit omnis actio per quam sit, vel conseruetur. Cum enim actio sit veluti modus rei, ad quam terminatur, & ex natura rei ab ea distinctus, nihil obstat, quo minus alicubi sit talis res, vbi non est illa actio, sed alia, per quam eadem res sit & conseruetur, vt enim supra ostendimus, potest res in vno loco carere aliquo modo existendi, quo non caret in alio, quando modus ex natura rei ab ea distinguitur. Quæ omnia aperte confirmantur in ordine ad tempus seu durationem, quia, licet, quando durat actio, duret terminus per illam factus, tamen è contrario fieri potest, vt, cessante actione conseruante, res nihilominus duret, & conseruetur per aliam actionem, vt patet in lumine producto ab vna lucerna, & conseruato ab alia: ergo sic hæc possunt tempore separari, ita & loco.

Ad confirmationem responderetur, concedendo sequelam: nam licet Deus potest efficere eundem effectum per duas causas secundas totales: ita potest se solo eundem effectum facere per duas actiones totales, quia, quod potest facere per causas secundas efficientes, potest se solo præitare. Dices, quando concurrunt duæ causæ secundæ, habent actiones, vnde distinguuntur: at vero respectu ipsius solius Dei minime. Respondetur, ad hoc sufficere eminentiam diuinæ virtutis, quæ efficaciam habet ad agendum pluribus actionibus inter se distinctis: sicut potest Deus creare rem vnam vna actione & annihilare illam, & postea eam reproducere alia actione distincta, quia ad agendum hæc vel illa actione, non determinatur à loco, tempore, vel circumstantiis, sed à sua libera voluntate. Adde, ad præsentem difficultatem non refert hoc, sed satis esse, quod in vno loco possit res immediate conseruari à solo Deo, in alio vero fieri seu conseruari medio instrumento creato: nam hoc satis est, vt oporteat actiones esse distinctas, vt tractando de actione sacramentorum in genere latius diximus.

Vltimo ex his colligitur primus modus, quo fieri potuit præfens hæc substantia corporis Christi ab illa definitione substantiæ panis, scilicet, per modum productionis, seu conseruationis substantiæ huiusmodi de nouo: ex qua non sequitur desinitio panis, nam cum istæ sint duæ veluti mutationes partiales, altera priuatiua, altera positiua, circa res omnino distinctas: potest per diuinam potentiam vna ab alia separari. Nec existimo Diuum Thomam hoc negasse, sed sub conseruacione, hanc actionem comprehendisse, quia reuera, propria ac substantialis conuerio non est sine huiusmodi actione, vt infra ostendam: imo hæc actio est potissima, quæ in conseruacione intercedit: sicut, si Deus introduceret formam ignis in ligno, efficiendo, vt forma ligni non recederet, illa actio quamvis tunc non conuerteret lignum in ignem, tamen, de se esset conseruatiua, & ita nomine conueriois comprehenderetur: sic igitur in præfenti intelligi potest D. Thom. quomodo autem cum hæc expositione non contenta cetera, quæ docet, dicam in sequentibus.

Dico quarto, de potentia Dei absoluta potuisse fieri præfens corpus Christi in hoc sacramento, conseruata substantia panis per actionem seu mutationem accidentalem, scilicet, per actionem additiuam, seu mutariuam quasi localem, id est, per quam tantum acquiratur illa præfentia realis, per quam Christus dicitur esse hic. Quod ostendo primo, quia hæc præfentia realis, quæ habet corpus Christi in hoc sacramento, & modus realis & accidentalis ipsius corporis, habens similitudinem, seu proportionem cum vbi: sed hic modus est per se primo producibilis per actionem per se, & formaliter ad ipsum terminatam, sicut supra etiam dixi, & constat à simili de motu locali, & eius termino: imo etiam patet.

ret in mutatione locali, quæ quoties fit in corpore Christi existente sub speciebus: ergo potuisset à principio hic constitui per similem mutationem; non excludendo substantiam panis, quia cum illa non habet necessariam aut formalem repugnantiam, ut patet ex dictis in prima conclusione. Secundo specialius id probatur excludendo difficultates, quæ hic sequi videbantur, quia, si aliquid obstatet, maxime quod Christus acquirit hanc præsentiam non amittendo illam, quam habet in cælo, sed hoc non obstat, ut patet eundem exemplis naturalibus: Angelus enim existens in loco inadæquato acquirit de nouo præsentiam in alia parte loci, non amittendo priorem, vnde intelligitur, dari posse mutationem localem acquirendi locum absque mutatione amittendi locum, similiter anima hominis per nutritionem acquirit nouam præsentiam & vniorem partialem non amittendo priorem. Ratio à priori est, quia quod mobile deserat vnum locum, quando alium acquirit, ex eo tantum prouenit, quod non potest esse simul in diuersis locis: Nam, si posset, non erunt termini inter se repugnantes, & ideo ad vnum acquirendam, non erit necessarium alium deserere, ut patet in dictis exemplis de Angelo & anima, sed in nostro proposito, hæc præsentia sacramentalis non repugnat cum locali, quæ est in cælo, nec cum alia sacramentali, quæ est in alio loco, in ordine ad diuinam potentiam: ergo potest fieri per mutationem localem per se terminatam ad illam præsentiam in corpore Christi, absque amissione alterius præsentia, vel Vbi: Nam cum hi termini non habeant inter se repugnantiam, acquisitio vnius non repugnat cum conseruatione alterius. Et confirmatur: nam supposito, quod posset Deus ponere vnum corpus in duobus locis quantitatiue, poterit etiam corpus, quod iam est in vno loco, constitui in alio, solum de nouo faciendo in illo illud nouum Vbi, quo alibi acquirit absque alia actione productiua substantia: Potest enim per eandem vtrobique conseruari, ponendo illam in vtroque loco, vbi ponitur terminus, sicut necessario dicendum est in angelo, & in anima existente in toto, & in qualibet parte, & in eodem angelo, & in quouis corpore, quando localiter mouetur: eadem enim actione substantiali conseruatur à Deo, quæ prout est in termino, sequitur illud quocumque ierit, & similiter desinit esse in alio loco, quia corpus illum amittit. Si autem res ipsa posset in vtroque loco manere, etiam actio substantialis in vtroque constitueretur: Sola ergo mutatio locali per diuinam potentiam facta, sufficeret ad acquirendum locum illum, non perdendo priorem, quia illi duo termini in ordine ad diuinam potentiam non repugnant: vnde illa mutatio non esset proprie inter terminos positiuos, scilicet, ex vno loco ad alium: sed inter priuatiuos, scilicet, ex non esse ibi, ad esse ibi: ergo similiter in præsentia mysterio fieri poterat, quia specifica præsentia diuersitas nihil refert, cum eadem sit ratio & proportio inter mutationes & terminos.

Dices, potest assignari differentia, quia fortasse non potest corpus Christi eadem actione substantiali hic conseruari, quia conseruatur in cælo, sicut potest corpus in duobus locis quantitatiue existens. Respondeo, hoc esse per accidens ad præsentem qualificationem, & ideo non esse hic examinandum, quod tamen præstabitur infra, tractantes de transubstantiatione, nam ad præsentem difficultatem sufficit, quod præcedat, etiam si fingamus Christum esse in cælo eo modo, quo est in sacramento, vel per eandem substantialem actionem. Neque obstat huic mutationi, quod per eandem acquiratur locus distans, sine transitu per medium: Nam hoc totum potest cadere sub diuinam potentiam: imo multi cæsent, Angelum id posse facere naturaliter: Quid ergo mirum, quod posset Deus idem facere in corporibus? Præ-

Franc. Suarez Tom. 3.

fertim, quia, cum in hac mutatione non deseratur vnus locus ad acquirendum alium, non est proprie transitus à loco in locum, in quo videatur requiri transitus per medium, sed est quasi simplex productio noui loci, siue noua præsentia in subiecto præexistente, ad quam non est necessarius transitus per medium, cum non comparetur ad priorem terminum tantquam ad terminum à quo. Dices: Comparatur tantquam ad subiectum, quod inde adducitur, & ideo videtur debere adduci per medium. Respondetur, diuinam virtutem non esse ad hoc alligatam, cum in illo modo non sit repugnantia, vel implicatio, quia non fieret tunc mutatio successiua, sed simplex, ac momentanea acquisitio vnius præsentia sine amissione alterius.

Denique non obstat, quod corpus Christi simul acquirat multas ex his præsentia, hinc enim solum fit, debere etiam ibi intercedere mutationes distinctas pro diuersitate terminorum, cum quibus identificatur: omnes tamē esse poterunt eiusdem rationis, scilicet, per modum mutationis locali acquisitiua: sicut enim non repugnat, idem corpus habere simul multas præsentia huiusmodi, ita non repugnat illas simul acquirere.

Vnde tandem concludo, per hoc genus mutationis potuisse hic poni corpus Christi, sine desitione substantia panis, quia neque ex formali ratione talis mutationis essentialiter requiritur illa desitio, cum mutatio locali per se non transmutet substantias, neque ex ipsarum rerum impossibilitate necessario sequitur: ostensum est enim non esse inter eas formalem repugnantiam, præsertim in ordine ad diuinam potentiam.

Ad rationem D. Thom. quatenus contra nostram sententiam fieri potest: iam responsum est. Ad auctoritatem eius fateor difficile responderi posse, non negando illam, quia, si dicamus, locutum esse proprie ac naturali motu locali, ac de propria conseruatione, non video quomodo sufficeret numeret omnes modos posibles, quibus præsentia corporis Christi fieri poterat, & consequenter quomodo recte concludatur, si vero cum Caietano, & Soto dicamus, locutum esse de absoluta potentia, & non de ordinaria, non videtur vitari difficultas: nam, cum hoc mysterium per absolutam Dei potentiam factum sit, si non ostenditur omnis alius modus impossibilis de potentia absoluta, quomodo potest concludi, alium modum esse necessarium? Item cur dicemus, vnum modum magis, quam alium esse de potentia ordinaria, vel absoluta, nisi quia Christus voluit hoc modo potius facere, quam illo? nam secundum se omnes sunt supernaturales, & miraculosi, & si Christus elegerit alium ex positis à nobis, ille nec certe diceretur possibile secundum legem ordinariam. Nihilominus tamen hæc expositio D. Thom. necessario est admittenda: nam fere in omnibus articulis & quæst. sequentibus similibus rationibus vitur, quæ necessario ita explicandæ sunt, ut videbimus: sensus ergo illius in tota hac materia fuit, primum, ut in tota hac materia nullum miraculum admitamus, quod in verbis, quibus conficitur, non necessario contineatur & inferatur ex illis, ac deinde, quoad fieri possit, pauciora multiplicentur miracula. In præsentia ergo supponit ipse, Deum non facere nouas rerum creationes, & ideo recte sumit rem, quæ alicubi non est, solum posse ibi constitui per actionem localem, vel conseruationem, quia in rebus non inueniuntur alij modi, & cum alter illorum hic sufficiat, non oportet addere noua miracula: comparando autem illos duos modos inter se, iudicauit D. Thomas plura multiplicari miracula, si ponatur, hoc fieri per mutationem localem, quod est probabile: examinabitur autem amplius disputatione sequente.

Ad secundam rationem Capreoli respondeo, esse ad argumētum nullius momenti: quia corpus Christi nunc de facto est in Capreoli.

Ccc

est li.

Altera obiectio cum sua solutione.

Responsio ad rationem & auctoritatem D. Thom.

est hic præfens per suam substantiam, & per suam quantitatem, non quantitativè, sed concomitantem substantiam, & imitantem illam in modo præfentia: ipsa tamen præfentia revera inest in ipsa substantia, & quantitate: in utraque tamen immediate, & hoc sensu dico, esse præfentem per suam substantiam & consequenter quantitas. Ratio autem formalis existendi hic, est ille intrinsecus modus præfentia, qui licet in sit quantitati, non tamen est quantitativus, quia non est connaturalis quantitati, sed supernaturalis. Hoc autem totum dici posset, etiam si cum præfentia Christi maneret substantia panis. Cum autem dicit, substantiam secundum se abstrahere à quantitate, & consequenter ab actione, & consequenter à præfentia, male infert in utraque consequentia: Tum, quia substantia spiritualis per se est capax præfentia, etiam si nihil agat: Substantia autem materialis, quantum naturaliter illam non habeat, nisi per quantitatem: tamen supernaturaliter potest illam recipere per se, & immediate, vel cum quantitate, vel sine illa, pro Dei arbitrio: Tum etiam, quia licet substantia materialis abstrahens à quantitate, naturaliter non sit capax actionis, tamen supernaturaliter potest illam habere, ut nunc de facto habet corpus Christi sub speciebus, & potest habere, etiam si ibi maneret substantia, si aliunde ex parte actionis, vel termini non ponatur aliquid repugnans.

Ad argumentum Ferrar.

Ad tertium Ferrariensis, quod est infirmius, respondetur, relationem præfentia non fundari in conversione, quæ in instanti sit, & transit, quæq; non tantum includit præfentia acquisitionem, sed etiam positionem alterius rei: quæ defectio per accidens se habet ad hanc relationem, quæ per se, & immediate solum fundatur in modo existendi corporis Christi, qui nunc sit, vel resultat per conversionem. Unde, si ille idem modus per aliter d genus actionis, vel mutationis fieret, eandem relationem fundaret: ostensum autem est, eundem modum præfentia posse fieri sine conversione: sicut corporibus, fundamentum elationis propinquitatis est ipsum Vbi: quod vero tale Vbi per se acquisitum sit per motum localem, vel consecutum per creationem, vel generationem, nihil refert ad relationem illam.

Ad argumentum Bonau.

Ad quartum Bonaventurae & aliorum respondetur, corpus Christi incipere esse hic sine mutatione, quæ perdat aliquid eorum, quæ habet in celo, non tamen sine mutatione, quæ acquirit aliquid in sacramento, & hanc mutationem posset separare Deus à mutatione substantia panis, ut dictum est.

SECTIO II.

Vtrum de facto desinat substantia panis sub speciebus, post consecrationem.

In Eucharistia manere substantiam panis simul & corpus Christi asserunt hæretici Guidmund.

Omnes hæretici, qui negarunt præfentiam corporis Christi, asserunt, substantiam panis manere: sed & Berengarius, postquam realem Christi præfentiam confiteri coactus est, in alium incidit errorem, ut Christum simul cum substantia panis esse diceret: ita colligitur ex Guidmundo libro primo de hoc mysterio in principio, & fortasse, cum in prioribus Concilijs coactus esset præfentiam Christi fateri, postea in Concilio Romano sub Gregorio septimo etiam conversionem substantialem confiteri compulsus est, ut notat VValdensis tomo tertio capitulo 43. & Laurentius Surius 3. tom. Conciliorum, in fine Concilij Romani, sub Nicol. II. In quo errore advertendum est, dupliciter affirmari potuisse. Primo, ut sit sensus, corpus Christi esse simul cum substantia panis secundum intimam præfentiam & aliquam accidentalem habitudinem. Secundo, ut non solum sint simul, sed etiam substantia

panis sit ibi hypostatice unita Christo: non constat autem, quo sensu Berengarius eum asseruerit: magis tamen videtur priorem sensum tenuisse, quem ferunt, secutum esse Valerianum illum, ad quem Anselmus scripsit epistolam de fermentato & azymo, & de differentia sacramentorum, ut refert VValdensis supra capitulo 65. Et eundem errorem tenuit Ioan. Hus. Ut colligi potest ex Concilio Constantiensi sessione decima quinta. Lutherus etiam, quem multi ex suis sunt secuti, hanc hæresim excitavit. Fundamentum horum esse potest, quia ad veritatem verborum Christi, Hoc est corpus meum, & Caro mea vere est cibus, & similia factus est, Christum esse præfentem, quamvis substantia panis adit. Ergo non est cur hoc negetur. Patet consequentia, quia non sunt miracula sine necessitate multiplicanda. Hanc autem nulla est necessitas, cum ostensum sit, potuisse utraque substantiam simul manere: nec ad mysterium, neq; etiam ad finem mysterij, vel utilitatis eius: nam sola præfentia Christi ad omnia sufficit. Et confirmatur, primum, quia in Scriptura sæpe hoc sacramentum vocatur panis. Ioan. 6. Panis, quem ego dabo, caro mea est: manet ergo panis, qui dicitur caro propter intimam conjunctionem & generationem, & sicut ferrum ignitum solet vocari ignis. Quo exemplo vtrius Damasc. lib. 4. de Fide. cap. 14. sic Actor. 2. Damasc. lib. 2. de sermone Domini, cap. 11. & Damasc. supra. Confirmatur secundo testimonij Patrum, in quibus tria sunt, quæ videntur difficultatem habere. Primum est Gelaf. lib. 2. cont. Eutyche in fine, Sacramentum inquit corpus & sanguinis Christi diuina res est, & tamen esse non desinat substantia vel natura panis & vini. Alterum est Chrysost. epist. ad Casar. monach. ubi inquit. Post consecrationem liberari panem ab appellatione panis, & dignum fieri appellatione Domini corporis etiam si natura panis in ipso permaneat. Tertium est Theod. dial. 1. non longe à principio. Symbola & signa quæ videntur, nomine corporis & sanguinis honorantur, non naturam mutans, sed naturæ gratiam adiiciens. Et alia verba similia ex dial. 2. tractauimus supra, disput. 8. sect. 4.

Secundus error affirmat, manere naturam substantialem panis, non autem eius suppositum, sed illam naturam hypostatice unitam Christo. Huius auctorem fuisse Iohann. quendam Parisiensem refert VValdens. supra, & sunt, qui existimant. Rupertum Abbatem fuisse huius sententiæ auctorem, quia in eorum libro de diuinis officijs, qui illi tribuuntur, lib. 2. c. 9. inuenitur hic error: auctor autem illius operis, licet prius ignoratus fuerit, & postea existimatus fuerit fuisse Valeran. ut patet ex VValdens. supra cap. 47. & 93. tamen reuera fuit Rupertus, ut constat ex Trithemio, & ex communi omnium consensu: in prædicto autem capite habentur eadem, quæ VValdens. Valeriano tribuit: & licet ipse Valerianum referat in sensu primi erroris: tamen verba Rupertus videtur hunc posteriorum indicare. Adde, quod eodem lib. 2. cap. 2. sic inquit. Nec duo corpora dicuntur, aut sunt, hoc, quod de altari, & hoc, quod acceptum est de vtero Virginis, quia videl. vnum idemque Verbum factum est in carne & hic in pane: Circa quæ verba advertendum est, hunc errorem tribus modis, potuisse affirmari. Primo, quod hic sit caro Christi, & illi immediate unitur hypostatice panis substantia; Verbo autem media carne, & hoc modo videtur asseruisse hunc errorem. Ioan. Parisiens. Secundo, quod hic sit caro Christi, panis vero natura non unitur illi immediate, sed Verbo, & ita maneat inter se unita hypostatice, & hunc sensum in nemine explicatum inuenio, licet insinuetur à Ruperto in aliquibus locis citandis. Tertio, quod caro Christi humana, reuera, non sit hic, sed sola natura panis assumpta

sumpta hypostatice à Verbo, ratione cuius vnionis dicitur corpus Christi, & hunc sensum videtur indicare Rupert. in citatis verbis, & in aliis, quæ subiungit, Vnitatem Verbi vnitatem efficit sacrificij: similiter n. vnum verbum, & olim carnem de Maria Virgine sumptis, & nunc de altari salutarem hostiam accipit, & in dicto c. 9. Verbum, q. humanam acceperat naturam, idem in carne manens panis & vini accipiebat substantiam, vita media panem cum sua carne, & vini cum suo iungebat sanguine. Vbi sentit, panem & carnem Christi vniri inter se, medio Verbo. Idem I. 5. in Ioan. circa illa verba. Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Sicut Verbum caro factum est, non mutatum in carnem: ita Verbum caro factum, panis visibilis fit, non mutatum in panem, sed assumendo, & in vnitate personæ suæ transferendo panem, & lib. 2. in Exo. c. 10. Totum attribuat operationi Spiritus S. cuius effectus nō est destruere, vel corrumpere substantiam, q̄ in suos vsus assumit substantiæ bono permanenti, q̄ erat, inuisibiliter adicere, quod non erat, sicut naturam humanam non destruxit, quādo eam assumpsit, sic substantiam panis & vini, secundum exteriorem speciem, quæque sensibus subiectam non mutat aut destruit, cum eidem Verbo in vnitate corporis eiusdem, q̄ in cruce pepēdit, & sanguinis, quem de latere suo fudit, ista coniungit. Picus etiam Mirādul. in Apol. q. 6. quamuis absolute hunc errorem nō defendat, existimat tamen, non repugnare Scripturis, & abstrahendo à Conciliis, & Patribus, esse sufficientem ad omnia, quæ Scriptura dicit de hoc mysterio, & hoc videtur esse fundamentum potissimum huius sententiæ, quia veritas illorum verborum, Hoc est corpus meum, propriissime saluatur hoc modo. Et confirmatur, quia Sancti Patres in hunc modū videtur explicare interduum hoc mysterium. Euseb. Emis. Hom. 5. de Pasch. Ambros. lib. 4. de sacramentis, c. 4. Iustin. Apolog. 2. Sicut per Verbum Dei caro factum, Iesus Christus carnem & sanguinem pro salute nostrā habuit: sic etiam per verbum precationis, sacramentam ab ipso alimoniam illius Incarnati Iesu carnē, & sanguinem esse didicimus. Difficilius Damasc. li. 4. c. 14. Quoniam ita fert hominum vsus atq̄ consuetudo, vt panem edant, vinumq̄ & aquam bibant, idcirco diuinitatem suam cum ipsis coniunxit, eaque corpus & sanguinem suum fecit. Alia refert Claudius repetitione octaua, capitulo quarto. Rursum confirmatur, quia inter Christum & panem est idiomatum communicatio: ipse enim Christus dicitur panis, & panis dicitur caro Christi: Ex hac autem communicatione hypostatice vnionem in mysterio Incarnationis colligimus.

Dicendum est ergo primo: panis substantiam non manere in hoc sacramento vnitam hypostatice verbo Dei. Hac conclusio est de fide, quam testimoniis statim confirmabimus. Rationibus vero late illam confirmat Durandus distinctione 10. quæst. 1. Paludanus distinctione 11. questione 2. Probatur tamen breuiter, quia, vel illa vnio facta esset immediate inter substantialem naturam panis, & Verbum, aut inter corpus Christi, & naturam panis: At neutrum dici potest. Probatur prior pars, primo, quia alias ita esset Verbum impanatum, sicut fuit incarnatum; quod est absurdissimum, & inaudium in Scripturis & Patribus. Quis enim dicat, Verbum tam vere ac proprie esse panem, sicut est homo? & cum in natura humana semel rātum incarnatum fuerit, in natura panis quoti die impanari? Secundo, interrogo, ad quid ponatur hæc hypostatice vnio, inter panem & Verbum? Dices, vt fit vera illa locutio: Hoc est corpus meum: nam ibi designatur panis, vnde necesse est, vt adit: vt autem illi cōuenire possit tale prædicatum, necessarium est esse vnium Verbo. Sed contra, quia, si propter hanc solum vnionem esset vera locutio: Hoc est corpus meum, ergo ex vi illorum verborum non esset hic realiter præsens corpus humanū Christi:

Franc. Suarez. Tom. 3.

nam, si illud, Hoc, designat panem, qui dicitur corpus Christi, propter hanc vnionem, eodem modo dici posset, etiam si corpus humanum Christi hie nō adesset: consequens autem est hereticum, vt supra ostensum est, & repugnat verbis à Christo subiūctis, Quod pro vobis tradetur: quia etiam si panis fuisset assumptus, non posset dici corpus, quod pro nobis traditū est in cruce. Nisi fortasse aliquis dicat, illud verbum, tradetur, nō esse referendum ad passionem, sed ad ipsam sacramentalem distributionem. Quod posset quidem accommodari Luc. dicenti: Quod pro vobis datur. Sed nihilominus prior sensus est verior, magisq̄ à Christo intentus, vt ex ipso mysterio, & ex omnibus Patribus constat, atq̄ ex verbis illis Ioan. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: nam propter solum vnionem in eodem supposito nō posset panis appellari caro: sicut non potest corpus Christi appellari anima. Ac præterea ex verbis calicis, Hic est sanguis meus, euidentius hoc constat: nam licet vinum esset hypostatice vnium Verbo, non posset dici sanguis Christi propter solum vnionem, sicut caput Christi non posset dici pes, vel manus eius, licet omnia sint immediate vnita Verbo: quia hæc voces, quæ significant partes, nō supponunt pro supposito, in quo fit idiomatum communicatio. Et eadem ratione, licet Verbum assumeret duas naturas, Angelicam, verbi gratia, & humanam, non posset vna de alia prædicari, licet inter concreta esset communicatio idiomatum: ergo ad veritatem illorum verborū necessaria est realis præsentia sanguinis, & corporis. Quod si dicas, esse quidem hæc realiter præsentia simul tamen vnita panī in eadem persona: hoc facile excluditur, tum ratione facta de vnione hypostatice: tum quia tollitur hoc modo omnis ratio transubstantiationis, & conuersionis, contra doctrinā Ecclesiæ: tum etiam, quia ex illo errore sequitur, ad veritatem horum verborum præfite, Hoc est corpus meum, nō esse necessariam realem præsentiam corporis Christi, quod est contra fidem. Quocirca ille sensus explicatus iuxta dictum errorem omnino est falsus atq̄ confictus: imo in rigore non est verus propter solum vnionem hypostatice vnium Verbo, vt parim ex dictis constat, & ex dicendis circa secundam conclusionem magis declarabitur.

Posterior pars, scilicet, non potuisse substantiam panis vniri hypostatice Verbo diuino, medio corpore Christi, probatur primo rationibus illis generalibus, quia alia vnio hypostatice præter Incarnationem, inaudita est, tum, quia hoc modo tollitur conuersio, & transubstantiatio: tum etiam, quia neq̄ illa vnio satis esset, vt panis diceretur corpus Christi, aut vinum sanguis. Secundo, speciali ac propria ratione: quia vnio hypostatice non fit in natura, sed in persona, seu substantia: in Christo autem homine abstracta seu præcisa substantia Verbi, nulla manet substantia in humana natura, sed sola natura: ergo non potest fieri vnio hypostatice immediate in tali natura, seu in corpore, aut in partibus eius: sed, si aliqua fit, necesse est, vt immediate fiat in substantia Verbi, tanquam in termino vnionis, vt prior dicendi mod⁹ assererat, qui improbat⁹ est.

Dico secundo, substantia panis, vel suppositum eius nullo modo manet in hoc sacramento. Hanc conclusionem docuerunt omnes Scholastici cum D. Thom. hic, & Magist. in 4. d. 10. & 11. quæ etiam est ab Ecclesia definita de fide, primum in Concilio congregatis contra Berengarium, de quibus supra dictum est. Solum est in eis considerandum, in prioribus Conciliis non fuisse hoc tam aperte declaratum: quia Berengarius nondum mentem suam, & errorem hunc satis prodiderat: postea vero ad retractandum hunc errorem coactus est in Concilio Romano sub Gregor. VII. conuersionem substantialem expresse confiteri, vt notarunt VValdens. tom. 2. de sacram. c. 43. Surius 3. tom. Concil. in Scholio ad Concil. Rom. sub Nicol.

Conclusio de fide Substantia panis & vini nullo modo manet in hoc sacramento. Magister.

Conc. Rom. VValdens. Surius.

Debetur
Ador. a
1. Ceruic
Mauri
Cyprian
August
Colum
Cary
Theob

Anros
Inim

Danz

Aluon
dicitur
Chyph
Ferdin
concep
Iustit
uatur

Substantia pa
ni & vini nō
est vnio
nra vnita
Verbo diuino
no.
Durand.
Paludan.



Conc. Later. II. Apertius hanc tradidit veritatem Conc. Lateran. sub Innoc. III. & habetur in cap. Firmiter, de Summ. Trinit. & fide Cathol. Deinde in Constantinensi, sess. 8. vbi damnantur errores VVilcei. dicentis manere in Eucharistia substantiam panis & vini, & accidentia panis non esse sine subiecto. Refert etiam Ioann.

Cochlaus. Cochlaus in historia Hussitarum, libr. 1. anno 1413. fuisse congregatum Concil. Romanum contra Ioan. Hus: & eisdem errores in eo fuisse damnatos. Idem tradit Concil. Florent. in Literis vnionis, & Trident. sess. 13. cap. 4. & Can. 2. Secundo probatur hæc veritas ex Sanctis Patribus: omnes enim qui nomine conuersionis, transmutationis, vel transubstantiationis, vti sunt, hanc veritatem supponunt: citabimus autem illos disputatione sequente. Expressiora vero testimonia sunt sequentia. Primum, Irenæi libr. 4. cap. 34. Qui est antea panis, percipiens inuocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena, & celestis: ex corpore Christi: & accidentibus panis. Secundo, Iulian. Apol. 2. in fine, Non vt vulgarem panem, & commune poculum hæc sumimus: & infra dicit hæc mutari per verbum precationis. Tertio, Cyril. Hierosol. Catech. 3. mystag. Hoc faciens, ac pro certissimo habens, panem hunc, q. videtur, non esse panem, et si gustus panem esse sentiat.

Cyriil. Hier. Quarto, Chryl. Hom. de Euchar. in eoeniis, Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadit? absit: ne sic cogites, &c. Quibus euidenter hanc veritatem confirmat. Quinto, Greg. Nis. lib. de Sancto baptisimo, non longe ab initio. Panis iste panis est in initio communis: sed vbi eum mysterium sacrificauerit, corpus Christi dicitur & est. Euf. Emill. Hom. 1. de Paschate, Antequam consecratur, substantia illi est panis & vini: post verba autem Christi, corpus & sanguis eius est: nec dubitet quisquam nutu potentia, & præsentia maiestatis, in Domini corporis transire posse naturam, cum ipsum hominem videat artificio celestis misericordiae Christi corpus effectum. Septimo, Ambros. de sacram. cap. 4. Panis hic, panis est ante verba sacramentorum: sed vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi, & lib. de myster. cap. 19. Probemus igitur, non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremq. vim esse benedictionis, q. nature: quia benedictione ipsa natura mutatur. Et in c. Omnia, de Consecrat. d. 2. ex Ambr. hæc verba referuntur, Licet figura panis & vini hic sit, nihil tamen aliud, q. corpus Christi & sanguis post consecrationem credendum est. Quæ licet non ad verbum, in sententia sumpta sunt ex lib. 4. de sacr. c. 4. & 5. & l. 6. c. 1. Octauo, Aug. in c. v. trum sub figura, de Consec. dist. 2. Fideliter fatemur ante consecrationem panem esse, & vinum, q. natura formauit: post consecrationem vero carnem Christi, & sanguinem esse, quod benedictio consecrauit. Et ser. 28. de verbis Domini. Ante verba Christi, quod offerretur, panis dicitur: vbi Christi verba de propta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur: & ibid. ait vocari hunc panem, non communem, sed supersubstantialem. Sunt etiam optima verba Augustini, quæ refert, & se vidisse testatur VValdenf. to. 1. de sac. c. 83. ex tractatu Aug. de corpore & sanguine Domini. Nec dubitare debet aliquis, quod panis & vinum mutantur in veram substantiam Christi, ita vt non remaneat substantia panis vel vini. Nono, Remig. Pfal. 21. Panis, inquit, & vinum à Christiana veritate dicuntur, non q. naturam panis, & vini post consecrationem retineant, sed q. nutriant. Decimo Beda li. de myster. Missæ, Ibi forma panis videtur, vbi substantia panis non est. Vndecimo, Bernard. de Coena Domini, Hostia, q. vides, iam non est panis, sed caro mea: similiter liquor iste, quem vides iam non est vinum, sed sanguis meus: quem admodum illic species cernuntur, quarum res vel substantia ibi non esse creduntur: sic res veraciter, & substantialiter creditur, cuius species non cernitur. Denique Petrus Cluniacensis, contra Petrobrufi-

nos, dicit: refernari species panis, & vini, vt appareat in ipso sacramento panis, & vinum quod non est & lateat oculos carnis caro & sanguis, quod est. Vnde Claud. repetit. 9. Ruard. artic. 4. Alan. libr. 2. capit. 34. Bellarm. lib. 3. cap. 18. & seq.

Tertio, fundamentum huius fidei sumitur à grauioribus Theologis ex verbis Christi: Hoc est corpus meum, vt videre licet in D. Thom. hic, & in 5. contra Gentes capite 63. & in 4. distinctio 11. quaest. 1. & aliis Theologis ibi, vno vel alio exceptis, & in aliis recentioribus, & ab omnibus ita explicatur: Quia, si maneret panis, finita consecratione, non posset vere dici, Hoc, quod in manibus habent, esse corpus Christi, sed solum dicere potuisset Christus: Hic est corpus meum: illud enim pronomen hoc, quod substantiale est, præsertim substantiæ sumptum, non potest per aduerbium locale explicari, quia non esset expositio sed corruptio proprie significationis vocis: Non ergo designat locum, sed substantiam præsentem, & sub accidentibus contentam: ergo, si ibi maneret substantia panis, ex vi iuxta significationis designaret illam: Ergo reddetur tota propositio falsa, quia falsum est dicere, panem esse corpus Christi, sola enim intima præsentia non satis est, vt vnum possit de alio vere prædicari. Quando enim Christus exiit de vtero, vel de sepulchro, intime erat præsens cum lapide, quando in illo erat penetratiue, & tamen non poterat vere dici, signato lapide, Hoc est corpus Christi: Ergo etiam si intercederet aliqua vnio, si illan non esset hypostatica, non satis esset ad veritatem, & proprietatem illius sermonis, vt anima non dicitur corpus, nec signato corpore vere dici potest, hoc est anima, etiam si intime sit illi præsens & vnita, quia si non sit identitas inter Prædicatum, & Subiectum saltem in supposito, pro quo vtrumq. supponit, non potest vere vnum prædicari de alio, vt in Dialectica est, principium per se notum, & in Theologia fides mysterij Incarnationis hoc principio potissimum nititur, & multa etiam, quæ ad mysterium Trinitatis spectant, & de hoc mysterio idem ostensum est supra dist. 8. vbi exclusimus metaphoras, & ad improprias interpretationes, ad quas etiam hoc loco hæretici recurrunt, in quibus refellendis, quia eiusdem rationis sunt, amplius immorari non expedit.

Sed hæc ratio non conuincit Scotum in quarto distinctio 11. quaest. 3. nec Durandum quaest. prima, num. 14. nec Paludan. quaest. num. 24. dicunt enim, quamuis sub speciebus maneret substantia panis, dummodo cum illa simul adesset substantia corporis Christi vere ac proprie potuisset à Christo dici: Hoc est corpus meum: quia potuisset per illud pronomen designari id, quod speciebus continetur, & illud reuera esset corpus Christi, quamuis etiam esset substantia panis. Quod si dicas facta illa hypothesi non solum corpus esset contentum sub speciebus, sed etiam aggregatum ex corpore & substantia panis: hoc autem totum aggregatum non posse vere dici corpus Christi: respondebunt: non oportere, vt hoc pronome demonstraret totum id, quod sub sensibilibus accidentibus continetur, sed ex intentione loquentis posse, salua omni proprietate, & veritate verborum, quando res plures sub eisdem accidentibus continentur, designari, ac determinari pronomen illud ad designandam vnã, & non aliam rem: præsertim quando ea res, quæ signatur, est præcipua, & maioris estimationis, sicut, signato marsupio, vere dicimus, hoc est aurum, quamuis aliquid argenti ibi etiam inclusum sit. Adde, quando substantia vna intra aliam continetur, recte designari pronome, hoc, etiam si sola substantia continens per sua accidentia sensibus obiciatur, vt prædictis exemplis constat. Posset autem hic manere substantia panis, & intra illam contineri corpus Christi, atque ita in ea, seu per eam designari. Sed horum authorum sententia & multum fauet huius temporis hæreticis, & nullo modo defen-

Trident.

Societatis
vniuersitatis
de iustitia
et de iudicio
ad
panem Christi
panem expun-
gunt.

Ensi.

propria.

Scoti.
Dicitur
Dei.

Epoca.

Epoca.

defendi potest. Nam Concilium Tridentinum sessio. 13. cap. 1. expresse probauit, praedictum fundamentum & verborum Christi expositionem dicens. Quoniam Christus redemptor noster, corpus id, quod sub speciebus panis offerrebat, vere esse dixit, id eo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, conuersionem fieri totius substantiae panis, &c. Quibus verbis aperte docet, ex veritate verborum Christi collegisse Ecclesiam definitionem substantiae panis: ergo ex veritate verborum, prout ab Ecclesia intellecta sunt, colligitur absentia panis. Et confirmatur, quia si nec sola praesentia sacramenti corporis Christi, nec veritatis verborum eius absentiam panis postulant, gratis & sine fundamento videretur hoc assertum ac persuasum Ecclesiae. Dicit tamen potest, Ecclesiam non fundari in veritate verborum secundum omnem sensum, quem habere possunt per se, & nude sumpta, sed secundum illum sensum, quem Ecclesia intellexit. Sed licet hoc sit probabile, nihilominus verisimilium etiam est, Ecclesiam interpretatam esse illa verba in sensu maxime proprio, quem verba praese ferunt. Vt autem intelligatur vis huius rationis, & satisfiat objectionibus, supponendum in primis est, illud pronomen hoc, applicari posse, vel ad rem, quae natura sua, aut ex arte & versu aliam continet, & tunc in propria significatione designare posse substantiam contentam sub alia substantia, vt patet in exemplo adducto de maris pro, & idem est de dolo, cum dicimus, hoc est vinum, vel oleum, interdum vero applicatur rei seu substantiae, quae non est apta continere aliam, vt est, verbi gratia, triticum, & res similis, & tunc ex vi & proprietate sua, designat illam substantiam, quae proxime sub illis accidentibus continetur, neque potest aliam designare, sermonis proprietate, ac veritate retenta: quia vt supra diximus, pronomen hoc, prout in hac forma vsurpatur, est signum sensibile demonstrans rem ad sensum, & non indicat directe & proprie ipsa accidentia (nisi fortasse praedicatum interdum hoc requirat) sed demonstrat substantiam materialem, sub accidentibus latentem, ac proxime sub illis contentam. Vnde, quando talis substantia de se non est apta ad continendam aliam, nec accidentia nata sunt continere talem substantiam, ex vi illius vocis designatur illa substantia, quae sub talibus accidentibus continetur: Cum ergo panis de se non sit res apta nata ad continendam aliam, neque in hunc vsu assumi soleat, si sub accidentibus illius adest substantia panis, illa demonstratur ex vi & proprietate talis pronominis. Et declaratur: nam si quis in pomum, aurum includeret, & deinde diceret, hoc est aurum, in proprio & simplici sermone non censeretur verum dicere, quia, cum pomum non sit de se res apta, nec vsurpata ad continendam aliam, absolute censeretur demonstrare id, quod proxime sub accidentibus pomi continetur, simile autem est in praesente.

Dices, hoc argumento probaretur, non posse vltimo modo designari in proprietate sermonis, corpus Christi sub ratione substantiae contentae sub his accidentibus, quia illud pronomen natura & vi sua designat substantiam, quae sit proprium subiectum illorum accidentium: haec enim est vltima significatio, & intelligentia illius vocis. Respondetur, hinc potius confirmari, quod intendimus, quamdiu enim sub illis accidentibus substantia panis continetur, non potest excludi a propria & vltima significatione, ac demonstratione illius pronominis, postquam vero illa in aliam conuertitur, quae vice illius sub eisdem accidentibus subest, iam non substantia panis, sed illa, quae loco illius substituitur illo signo proprio demonstratur: quia nihil aliud est, quod ibi iam demonstrari possit. Denique confirmatur, quia cum pronomen hoc, substantiam ipsam sub accidentibus praesentem ostendat, & non locum, vel partem eius (nisi admittatur magna improprietate, & aequiuocatio

Franc. Suarez Tom. 3.

tio) de se cadit in totam substantiam sub accidentibus contentam, ac totam illam demonstrat, & ideo, qui demonstrato ligno, diceret, hoc est materia prima, factum est in rigore dicere, quia, licet ibi sit materia, tamen illud torum, quod ibi continetur, non est materia: si autem Deus, ablata forma, sub illis accidentibus conseruaret solam materiam, iam vere diceretur, hoc est materia, quia, licet illa accidentia de se non sint nata illam solam continere, tamen hic, & nunc, iam de facto nihil aliud continent: ita ergo dicendum est in praesenti. Denique licet demus haec omnia per se non sufficere ad conuincendum intellectum, tamen vt supra dicebam, nemo negare potest, quin hic sensus sit proprius, & simplicior: Ecclesia autem a Spiritu sancto edocita intellexit, Christum Dominum in hoc sincero ac proprio sensu fuisse locutum, & non sine mysterio fuisse vltimum illis pronominibus ad suam substantiam sub accidentibus designandam accommodatis. Huic rationi addi possunt cogruentia. Prima, quia non expediebat ad significationem huius sacramenti ibi manere substantiam panis cum corpore Christi: necessarium enim erat, vt substantia ibi manens per sua accidentia primario significaretur: decuit autem solum Christum significari, ita, vt quarenti, quid hoc sit, simpliciter respondeatur esse corpus Christi, non panem. Secundo, hoc decuit propter adorationem, vt simpliciter & absolute exhiberi posset, sine vlla occasione & periculo erroris, & idololatriae, vt recte D. Th. exposuit. Tertio, vt hoc modo mysterium hoc esset mirabilius, magisque declarans diuinam potentiam, ac denique, vt Christi caro, quasi substituta loco substantiae panis, quodam modo magis proprio ferret panis, ac cibus noster iuxta illud. Panis, quem ego dabo, caro mea est. Et ex his omnibus intelligitur, doctrinam datam procedere, tam de tota substantia panis, quam de singulis partibus integrantibus illius, quia, quando consecratur tota hostia, singula partes coelebantur, & transmutantur in corpus Christi, quod totum sub singulis partibus specierum existit.

Ad fundamentum igitur primi erroris, negatur, Ad fundamentum veritatem verborum Christi proprie ac simpliciter esse posse subsistere, si substantia panis sub speciebus manere dicatur, vt declaratum est. Ad primam confirmationem primo iam responsum est, materialem panem non posse vere ac proprie dici corpus Christi, neque ad hoc sufficere inuicem praesentiam, neque Damascenus ad hoc vtiur exemplo carbonis igniti, sed ad declarandum, hunc coelestem panem esse corpus Christi diuinitati vnicum. Vnde dicitur secundo, hoc sacramentum interdum vocari panem, vt supra etiam, (cum de nominibus eius ageremus) notauimus primo, quia ex pane confectus est, & speciem & figuram sensibilem panis refert, & panis vsu retinet: cibatur enim hominem & nutrit. Ita Remig. supra. Et in Scriptura saepe res, quae fit per conuersionem, ac mutationem alterius in ipsam, appellatur nomine rei conuersae, vt Ioan. 2. Cum vidisset Architracinus aquam vinum factam, vbi ipsum vinum adhuc aqua appellatur: Sic etiam Exod. 7. Virga Aaron in serpentem conuersa, virga appellatur: & Genes. 2. Dixit Adam. Hoc nunc os ex oisibus meis. Secundo vocatur panis, quia in Scriptura sacra omnis cibus praesertim si sit solidus, ac perfectus hoc nomine solet appellari, quomodo manna, quod fuit potissima figura huius mysterii, panis vocatur Psalmo septuagesimo septimo, Sapientia 16. quoniam non absolute panis, sed cum addito, panis angelorum dicatur, quod etiam in hoc sacramento obseruandum esse supra notauimus. Quandocumque enim vocatur panis, aliquid additur, quod excellentiam huius panis indicet. Vnde dicitur tertio, ipsum Christum, qui sub specie panis datur, vocari panem vitae, coelestem, & super substantialem, vt notarunt Cyprianus, Augustinus & Damascenus supra relati.

Ccc 3

Vnde

S. Damasc.

Vnde Damasc. Cibus, inquit, panis ipse vitæ, hoc est, Dominus noster Iesus Christus, & similia habet Ambrosius, de sacram. cap. 4. & in cap. Omnia; de Consecrat. distinct. 2. dicens: Panem ipsum, quem sumimus in mysterio, illum utique intelligo, qui manu Spiritus sancti formatus est in utero Virginis, & igne passionis coctus in ara crucis. Vnde eleganter Hieronymus, super ad Titum 2. declarans verbum Græcum *ἐπιπέσει* interpretatur: id est, præcipuum, egregium, peculiarem, videlicet, qui descendens, ait: Ego sum panis vitæ, qui de caelo descendi, & similia habet Ezechiel. 18. circa illa verba: Panem suum esurienti dedit. Denique Christus ipse, Ioan. 6. videtur satis aperte ita exposuisse, tum citatis verbis, quæ ponderavit Hieronymus, tum in illis: Panis, quem ego dabo, caro mea est. Vnde Paulus, 1 ad Corint. Panis, quem frangimus, id est, quem sacrificamus & distribuimus, nonne communicatio corporis Christi est?

Responsio. Sed urgent Hæretici, quia Euangelistæ dicunt: Cœnantibus eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis. Vbi quatuor ponunt verba: accepit, benedixit, fregit, dedit, sed tria priora referunt ad verum materiale panem: ergo & ultimum. Respondetur primum, si verbum, benedixit, consecrationem significet, falsum esse assumptum, sed sensum esse, accepit panem, consecrauit ad id, in corpus suum mutauit, & tunc fregit ac dedit. Deinde, si concedamus, benedictionem illam non esse consecrationem, sed aliquid præuium, & similiter fractionem illam factam esse circa materiale panem, dicendum est, verbum illud, dedit, positum esse per anticipationem: prius enim dixit: Accipite, hoc est corpus meum. Vnde idem, sensus redit, scilicet dedit panem; non qualis antea erat, sed consecratum & ad sacramentalem usum, paratum, sicut Genes. 18. dicitur de Abraham. Tulit vitulum deditque puero, & coxit illum, & posuit coram eis: Vbi constat, non fuisse omnino eundem vitulum, quem tulerat, & quem posuit coram eis, sed substantialiter mutatum: tum, quia per modum viuis, & vna veluti continuata actione illa omnia fiebant; & circa eandem rem secundum externam speciem: ideo etiam eadem continuata serie verborum narrantur.

Ad secundam confirmationem, ex testimoniis Patrum. Primum erat ex Gelasio, ad quod primum dicitur, verisimilius esse, istum librum non esse Gelasii Papæ, quod aliqui in de coniectant, quia in Concilio Calcedonensi, cum multa alia ex Partibus contra Eutychetem referantur, nulla in eo fit mentio eius libri Gelasii. Sed melius sumerent coniecturam ex eo, quod author illius libri scribens contra Eutychetem, nullam facit mentionem Concilij Calcedonensis: Fuit enim Gelasius post illius Concilij tempora: vnde non ponderat opus eius à Concilio allegari: Si autem verisimile prætermisurum auctoritatem Concilij Ephesini & Calcedonensis, ac Leonis Papæ, à quibus ille error potissime dammatum est. Accedit, in eo libro multum laudari Eusebium Cæsariensem, cuius opera Gelasii Papæ inter apocrypha recensuit. Denique Theodoretus, qui antiquior est Gelasio Papa in dialogo contra Eutychetem, multa ex illo libello sumpsisse videtur, & ideo verisimile est, auctorem illius libri fuisse Gelasium Cæsariensem Græcum Scriptorem, cuius meminit Hieronymus, lib. de Scripturis Eccles. Ita opinatur Cano. libro 6. de locis, capite ultimo ad 9. & Claudius repetitio. 8. cap. 4. Secundo tamen hic exponi possunt illa verba, ut author Biblioth. Sanct. annotauit, non delineare naturam panis, quo ad proprietates & effectus panis, quia eodem modo nutritur sicut antea, quæ expositio eo facilius admitti potest, quod in aliis verbis ibi indicat transmutationem panis in corpus Christi, dum dicit, Panem & vinum in diuina transire. Ad verba secundo loco ibi citata ex Chryseadem expo-

S. Hieron.
Cano.
Claud.

sitio accommodari potest, præferim cum constet, Chrysostrum alius locis veram de transubstantiatione doctrinam docuisse, vt Hom. 83. in Matth. & sepe alibi: vera tamen responsio est, illum Iohannem Constantinopolitanum, cui illa epistola tribuitur, non fuisse Chrysostrum, sed quendam alium, vt late ostendit Claudius supra, & latius Turrianus lib. 1. de Trinitate Eucharistia cap. 18. Ad tertium ex Theodoro optime quadrat explicatio data, cum inquit, Non naturam mutans, scilicet quoad externam speciem & sensibilem: vere enim illa, quæ manent, sunt accidentia panis, quamuis non in pane maneat, sed sub illis positum sit corpus Christi: vnde ibidem ait. Non esse attendendum ad naturam eorum, quæ videntur, sed credendum mutationi, quæ hic fit ex gratia.

Ad fundamentum secundi erroris, primum, quod ad Rupertum attinet, Robertus Bellarminus Sotum reprehendit, quod Rupertum excusare voluerit ab errore: non solum enim putat, non posse excusari ab errore, sed etiam fuisse primum auctorem erroris de impanatione per hypostaticam vniõnem. Ego vero nec inuenio, vbi Soto cum excusauerit, nam positum in eo loco, quem ipse citat, scilicet in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 2. illi tribuit hunc errorem. Deinde censeo, non fore reprehensione dignum eum, qui varia huius authoris dicta obseruando, eum pie interpretari studuerit: sunt enim in prædictis eius locis multa, quæ indicare possunt, illum non habuisse erroneum sensum. Primo & præcipue, quia sepe vitur nomine conuersionis, maxime Iohannis 6. vbi sepius & verisime & elegantissime explicat hoc mysterium & tractans illa verba: Pater meus dat vobis panem de caelo verum, dicit: Panem in veram substantiam corporis Christi diuina virtute conuerti. Quod vero non loquatur de pane, quod fiat corpus Christi ratione vniõnis patet: tum, quia idem dicit de vino, scilicet verti in sanguinem, quod per solam vniõnem non possit esse verum, tum etiã quia dicit, illud corpus esse ipsum, & quod de caelo descendit, & sumptum est ex Virgine, quia Christus dixit, Hoc est corpus, quod pro vobis tradetur: quod etiam non potest verificari de corpore panis ratione vniõnis, vt nos etiam supra arguētabamur. Præterea ibidem dicit, hæreticos decipi, eo, quod panis & vinum nihil de externa specie mutarent, propter quod putant non esse vere facta corpus & sanguinem Domini: & subdit, Crede, quia panis iste sensibilis, & vinum, quamuis nihil de exteriori specie mutatum sit, in alium transierint, & in illum cibum potumque conuersa sint, qui Angelorum victus est. Denique tractans eadem verba, panis, quem ego dabo caro mea est, inquit, Panem, vt vitam eternam, in carnem suam transmutari: Nomina autem conuersionis, & transmutationis non videntur cum hypostatica vniõne quadrare: nunquam enim ille dixit, humanitatem esse conuersam in diuinitatem propter hypostaticam vniõnem: Videtur ergo posse pie explicari suppositis prædictis eiusdem authoris verbis, & coniecturis, si distinguamus in pane, substantiam & speciem sensibilem, & intelligamus, Christum esse factum panem, non materiale, sed panem vitæ, assumendo panem, non quoad substantiam, sed quoad speciem sensibilem, quam sibi aliquo modo vniuit. Vnde in citato loco Exod. aperte dicit, Panem secundum exteriorē speciem, quæ sensibus subiicitur, non mutatum in carnis saporem, nec vinum in sanguinis horem. Denique non minus expressa videntur verba Theodoret, & tamen pie exponimus propter alias eiusdem sententias. Cur ergo non poterit idem fieri in Ruperto? Postremo, si alicui videntur tam expressa verba Ruperti, vt expositionem non patiantur, non immerito: Potuit enim errare, si tamen errauit, culpa & pertinacia excusatur, quia nondum erat res ita aperte explicata & definita; quoad hanc partem de absentia substantiæ panis. Nam præsentiam corpo-

ris Christi ille nunquam negavit, & hoc ipsum ali-

quid de Theodoro respondit: Vnius enim, vel alterius Doctoris lapsus non potest Catholicae veritati praedudicare. Praeterea ergo auctoritate Ruperi, ad rationem factam negatur, proprietatem ac veritatem verborum Christi requirere hypostaticam unionem panis, vel cum ea sola saluari posse, ut probatum est. Ad sanctos vero Patres, comparantes hoc sacramentum cum mysterio Incarnationis, respondeo, eos vti illa comparatione, vel, ut vnum opus admirabile, ac diuini, vel, ut per quandam proportionem, & analogiam vnum per alium explicent: in tercedit enim quaedam analogia: quia Christus aliquo modo coniungitur accidentibus panis, & ratione illorum denominatur panis. Quod vero non intendat docere unionem esse similem, & eiusdem rationis, constat, quia docent Christum non esse materialem panem, quo corpus reficitur, sed coelestem ac diuinam reficientem animas, tenet ergo illa similitudo solum in hoc, quod, sicut in Christo sunt duae naturae, ex quibus constat, ita in Eucharistia sunt duae res, scilicet, corpus Christi, & species panis, ex quibus aliquo modo inter se coniungitur hic diuinus panis & Eucharistiae sacramentum coalescit, ut supra disputatione 4. ex Irenaeo, Augustino, & aliis Patribus comprobauimus, essentiam huius sacramenti declarando, & nonnulla etiam adduximus disputatione 10. sect. 3. explicando unionem, quae inter Christi corpus & species sacramentales intercedit.

Sed quaeret aliquis (esto, ita sit, substantiam panis non manere sub speciebus cum corpore Christi) an sit de fide certum, non manere in rerum natura: Post enim alibi manere cum accidentibus aliis, vel, si non tota substantia, saltem materia eius sub forma aeris, vel alia simili, & hoc satis esset ad veritatem verborum Christi: Non est ergo, vnde sit de fide certum, substantiam illam omnino ac substantialiter definire: praefertim, quia, ut infra videbimus, Scotus & alii censent, hoc satis esse ad conuersionem & transsubstantiationem, scilicet, ut substantia expellatur, ne sub his accidentibus maneat, & alia loco illius inducatur, siue substantialiter vna fiat, & alia desinat, siue non. Respondeo, nihilominus certum omnino esse, substantiam panis & vini substantialiter definire esse, in qua sententia omnes Theologi conueniunt, ita explicantes hoc mysterium. Patres etiam, & Concilia in hoc sensu docent, fieri conuersionem substantialem, & ipsa ratio conuersionis substantialis hoc requirit, ut infra videbimus. Ratio vero est fere eadem, scilicet, quia veritas verborum Christi hoc requirit, si non fingantur noua miracula, quae sine ratione & auctoritate temere fingenda non sunt: non potest enim tota substantia materialis priuari quantitate & omnibus accidentibus suis, quin naturaliter desinat esse substantialiter: quia ergo hic substantia panis expellitur, ne sub suis accidentibus maneat, pro comperto habuit Ecclesia ab Spiritu S. edocta, simpliciter non manere in rerum natura, quod praefertim certissimum est de tota substantia: quid vero de materia sentiendum sit, in sequenti sectione dicam.

SECTIO III.

Vtrum aliqua pars physica substantiae panis & vini maneat sub speciebus consecratis.

In superiori sectione ostensum est, non manere suppositum, neque integram naturam panis & vini. Nunc videndum superest, de partibus naturae, materia, scilicet, & forma, postea vero dicemus de existentia & substantia, & de gradibus communibus & genericis: nam de his omnibus, etiam inter Catholicos nonnulla sententiarum diuersitas re-

perta est. De partibus vero integrantibus non oportet mouere quaestionem: nam eadem est de illis ratio, quae de tota substantia: quia singula earum in totum Christum conuertuntur: vnde de singulis verificantur verba: Hoc est corpus meum: in singulis ergo substantia panis & vini conuertitur. Igitur circa partes essentielles est prima opinio post consecrationem manere formam panis, ut D. Thom. infra refert, ar. 2. & sunt, qui hanc opinionem tribuant Scot. d. 12. q. 6. Maior, q. 1. Gabr. q. 2. & lect. 25. in Canon. eo quod sentiant formam, qua panis constituitur in esse panis esse accidentalem. Ex quo sequi videtur illam formam manere post consecrationem, sicut manent caetera accidentia: sed hi auctores non dicunt manere formam substantialem illius rei seu substantiae, quae est panis: quocirca, nec auctorem aliquem inuenio, qui hanc sententiam defendit, nec rationem, qua niti potuerit.

Secundus error est, manere materiam panis, quae fit subiectum accidentium & totius conuersionis. Haec fuit antiqua sententia, ut refert Bonauen. d. 11. art. 1. q. 2. & Scot. q. 3. art. 2. & tribuitur Aegid. Theorema. 1. & 2. Sed praecipuus eius defensor fuit Durand. dist. 11. quaest. 3. qui potissimum motus est, ut mysterium conuersionis panis in corpus Christi faceret intelligibile: est enim propria conuersione, quando subiectum manet idem sub vtroque termino, & confirmat, quia Patres explicant, hanc conuersionem per illam, quae fiebat in alimento, quando Christus conuertebat illud in corpus suum, ut constat ex Damasc. lib. 4. capite. 14. & Theoph. Ioann. 6. Vbi propterea conuersionem hanc transformationem appellant: & similiter comparant hanc conuersionem cum aliis conuersionibus formalibus: aqua in vinum, virgae in serpentem, &c. ut patet in Ambros. libro de myt. cap. 9. Cyrillus Hierosolym. Catechif. 4. myt. Gregorius Nilensis in Orat. Catechif. & aliis infra citandis.

Principio statuendum est fidei fundamentum, ex quo caetera omnia deueniunt: scilicet post consecrationem tantum manere accidentia panis, sub quibus Christus continetur: Haec propositio sub his terminis iam est de fide: priora enim Concilia praefertim Romanum contra Bereng. coactum, & Lateranen. sub Innocent. III. in cap. Firmiter, de Sum. T. 1. & fid. Cathol. & Constant. sessione 8. & 15. & Florentin. in decreto Eugenii solum deiniuerant, substantiam conuerti: postea vero additum est, totam substantiam conuerti, sic enim Trident. sessio. 13. c. 4. docet, totam substantiam panis conuerti in corpus, & totam substantiam vini in sanguinem Christi: non enim sine mysterio addit Concl. particulam, totam, ut nimirum significaret, quidquid substantiae est in pane, totum id conuerti: quod magis explicans Cano. 2. dixit, in mysterio hoc pernici per conuersionem totius substantiae panis & vini: & addit: manentibus dumtaxat speciebus panis, vbi accidentia species vocat, iuxta vitarum Theologorum morem. Vnde Conc. Colonense par. septima, capite. 15. rectissime dixit, Quid enim panis, vniq. species post consecrationem sunt, nisi species sacramentales & accidentia sine subiecto? & similiter in c. Omnia, de Consecrat. distin. 2. ex Ambrosio dicitur, post consecrationem nihil aliud manere, nisi accidentia panis, & corpus Dni. Ratio autem huius veritatis petenda est ex institutione, vultate & verbis Christi, ut in sequentibus magis explicabimus afferendo congruentias huius institutionis.

Et hoc supposito, dico primo: post consecrationem non manere formam substantialem panis, & vini. Est certa secundum fidem: & ita in ea conueniunt omnes Theologi cum Diu. Thom. hic art. 6. & in 4. distinet. 11. vbi Bonauen. art. 1. quaest. 2. Richard. artic. 1. q. 2. & reliqui. Hugo Vic. lib. 2. p. 8. cap. 9. Innocent. lib. 4. de hoc myt. capit. 8. & 19. & probatur exprin.

Sententia a se sententia manere formam panis & non materiam, in Eucharistia. D. Thom. Scotus. Maior, Gabr.

Altera est opinio, manere materiam & non formam. Bonau. Scotus. Aegid. Durand.

De fide est sententia consecratione solui manere in Eucharistia accidentia panis. Con Rom. Later. Const. Flor. Trident.

Colon.

Conclus. Post consecrationem non manent formam panis & vini & esse de fide. S. Thom. Hugo. Innocent.



ex principio posito; quia forma substantialis non est accidens: sed, secundum fidem, post consecrationem non manent, nisi accidentia: ergo. Et confirmatur primo, quia alias non esset transubstantiatio integra: quia non esset conuersio totius substantiae, sed alterius tantum partis. Confirmatur secundo, quia vel illa forma maneret in materia: & ita non maneret illa forma, sed totus panis: vel separata: & hoc fieret, vel quia esset naturale tali formae: & hoc dici non potest, alias illa forma esset immaterialis: vel ex speciali miraculo, & hoc etiam dici non potest: quia nullum habet fundamentum, neque in forma huius sacramenti, neque in alia ratione, vel auctoritate: neque utile aut conueniens est huic mysterio: accidentia enim conseruantur, quia sensibus percipiuntur: & ita deseruiunt, ad occultandum mysterium, & conseruandum fidem Christi. At vero substantialis forma, cum omnino insensibilis sit, non potest ad rationem sacramenti deseruire: & cum ipsa ex natura sua indigeat materia sustentante, non magis potest per se esse, vel rationem subiecti subire, quam quantitas: ergo, nulla ratione manet, & iuxta hunc discursum interpretanda sunt rationes, quas D. Thom. assertit infra art. 6.

Dubium.

Sed quaeres, quid si aliquis negaret, formam panis esse substantialem: ideo affirmaret, manere formam panis: nunquid in fide erraret? Thomista enim videntur eam sententiam, vt erroneam damnare, vt videre licet in Caietan. hic artic. 6. Soto dist. 9. quaest. 2. art. 6. Ledefina quaest. 6. art. 6. & eodem fere modo loquitur Bellarm. libr. 3. c. 11. & 14. Respondendo, dupliciter posse intelligi illam assertionem, primo, si, iuxta antiquum Philosophorum errorem, quis arbitretur, panem, & vinum, & huiusmodi res alias non constitui, & distinguere per formas substantiales, sed solum per accidentia, quibus substat vnum & idem subiectum, siue illud appelletur materia prima, siue simplex quaedam substantia completa: & hoc sensu inuenio Greg. de Valentia lib. 2. de transubst. c. 7. explicantem in hunc modum sententiam Ruperti locis in superiori sectione citatis, vt dicat asseruisse Rupertum, non mutari in consecratione naturam & essentiam panis: quia non mutantur accidentia, quibus formaliter constituitur in esse panis. Sed non video, quid eum mouerit ad hoc tribuendum Ruperto: quia in locis ibi citatis nullum habet fundamentum: & ipse non citat locum alium: neque ego inuenire potui, vbi Rupertus neget, formas substantiales, aut veram transmutationem substantiarum rerum naturalium. Itaque haec sententia non est Ruperti: & illam asserere plus esset, quam temerarium: nam praeter apertum errorem in Philosophia, pugnat cum multis principiis fidei. Quapropter certum est, aliquam formam substantialem hic transmutari. Alio ergo sensu negare quis posset: illam esse formam substantialem propriam panis, sed communem massae ac pulueribus, & aliis id genus: proprium vero constitutum panis, vt sic, esse accidens aliquod: quia panis vt sic, non dicit solum rem naturalem, seu substantialem, sed artificialem, quae forma accidentia maneant, posset quis dicere, formam panis manere: sicut posset dici manere formam domus, conseruata quantitate cum eadem figura, etiam si tota substantia lignorum, ac lapidum periret, & hoc sensu in re nihil est periculi: pendet enim ex re philosophica valde dubia: nam fides solum docet, totam substantiam panis, quae est sub illis accidentibus, conuertere & definire esse: an vero illa substantia vt sic, sit panis, vel tantum vt affecta aliquo accidente, nihil de hoc docet fides: qui tamen sic opinaretur, dicere deberet, manere formam artificialem panis, non tamen formam absolute. Nam per formam panis iam omnes intelligunt formam illius substantiae, quae est panis: & simpliciter probabilius

Responsio.

est, panem substantialiter differre a massa, vt supra diximus.

Dico secundo: Post consecrationem non manere materiam panis, Conclusio est de fide, & sententia Durandi error in fide reputatur a grauissimis Theologis Palud. Caietan. Soto, & aliis, & vt ego exillimo, etiam tempore Durandi erat haereticus: quia tunc etiam erat de fide transubstantiari panem in corpus Christi ex definitione Concil. Lateran. sub Innocentio III. & ex traditione Sanctorum: quamquam ipse haereticus non fuerit, quia sine contumacia id asseruit, & cum subiectione ad Ecclesiam: addunt vero aliqui, etiam hoc non fuisse de fide, quia adhuc in Philosophia non est certum, materiam esse partem substantiae, & substantialiter componere panem qui ergo dicit totam substantiam, materiam etiam: includit. Sed Concil. Trident. apertius hoc declarauit addendo particulam exclusiuam, & dicendo, (duntaxat manere accidentia): euident autem est materiam non esse accidentis. Praeterea argumentor ratione, quia, si materia panis manet, vel manet informata aliqua forma, vel non: posterius nec Durand. dicit, nec ita alicuius mentem venire potuit. Queram enim rursus, an in illa materia maneat subiectum accidentia panis: & hoc dici non potest sine haereticis, quia de fide est, accidentia manere sine subiecto, & praeterea est contra veritatem formae: quia proxime contentum sub his accidentibus non esset corpus Christi, sed materia panis: vel maneret illa materia sine accidentibus panis, & sine vlla forma substantiali: & hoc esset nouum multatum miraculum, impertinens omnino ad hoc sacramentum, & sine vilo fundamento: vel maneret illa materia informata aliqua forma substantiali: & hoc dici non potest: quia, neque illa esse potest forma panis, alioqui maneret panis: neque alia quacunque, praeter animam Christi, quia, praeterquam quod esset impertinens, & sine vilo fundamento, non minus certum est, non manere sub illis accidentibus substantiam cuiuscunque alterius rei, quam panis, vt patet: cum ex necessitate formae, cum ex separatione accidentium ab omni subiecto. Denique non potest illa forma esse anima Christi (quae est sententia Durandi) primo, quia iam non esset transubstantiatio, sed transformatio per veram corruptionem panis, & generationem noui corporis, vel saltem nouae partis Corporis Christi, quod est contra Ecclesiae traditionem & definitionem, & est per se absurdissimum: quid enim indignius est & absurdius, quam existimare gloriosam animam, & impassibile Corpus Christi esse nunc in continua resolutione partium materialium? Quotiescunque enim consecratur sacramentum, & quoties species sacramentales corrumpuntur, corrumpitur pars corporis, anima Christi informati: alioqui oporteret nunc Christi animam informare penes infinitam materiam molem: vnde rursus fit, ex vero Corpore Christi generari vermes per veram corruptionem eius, vel partis illius, quae omnia Durandus non ducit incommoda, cum sint absurdissima. Quin potius ait, etiam post Christi resurrectionem, accidisset, vt cum Christus comedebat, alimentum conuerteretur in substantiam corporis gloriosi, non necessitate, sed potestate, & voluntate: sed in hoc etiam valde errat. Nam licet Christus vere comedere post resurrectionem, ad veritatem corporis uiuentis demonstrandam, non tamen in substantiam Christi cibus ille conuersus est, de quo superiori dictum est.

Secundo quaero a Durando: Verum anima Christi in Eucharistia simul informat corpus, quod habet in caelo & materiam panis: vel solum panis materiam, ita vt

ita, vt sub illis speciebus corpus ipsum Christi, quod est in celo, non contineatur, si hoc posterius dicat: est plane hereticum, vt patet ex verbis Christi, Quod pro vobis tradetur, & Qui pro vobis effundetur: que supra, contra Impnatores adduximus: omnia, quæ ibi dicta sunt, ad hoc improbandum sufficiunt: ostendunt enim, illud idem corpus, quod in celo est, quod que in Cruce pendit, esse sub speciebus sacramentalibus: si vero primum dicat, ponit quoddam miraculum, quod nec in verbis Christi habet fundamentum (nam ipse solum dixit, hoc esse corpus suum, quod cruciendum erat pro nobis) neque in aliqua auctoritate vel ratione: & sine vlla profus necessitate: quia vel negare debet conuersionem in ipsum Christi corpus, quod pro nobis traditum est, quod etiam est hereticum: vel ad illam explicandam nihil confert hoc aliud corpus ex materia panis de nouo productum: & præterea ponit quid monitrosus, & non minus abiurdum, quam sit impanatio, quod recte notauit Alanus libr. 1. capite 35. oportebit enim, vt Christus in sacramento, vel habeat duo corpora; vel vnum maius, quam habeat in celo. Neque fundamentum Durandi alicuius est momenti, vt ex dictis patet, & latius disputat. sequent. Exempla vero, quibus Sancti vtuntur, non afferuntur, vt in omnibus sint similia: imo, quia nullum huiusmodi inueniri potest, varia vsurpant, vel hanc esse veram & realem conuersionem, vel posse Deum supernaturales conuersiones efficere, vel vt declarent, hic esse per conuersionem verum ac proprium corpus Christi. Quod vero hæc conuersio alterius rationis sit ab omnibus conuersionibus naturalibus, variis nominibus, ac rationibus declarant, vt sequente disputatione videbimus.

Secundum dicit aliquis, non esse de fide, esse, vel non esse materiam in rebus: quomodo ergo potest esse de fide hic non manere materiam? Respondetur, per se & directe esse de fide, hic non manere particulam aliquam panis, quæ quid illa substantia sit: vnde posita materia in rebus, vt necessario in lumine nature ponenda est, sequitur iuxta principia fidei, non posse manere materiam.

Dices tandem, quid si aliquis conuerteretur, materiam panis non manere sub accidentibus panis: negaret tamen substantialiter desinere esse, sed manere verbi gratia, in aere circumstante sub forma eius, contra hoc enim non procedunt rationes factæ, neque ex verbis formæ potest aliud colligi. Respondetur, hunc non esse tam clarum errorem in fide, esse tamen valde temerarium id asserere contra omnium Schoasticorum doctrinam, & contra id, quod videntur docere Patres, & Concilia, & præterea, quia eadem ratione posset quis dicere, conseruari in rerum natura totam substantiam panis, tamen alio in loco, & sub aliis accidentibus, quod est contra veritatem conuersionis & transsubstantiationis, vt infra ostendam, ac præterea est nouum genus miraculi, sine fundamentum substantia enim panis separata à suis accidentibus naturaliter esse desinit. Rursum materia illius, cui non disponatur ad aliam formam, non potest naturaliter illam recipere: ergo ex hoc mysterio necessario sequitur substantia hæc desitio totius substantiæ, & materię eius, si non fingantur temere noua miracula.

SECTIO IV.

Verum post consecrationem maneat aliquis realis modus, seu gradus, vel entitas metaphysica substantia panis.

Das, seu tres falsas sententias circa hæc questionem inueni reperio. Prima est, manere post consecrationem substantiam panis, destructa natura integra eius. Ita sentit Godofr. quodl. 8. q. 16. vt refert Paludan. dicitur. 12. quæstio. 3. & Pictus Mirand. in Apo-

log. quæst. 9. defendit, hanc sententiam esse possibilem, nihil affirmando. Fundamentum est, quia subsistentia est distincta à natura: ergo potest conseruari sine illa. Rursum tantum illud definit in pane, quod conuertitur in Corpus Christi: sed in Corpus Christi non potest conuerti subsistentia, sed sola natura: quia in Christo sola natura humana est creata, subsistentia vero est increata, in quam non potest fieri conuersio: ergo conuertitur natura, & manet subsistentia, quæ deseruet, vt per illam subsistant accidentia.

Secunda opinio esse potest, manere existentiam substantialem panis, quam hoc tempore moderni aliqui Thomistæ defendunt. Et fundari potest, supponendo duo principia metaphysica, primum est, existentiam esse realitatem omnino distinctam: ex quo colligunt, posse conseruari sine essentia, sicut è contrario in humanitate Christi existimant conseruatam esse essentiam sine existentia propria. Vnde applicari potest fundamentum factum pro prima sententia: quia in Christo Domino solum est essentia creata & non existentia, quia conuersio solum fieri potest in id, quod creatum est: quod autem non conuertitur ex pane, manet post consecrationem, ergo manet existentia panis. Secundum principium est, accidentia non habere proprias existentias, sed existere eodem esse, quo existit substantia, in qua sūt: ex quo fit, necessariam hic esse existentiam panis, vt per illam existant accidentia, quæ manent: quia, vt D. Tho. docet infra, q. 77. existunt per idem esse, quod antea habebant.

Tertia opinio negat, manere aliquid substantiæ panis sub eadem differentia specifica, sub qua antea erat: Affirmat tamen, hanc indiuiduam entitatem, vel substantiam, quæ antea erat panis, per conuersionem fieri corpus Christi, & ita manere.

Hanc sententiam insinuat Henric. quodl. 9. qu. 9. & quodl. 11. quæst. 4. præcipue tamen tribui solet Caiet. qui multum illam insinuat infra, art. 3. circa solutionem ad 3. vbi sepe repetit, manere, quod erat panis, & explicat illud relatiuum (quod) referre substantiam, & veram realitatem, quæ manet, & est corpus in corpore Christi, & infra concludit, pronomen (hoc) in verbis consecrationis designare hanc substantiam, quæ est panis, non sub esse panis sed absolute: & illam dicit esse corpus Christi in fine prolationis verborum: similia vere habet in art. 4. Vbi in primo dubio dicit, id, quod erat panis, per conuersionem fieri id, quod est Corpus Christi, & in fine dicit, illud relatiuum, (quod) referre eandem substantiam, & hanc sententiam Caietan. & modum loquendi eius, approbat Richard. art. 1. 4. circa principium, VValdenf. etiam in rerum videtur ita loqui, tom. 2. de sacr. c. 48. 68. 69. imo & D. Thom. in 4. dist. 11. qu. 1. arti. 2. ad 1. dicit, in hac conuersione terminum, à quo, scilicet, substantiam panis, conuerti in terminum, ad quem, scilicet, corpus Christi: nõ vt fit sub ipso, sed vt fit ipsummet. Adducit etiam Caietan. locutiones Ambros. 4. de sacra. c. 4. & 5. vbi sic inquit, Si tanta vis fuit in sermone Dñi Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius erit, vt sint, quæ erant, & in aliud comutentur. Sæpe et Patres, vt disput. sequente videbimus, dicunt: panem fieri corpus Xpi: & in caput Berengarius, dicitur, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem esse corpus & sanguinem Christi. Quæ verba non possunt in alio sensu vera esse. Fundamentum vero huius sententiæ esse potest, quia, nisi saltem hoc modo substantia, seu entitas panis maneret in corpore Christi, nulla esset conuersio, sed annihilatio potius panis. Et confirmari potest ex D. Thom. infra q. 77. art. 5. & in 4. d. 12. qu. 1. artic. 3. quæst. iuncta. 4. vbi dicit, non posse repro-

Alii manere existentiam.

Alii manere eandem substantiam, quæ antea erat panis facta per conuersionem. Henricus. Caiet.

Richard. VValdenf. s Thom.

panis manet aliquo modo in corpore Christi: in quo absorbetur & imbibitur: quia, si substantia panis omnino delisset, quid impediret, quominus Deus posset illam iterum producere, absque mutatione corporis Christi?

1. *Conclusio.*
Non manet
substantia.
Trident.

Constant.

Dico primo, in hoc sacramento non manere substantiam, seu suppositivam panis. Probatur primo ex verbis Concilii Tridentini. nam haec substantia non est accidens: dixit autem Concilium, manere duntaxat accidentia. Deinde, quia si substantia dicitur manere, ut aiebat Godofr. ut sit verum, ac proprium subiectum accidentium, illud est contra fidem traditam in Concilio Constantiensi sessione 8. Si vero dicitur manere, ut terminet, & subsistere faciat accidentia, illud in primis non est necessarium: quia non oportet, ut accidentia illa subsistant propria substantia substantiali. Deinde non est possibile, tam ex parte accidentium, quam ex parte substantiae creatae. Primum patet, quia, si accidentia terminarent, & subsisterent tali substantiae, oporteret fieri novum miraculum unionis cuiusdam hypostaticae inter quantitatem panis, & substantiam panis, nam sine hac unionem novam, non potest intelligi quantitas illa subsistens tali substantiae magis post consecrationem, quam antea: prius enim non erat quantitas unita substantiae immediate, sed rei subsistenti ratione naturae, & propterea non subsistebat, sed inharebat: ergo, si postea subsistit, & terminatur nova substantia, oportet, ut nova unio, quasi hypostatica facta sit: at vero accidens non est capax talis unionis, ut in materia de Incarnatione diximus: ostendendo, hac de causa accidens non esse immediate assumptibile a Verbo: & licet non esset omnino impossibile, esset vanum, & superfluum, tantum & tam novum miraculum sine fundamento affirmare. Secundum patet, quia iuxta veriorum sententiam, substantia est modus naturae, & non res, omnino realiter ab illa distincta: quando autem duo se habent tanquam res & modus, licet, res possit manere sine modo non tamen modus, sine re: quia non affert se cum entitate propria, sed ex intrinseca ratione sua identificatur rei, cuius est modus, ut agendo de substantia, latius in materia de Incarnatione declaravimus.

Ad fundamentum
primae opinionis
non respicimus.

Neque contra hanc conclusionem obstat fundamentum primae opinionis: iam enim ostensum est, non obstante distinctione substantiae a natura, non posse substantiam manere, destructa natura, & quamvis possit, in praesenti mysterio non esset necessarium. Ad aliam vero confirmationem, scilicet, substantiam panis, non posse converteri in substantiam corporis Christi, quae increata est, & ideo manere, negatur consequentia: primo, quia facere potest Deus, ut suppositum integrum converteretur in naturam alterius corporis. Deinde, quia, sicut substantia Corporis Christi est in hoc sacramento, non ex vi conversionis, sed per concomitantiam, ita intelligi potest, substantiam panis desinere esse, non ex vi conversionis, formaliter loquendo, sed per concomitantiam, scilicet, quia ipsa natura panis desinit esse, sine qua non potest manere substantia panis.

2. *Conclusio.*
Non manet
existentiam
panis.

Dico secundo, post consecrationem non manere existentiam substantialem panis. Haec conclusio est omnium Theologorum, praeter eos, quos supra commemoravimus. Probatur primo ex principiis fidei: unum est, quod tota substantia panis converteretur, nomine vero totius substantiae non intelligitur essentia abstracta, & praecisa ab existentia, sed intelligitur substantia completa, prout erat in rerum natura, quae maxime existentiam includit, tanquam proprium & intrinsecum actum constituentem hanc entitatem in esse actualis entitatis: imo sicut productio, ita & conversio potissimum fit ratione existentiae, ut alibi latius tractatum est. Alterum est, post

consecrationem duntaxat manere accidentia, ut Concilium Tridentinum dixit: existentia autem substantiae panis non est accidens, ut omnes quotquot sunt Philosophi docent, & est per se evidens: quia, vel est ipsam entitatem substantiae, ut substantia actualis est, vel intrinsecus actus sub ea ratione illam constituit. Respondet tamen quidam author ad hanc Concilii definitionem, quod qui ad pauca respiciunt, facile hallucinantur: si enim (inquit) Sophisticus argumentator attenderet, eo ipso, quod Concilium definit, accidentia manere, definire etiam, manere cum existentia, videret, consequentiam sui argumenti nullam esse: quia dictio exclusiva non excludit a concomitantibus: unde non excludit existentiam: ad dei autem mysterium nihil refert, quod illa existentia sit res distincta a substantia, nec ne. Sed, si quis attente consideret, facile, ut existimo, intelliget, hanc fugam non enervare vim testimonij Concilij Tridentini. Verum est enim, illud non excludere existentiam accidentium: quod tamen non excludat existentiam substantiae, falsum est. Quod si licet alicui dicere, existentiam substantiae non excludi: quia est connexa cum existentia accidentis, pari ratione posset alius assumere licentiam dicendi, manere illam rem, quae est forma panis: quia posset in metaphysica opinari, formam esse ipsam existentiam rei, vel omnium proprietatum eius: & Durandus posset coningere, materiam esse existentiam quantitatis, & ideo manere. Deinde consequenter posset quis opinari, manere substantiam panis, quod prorsus falsum est: & tamen necessarium sequitur, loquendo magis probabiliter, & consequenter in illa sententia, quae necessario supponit, existentiam esse rem distinctam a substantia, & separabilem ab illa: qui autem hoc sentiunt, probabiliter & consequenter dicunt, existentiam substantialem esse ipsam substantiam. Unde ulterius ex illo principio posset quis opinari in materia de Incarnatione, manere in humanitate Christi substantiam creatam, non ut per illa subsistat humanitas, sed ut per eam existant accidentia: cum Concilia negant, manere substantiam in humanitate Christi, posset esse licentia explicandi, non manere ut sic, id est, ut respicit humanitatem, & terminat illam: manere autem, ut respicit accidentia. Denique non debent hi auctores negare, manere in humanitate Christi existentiam substantialem creatam, saltem ut per eam existant accidentia, nisi velint dicere, etiam accidentia humanitatis existere per existentiam incretam Verbi: at quod adeo tam immediate esse unita Verbo, sicut animam & corpus, quod inauditum esse, & improbabile: Concilium ergo Tridentinum, absolute excludendo quicquid substantiale est, satis significavit, nullum substantialem actum esse necessarium, ut accidentia existant, & conferentur.

Secundo principaliter probatur conclusio ex metaphysicis principis. Primum enim, quod substantia pereat, & maneat existentia eius, impossibile est: cum nihil aliud sit perire, quam amittere esse existentiae: nam esse essentiae immutabile est, nisi ratione existentiae. Dicent, substantiam amittere esse, quia ipsum esse in se destruitur, sed quia desinat actuare hanc naturam, vel substantiam. Sed haec responsio fingit substantiam esse velut subiectum existentiae, hanc vero esse actum realiter distinctum ab illa: quod in prima philosophia, & in materia de Incarnatione probavi esse impossibile: quia actualitas existentiae est ita intima rei, prout est vera, realis, & actualis entitas, ut nullo modo discerni possint tanquam actus, & potentia receptiva: quia separata existentia, etiam per intellectum, solum intelligitur manere potentia obiectiva: nam si intelligitur manere aliquid actu ens, illud est existens: sed de hoc latius dictis locis: unde ex hoc principio, falsum est fundamentum, quo nitebatur illa sententia: scilicet, accidentia

dentia realiter distincta à substantia, realiter existere per ipsam existentiam substantiæ: quia in vniuersum impossibile est, quod aliqua entitas existat per entitatem à se realiter distinctam. Sed, non solum posito hoc principio, sed etiam admissio, quod existentia sit res distincta ab essentia, est falsum illud fundamentum, quia supposita illa distinctione, existentia comparatur ad essentiam, vt actus ad potentiam: sicut ergo essentia substantiæ, & accidentis sunt diuersarum rationum, & ordinum, ita requirunt actus, re ipsa distinctos: loquor enim de accidentibus, quæ realiter à substantia distinguuntur. Vel aliter comparatur essentia ad existentiam, sicut principium vel radix ad actum, vel terminum ab illa manentem, aut sicut principium formale ad effectum formalem, quasi secundarium: ergo si principia sunt omnino diuersa, erunt etiam diuersæ existentie. Denique existentia substantiæ est existentia simpliciter, & natura sua postulat intrinsecum terminum substantiæ: existentia autem accidentis natura sua est imperfecta, & postulat per modum termini vniorem ad alterum, à quo sustentetur: sunt ergo distinctæ, vt aperte docuit Diuus Thomas in his articulis, & in tota hac questione, & supra quæst. 17. artic. 2. & 4. contra Gent. cap. 14. & sæpe alias, & Caietan. de ente & essent. c. 7. & Palud. Socin. 7. metaph. quæst. 5. & Scotus in 2. distinct. 12. quæst. 1.

Sed quares, qua certitudine tenenda sit hæc conclusio, nam Dominicus Bannes, cum in priori editione primæ partis simpliciter docuisset, existentiam substantialem panis manere, vt per eam existant accidentia panis, in posteriori ita illa retractauit, vt tamen probabiliter posse sustineri dicat, solum, quia probabile est, accidentia non habere existentiam præter existentiam substantiæ, & dicit, se consuluisset Theologos doctissimos, qui ita censuerunt. Ego vero, cum multum de hac re cogitauerim, nunquam in eam sententiam adduci potui, vt crederem eam opinionem esse probabilem: imo nec tolerabilem in Theologia, & cum plures etiam, eosque doctissimos de hac re consuluerim, neminem aliter sentientem inueni: quin potius legi apud Picum Mirand. in citato loco, cum ipse de hac re Romæ quætionem motuisset, à pluribus Theologis iudicatum esse, non posse sine errore defendi, manere in hoc sacramento existentiam substantialem, quibus ipse contradicere non est ausus, loquendo de mysterio, prout factum est, licet contenderit potuisse aliter fieri. Deinde etiam in metaphysica, illa opinio, quod accidentia realiter à substantia distincta, non habeant propriam existentiam, reuera, non est probabilis, quia nec ratione firma vitur, neque habet authorem grauem. Nam licet fortasse Sotus in philosophia id interdum inuenerit, non tamen rem ex professo disputans & examinans, postea in 4. disputatione 10. tota questione secunda contrarium aperte supponit. Ac denique, quamuis illa opinio esset probabilis, non tamen omnino id, quod ex metaphysica opinione probabile colligitur, est in Theologia probabile, alioqui etiam dici posset, esse probabile, manere materiam in hoc sacramento, quia manet quantitas, & probabile est, materiam esse eandem rem cum quantitate, vel formam panis manere, quia opinio est, formam illam esse accidentalem, quod tamen simpliciter damnatur à Thomistis, vt alienum à doctrina fidei, & facile esset similia exempla afferre, quæ docent, quædo ex opinione metaphysica sequi videtur aliquid in Theologia, quod doctrina fidei non est consentaneum, sed videtur aduersum, aut querendum esse probabilem viam ad vitandum tale consequens, & negandam consequentiam, vel si hæc inueniri non potest, illud esse sufficiens argumentum ad iudicandum, illam opinionem metaphysicam esse improbabilem potius, quam è conuerso. Theologia enim, quæ suprema sapientia est, iudicat de inferioribus

doctrinis, & illas corrigit, non è contrario. Quocirca idem iudicium ferendum est in præsentibus controuersiis, si ex illo principio metaphysico vitari nullo modo potest, quin sequatur, existentiam substantialem manere in hoc sacramento, hoc est, sufficiens argumentum, vt illud iudicetur improbabile, si tamen quis mordicus veller illud defendere, potius debet negare consequentiam, & dicere, naturaliter quidem accidentia existere illo modo, tamen ablata substantia, D E V Millis conferre nouam existentiam, qua existant, & licet prædictus author dicat, eum delirare, qui ita sentit, & mihi quidem absolute loquendo idem videatur, supposito tamen illo alio errore, existimo fore, vt hoc modo minus desipiat.

Dico tertio, Post consecrationem non manet eadem numero entitas, vel substantia, quæ fuit panis sub esse corporis Christi. Hæc est aperta sententia Diui Thomæ hic, & artic. 3. ad 3. & art. 4. & 8. vbi negat in transmutatione, quæ fit in hoc sacramento, manere aliquid commune vtrique termino, præter accidentia panis & vini, & idem in 4. dist. 11. quæst. 1. articulo 4. & eam late defendit Soto. dist. 9. quæst. 2. artic. 4. Ledesma, quæst. 16. artic. 4. qui contrariam sententiam Caietano tribuunt, & eam impugnant: sed fortasse Caietanus, licet in modo loquendi minus proprie & cautè loquatur, tamen in re non sentit contra hanc conclusionem, vt apertius explicabo in commentario ar. 4. D. Thom. vbi Caietanus nonnulla dicit, quæ non possunt vera esse, nisi supposita hac sententia, præsertim illud, scilicet, quod possit à Deo reproduci idem numero panis, absque conuersione corporis Christi, in ipsum, quod etiam docent Capreol. in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. ad 1. Scoti contra 2. conclusionem, & Ferrar. 4. contra Gent. capite 63. aperte supponunt totalem distinctionem numericam inter corpus Christi & panem, etiam vt sunt hæc substantiæ, seu entitates: non ergo manet hæc entitas panis in corpore Christi. Probatur autem primo ex principijs fidei: sequitur enim ex illa sententia, primo, non totam substantiam panis conuerti, quia, quod manet, non conuertitur: dicitur autem manere illa substantia, prout hæc substantia vel entitas est. Sequitur secundo, non manere duntaxat accidentia panis, quia hæc entitas vel substantia panis non est accidens, & manere dicitur. Sequitur tertio non esse omnino idem corpus Christi, quod est in cælo, & quod est in sacramento quoad entitatem, vel substantiam suam, quod est contra fidem, patet sequela, quia corpus, quod est in sacramento, est illa entitas, vel substantia, quæ fuit panis: corpus autem, quod est in cælo, non est illa substantia, neque illa entitas, quia non est creatum ex illa. Quin potius sequitur quarto, hæc corpora saltem numero distingui, quod ita declaro, quia ante consecrationem hæc entitas panis distinguebatur numero à corpore Christi, quod est in cælo, & tamen post consecrationem dicitur manere eadem numero entitas, vel substantia sub esse corporis Christi in sacramento: ergo corpus Christi, prout est in sacramento, & res, & substantia numero distincta ab eodem corpore, prout est in cælo, non enim potest manere eadem numero entitas, & non distingui numero suo realiter ab eo, à quo per se ipsam distinguebatur. Quin potius cum per conuersionem dicatur hæc entitas, vel substantia mutare specificationem suam, & ita ex pane transire ad esse corporis Christi, necesse est, vt illud esse corporis Christi, quasi indueretur per hanc substantiam, quam contrahit. Vteriusque sequitur quinto sub diuersis speciebus sacramentalibus multo magis esse corpora Christi numero distincta, quia sub illis erant panes numero distincti, non solum in esse panis, sed etiam in esse huius entitatis & substantiæ: vnde posita fide, quod in omnibus his sacramentis est idem corpus

1. Conclusio.

D Thom.

Soto.
Ledesma.Capreol.
Ferrar.

corpus Christi, sequitur ulterius non solum idem corpus Christi, esse in pluribus locis, sed etiam esse plures entitates realiter inter se distinctas, quod est mysterium quodammodo maius mysterio Trinitatis: quia vna res finita, erit idem realiter cum innumeris rebus absolutis & infinitis, quae antea inter se tam essentia, quam in proposito distinguebantur.

Secundo principaliter probatur conclusio ex principijs metaphysicis. Primo, quia non potest mutata essentia rei, manere eadem numero entitas: quia per illam constituitur in esse huius entitatis, sed hęc entitas vel substantia, quae est panis, essentialiter est panis: Non enim constituitur hęc entitas per sola prædicata transcendentalia, seu generica, sed per propria & specifica: Ergo. Secundum principium, quod ex hoc colligitur, est, non posse neci transmutationem realem inter differentias specificas, manente eodem indiuiduo generis sub illis, tãquam subiecto manente sub vtroq; termino, vt, quod ex leone fiat equus, manente eodem indiuiduo animalis: quia hęc compositio est metaphysica, & extrema non realiter, sed ratione formalit tantum distinguntur: Ergo fieri non potest, vt maneat hęc entitas, vel eadem numero substantia, quae fuit panis, sub esse corporis Christi, quod si non manet eadem numero entitas vel substantia, vt sic, nihil omnino manet de substantia & entitate panis, neque vt erat panis, neq; vt erat hęc substantia, aut hoc ens. Nam indiuiduum substantia, vel entis, quod sub illis accidentibus incipit, omnino est numero distinctum. Tandem confirmatur, quia, si hic fieret transmutatio solum in his, quae sunt propria panis, & non in his, quae sunt communia, etiam si substantia sint, consequenter dicendum esset manere materiam, vt materia prima est, & eandem formam sub communi ratione forma.

Responsio ad fundamentum sententiae.

Ad fundamentum tertiae sententiae non potest ex adè responderi vsque ad sequentem disputationem, vbi explicabimus, quomodo panis non annihilatur, sed verè conuertitur in corpus Christi, & explicabimus locutiones inter terminos huius conuersionis, docendo cum D. Thom. hic artic. 4. & q. 78. art. 5. panem non proprie fieri corpus, sed ex pane corpus. Confirmatio vero ibi adducta potius contrarium persuadet, nam certum est, posse Deum, conseruato corpore Christi in sacramento, iterum producere, seu creare eandem substantiam panis, quae transubstantiata fuerat, vt docent Caier. Capreolus & Ferrar. locis citatis: signum est ergo, illam entitatem panis non manere proprie in corpore CHRISTI, nec realiter, nec formaliter, sed solum esse conuersam in illud, & ideo dicitur id, quod erat panis, esse nunc corpus Christi, sumendo vagè illud relatiuum, (quod) quantum ad rationem contenti sub speciebus, sub quibus corpus Christi, quali loco panis constituitur, & quodammodo illius officium subit, ac propter eandem causam dici potest secundum naturam ordinem, non posse eandem numero substantiam panis redire, nisi per conuersionem corporis Christi in ipsam, quia deberet redire sub eadem numero accidentibus, & ita explicant Diuum Thom. prædicti auctores, & de eadem re iterum dicemus in sequentibus.

ARTICVLVS III.

Verum substantia panis, vel vini post consecrationem huius sacramenti annihilatur.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod substantia panis post consecrationem huius sacramenti, annihilatur ac in pristinam materiam resoluitur. Quod enim est aliquid corporale, oportet alicubi esse. Sed substantia panis, quae est quidam corporale, non manet in hoc sacramento, (vt dictum est) nec etiam est dare aliquem locum,

4 d. 11 q. 2. art. 2 & 4. contr. c. 63. & quod 5. art. 11. & quod 9. art. 5. ad 3. & 1.

vbi sit. Ergo non est aliquid post consecrationem. Igitur autem est annihilata aut in praesentem materiam resoluta.

2. Praeterea, illud quod est terminus, a quo, in qua, & per mutatione non remanet, nisi forte impotentia materia, sicut cum ex aere sit ignis, forma aeris non manet, nisi in potentia materia & similiter, quando ex albo sit nigrum. Sed in hoc sacramento substantia panis & vini se habet, sicut terminus, a quo, corpus autem vel sanguis Christi, sicut terminus ad quem: dicit enim Ambrosius in libro de officijs. Ante benedictionem alia species nominatur: Post benedictionem corpus CHRISTI significatur. Ergo facta consecratione substantia panis vel vini non manet, nisi forte resoluta in suam materiam.

3. Praeterea. Oportet alterum contradictorium esse verum. Sed hoc est falsum, facta consecratione substantia panis vel vini est aliquid, Ergo hoc est verum, substantia panis vel vini est nihil.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in lib. 83. quaestio- num. Deus non est causa tendendi in non esse. Sed hoc sacramentum diuina virtute perficitur. Ergo in sacramento non annihilatur substantia panis aut vini.

Respondeo dicendum, quod quia substantia panis vel vini non manet in hoc sacramento, quidam impossibile reputantes, quod substantia panis vel vini in corpus, vel sanguinem CHRISTI conuertatur, posterunt quod per consecrationem substantia panis vel vini, vel resolutur in praesentem materiam, vel quod annihilatur. Praesentem autem materiam, in quam corpora mixta resoluuntur, sunt quatuor elementa. Non enim potest resolutio fieri in materiam primam, ita quod sine forma existat, quia materia sine forma esse non potest. Cum autem post consecrationem, nihil sub speciebus sacramenti remaneat, nisi corpus & sanguis Christi, oportet dicere, quod elementa, in qua resoluta est substantia panis vel vini, inde discedant per motum localem, quod sensu perciperetur. Similiter etiam substantia panis vel vini manet vsque ad vltimum instanti consecrationis. In vltimo autem instanti consecrationis iam est ibi substantia corporis vel sanguinis Christi, sicut in vltimo instanti, generationis iam in ipsi forma. Vnde non erit dare aliquod instanti, in quo sit ibi praesentem materia. Non enim potest dici, quod paulatim substantia panis, vel vini resolutur in praesentem materiam, vel successiue egrediat de loco specierum, quia si hoc inciperet fieri in vltimo instanti sua consecrationis, simul sub aliqua parte hostiae esset corpus CHRISTI cum substantia panis, quod est contra prædicta.

* Si vero hoc incipiat fieri ante consecrationem, erit dare aliquod tempus, in quo sub aliqua parte hostiae, neque erit substantia panis, neque erit corpus CHRISTI, quod est inconueniens, & hoc ipsum perpendisse videntur. Vnde posterunt aliud sub distinctione, scilicet, quod vel annihilatur, vel in praesentem materiam resolutur. Sed nec hoc potest esse, quia non est dare aliquem modum, quo corpus CHRISTI verum esse incipiat in hoc sacramento, nisi per conuersionem substantia panis in ipsam, quae quidem conuersio tollitur, postea vel annihilatio substantia panis, vel resolutio in praesentem materiam. Similiter etiam non est dare vnde talis resolutio, vel annihilatio in hoc sacramento causatur, cum effectus sacramenti significetur per formam. Neutrum autem horum significetur per hac verba forma: Hoc est corpus meum. Vnde patet, prædictam positionem esse falsam.

Ad primum ergo dicendum, quod substantia panis vel vini, facta consecratione, neque sub speciebus sacramenti manet, neque alibi. Non tamen sequitur, quod annihilatur. Conuertitur enim in corpus Christi. Si autem non sequitur, si aer, ex quo generatus est ignis, non sit ibi vel alibi, quod sit annihilatus.

Ad secundum dicendum, quod forma, quae est terminus a quo, non conuertitur in aliam formam, sed vna forma accedit

redit alteri in subiecto, & ideo prima forma non remanet, nisi in potentia materia. Sed hic substantia panis convertitur in Corpus Christi, ut supra dictum est. † Vnde ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod licet post consecrationem hoc sit falsum, substantia panis est aliquid, id tamen, in quod substantia panis est conversa, est aliquid. Et ideo substantia panis non est annihilata.

COMMENTARIUS.

Respondet D. Thomas duabus assertionibus. Prima est, panem non annihilari: quia verba formatum efficiunt, quod significant: non significant autem annihilationem, sed conversionem panis in corpus Christi, cui annihilatio repugnat: quia terminus annihilationis est, non esse simpliciter, terminus autem conversionis est aliud esse. Altera est, panem non resolui in prædicentem materiam: quam eadem fere ratione confirmat: quia videlicet verba formatæ, neque significant hanc resolutionem in prædicentem materiam, sed solum conversionem in corpus Christi: ex qua non modo non sequitur illa resolutio, sed etiam cum illa stare non potest, quod longo dictu D. Thomas declarat, cuius littera fati est perspicua. Solum est tam in hoc, quam in aliis articulis huius materiæ obseruandum, quod & Caiet. infra notauit, quod 77. art. 5. non esse mentem D. Thom. docere, esse simpliciter impossibilia, vel contradictoria nem implicentia, quæ assumit, sensum illius esse, in hoc mysterio non esse sine fundamento fingenda, vel multiplicanda miracula, sed ea solum afferenda, quæ ex verbis seu significatione formæ, supposito fide & interpretatione Ecclesiæ, necessario consequuntur, & ideo omnium, quæ huiusmodi non sunt, & naturali virtute fieri non possunt, dicuntur in hac materia impossibilia, quamuis absolutam contradictionem non implicent: & ita facile exponi possunt multa, quæ tam in hoc articulo, quam in aliis huius materiæ dicuntur.

ARTICVLVS IV.

Verum panis possit conuerti in Corpus Christi.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod panis non possit conuerti in corpus Christi. Conuersio enim quadam mutatio est. Sed in omni mutatione oportet esse aliquid subiectum, quod prius est in potentia, & postea est in actu, ut enim dicitur 3. Physic. Motus est actus existentis in potentia. Non est autem dare aliquid subiectum substantia panis & corporis Christi, quia de ratione substantia est, quod sit non in subiecto, ut dicitur in Prædicamentis. Non ergo potest esse, quod tota substantia panis conuertatur in corpus Christi.

2. Præterea, Forma illius, in quod aliquid conuertitur, de nouo incipit esse in materia eius, quod in ipsum conuertitur, sicut cum aer conuertitur in ignem, prius non existentem, forma ignis incipit de nouo esse in materia aeris, & similiter cum cibus conuertitur in hominem, prius non existentem, forma hominis incipit esse de nouo in materia cibi. Si ergo panis conuertitur in corpus Christi, necesse est, quod forma corporis Christi de nouo incipiat esse in materia panis, quod est falsum. Non ergo panis conuertitur in substantiam corporis Christi.

3. Præterea, Ea quæ sunt secundum se diuersa, nunquam unum eorum fit alterum, sicut albedo nunquam fit nigredo. Sed subiectum albedinis fit subiectum nigredinis, ut dicitur in 1. Physic. Sed sicut due formæ contrariae sunt secundum se diuersæ (vtpote principia formalis differentia existentes) ita due materia signate sunt secundum se diuersæ, vtpote existentes principia materialis distinctionis. Ergo non potest esse, quod hac materia panis fiat hac materia, qua indiuiduatur corpus Christi, & ita non potest esse, quod substantia huius panis conuertatur in substantiam corporis Christi.

Franc. Suarez Tom. 3.

Sed contra est, quod Eusebius, Emis. dicit. Nouum tibi, & impossibile esse non debet, quod in Christi substantiam terrena & mortalia conuertuntur.

Respondet dicendum, quod sicut supra dictum est, cum in hoc sacramento sit verum corpus Christi, nec incipiat ibi esse de nouo per motum localem, cum etiam nec corpus Christi sit ibi sicut in loco (ut ex dictis patet) necesse est dicere, quod incipiat ibi esse per conuersionem substantia panis in ipsum. Hac tamen conuersio non est similis conuersionibus naturæ alibus, sed est omnino supernaturalis, sola Dei virtute effecta. Vnde Ambrosius dicit in libro de Sacramento. Liquet, quod præter naturæ ordinem, Virgo generauit, & hoc, quod conficimus corpus, ex Virgine est, quid ergo queris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? Et super illud Ioan. 6. Verba que ego locutus sum vobis (scilicet, de hoc sacramento) spiritus & vita sunt, dicit Chrysostomus, id est, spiritualia sunt, nihil habentia carnale, neque consequentiam naturalem, sed erunt sunt ab omni tali necessitate, quæ in terra & à legibus, quæ hic posita sunt. Manifestum est enim, quod omne agens agit in quantum est actus. Quodlibet autem agens creatum, est determinatum in suo actu, cum sit determinati generis, & speciei, & ideo cuiuslibet agentis creati actio fertur super aliquem determinatum actum: determinatio autem cuiuslibet rei in esse actuali, est per eius formam. Vnde nullum agens naturale, seu creatum, potest agere, nisi ad immutationem formæ, & propter hoc omnis conuersio, quæ fit secundum leges naturæ est formalis. Sed Deus est actus infinitus (ut in prima parte habitum est) vnde eius actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur solum potest perficere conuersionem formalem, ut scilicet diuersæ formæ sibi in eodem subiecto succedant, sed conuersionem totius entis, ut, scilicet, tota substantia huius conuertatur in totam substantiam illius. Et hoc agitur diuina virtute in hoc sacramento. Nam tota substantia panis conuertitur in totam substantiam corporis Christi, & tota substantia vini, in totam substantiam sanguinis Christi. Vnde hæc conuersio non est formalis, sed substantialis, nec continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici transubstantiatio.

Ad primum ergo dicendum, quod obiectio procedit de mutatione formali, quia forma proprium est, in materia vel subiecto esse. Non autem habet locum in conuersione totius substantia. Vnde cum hac conuersio substantialis importet quandam ordinem substantiarum, quarum vna conuertitur in alteram, est, sicut in subiecto, in vtraque substantia, sicut ordo & numerus.

Ad secundum dicendum, quod illa obiectio procedit de conuersione formali seu mutatione, quia oportet sicut dictum est, formam esse in materia, vel subiecto. Non autem habet locum in conuersione totius substantia, cuius non est accipere aliquid subiectum.

Ad tertium dicendum, quod virtute agentis finis non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam. Sed virtute agentis infiniti, (quod habet actionem in totum ens) potest talis conuersio fieri, quia vtrique formæ & vtrique materiæ est communis natura entis, & id, quod est entitatis in vna, potest actor entis conuerrere in id, quod est entitatis in altera, sublato eo, per quod ab illa distinguebatur.

COMMENTARIUS.

Quamuis de potestate sit questio, mens tamen D. Thomæ est, inquirere, an reuera in hoc sacramento talis conuersio fiat: Vnde respondet, non solum possibilem, sed etiam necessariam esse hanc conuersionem, ut Christus hic esse incipiat, sine mutatione locali, quam conclusionem colligit ex principiis positus in art. 2. Deinde vero declarat hanc conuersionem.

Ddd uerfio.

Ex hom. 10. Refertur de cons. 8. 2. c. 35. Quia corpus assumptum. In md. a. t. huius q. Art. 2. hu. q. In lib. de his, qui mysticis incitantur c. 9. par. 4. ad med. 10. 4. Rom. 4. 6. in Ioan. non multum antecedit 12 3.

Qual. 7. 6. 25. ar. 2.

In cor. 1. 31.

uersionem esse supra omnem naturæ ordinem: quia virtute agentis naturalis solum potest fieri conuersio formalis, quæ fit per successiōnem formarum in eodem subiecto: quia naturale agens (inquit) cum sit finitum, & habeat determinatam esse per formam suam, solum agit ad immutationem formæ, id est, solum potest agere ex presupposito subiecto: & ideo tantum potest conuerti & immutare, aliquid inducendo, & expellendo formam à subiecto: in hac autem conuersione fit transmutatio totius substantiæ in totam substantiam, nullo manente communi subiecto: & ideo supernaturalis est, & singulari rationem habet, & speciali nomine transsubstantiatio dicitur, ac denique à solo agente virtutis infinitæ fieri potest.

Obiecta contra D. Tho.

Solutio.

Replicatio.

Solutio.

In solutione ad 1. & 2. videri potest D. Thom. docere contraria: nam in priori dicit, conuersionem hanc fieri in vtraque substantia, panis scilicet & corporis Christi tanquam in subiecto: in posteriori vero simpliciter negat, hanc conuersionem habere subiectum. Dicendum vero est, mentem D. Thom. esse: hanc conuersionem, prout est effectio quædam vel transitus vnius substantiæ in aliam, non habere proprium subiectum, ex quo fiat, vel quod maneat sub vtroque termino, vt eleganter explicat infra artic. 8. Cum ergo in hac solutione ad primum dicit, conuersionem esse in terminis tanquam in subiecto, non loquitur de ipsa conuersione proprie, & ratione sui, sed ratione ordinis & successiōnis substantiarum, quam connotat, vel includit: verba enim illius sunt. Cum hæc conuersio substantialis importet quendam ordinem substantiarum, quarum vna conuertitur in alteram, est in vtraque substantia, sicut in subiecto, sicut ordo & numerus. Non ergo formaliter ipsa conuersione, sed ordo illam consequens dicitur esse in vtraque substantia. Dices, substantia panis non manet in instanti conuersionis: quomodo ergo potest esse subiectum ordinis? Respondetur, hic ordo, & successio, cum sit inter ens & non ens: solum est relatio rationis: fundata in quadam denominatione extrinseca: cuius relationis & denominationis recte intelligitur esse, quasi subiectum id, quod præterit, vt constat in omnibus rebus, quæ inter se habent ordinem prioris & posterioris: in successione temporis: & in terminis à quo, & ad quem, omnis mutationis, seu conuersionis. Circa solutionem ad 3. habet Caiet. longum commentarium: breuiter tamen duo in ea solutione explicat Diu. Thom. primum est, cur possit Deus totum ens omnino in aliud commutare, & conuerti, quod non possent agentia creata: & rationem, inquit, esse, quia ratio entis vtriusque termino est communis, & Deus est author totius entis: sicut ergo omne ens obedit Deo, tam ad agendum, quam ad patiendum omne id, quod non inuoluit contraelectionem: quia subditur Deo, vt authori, ita (inquit Diu. Thomas) potest Deus omnino conuerti in vnum ens in aliud, quia est vtriusque author: vnde constat, Diu. Thom. loqui de ente creato: constat etiam, rationem eis communem esse omni supernaturali transmutationi, & non solum transsubstantiationis propriam: quia reuera non poterat aliam magis propriam asserre. Secundo indicat Diu. Thomas modum huius conuersionis, dicens: posse authoris entis conuerti id, quod est in vna re, in id, quod est in altera, sublato eo, per quod distinguuntur, in quo verbo fundare videtur Caietanus sententiam supra tractatam: sensus tamen Diu. Thomæ non est obscurus: solum enim dicit, totam entitatem vnius rei posse conuerti in aliam, & sublati propriis prædicatis rei conuersæ & manentibus in re, ad quam fit conuersio, prædicatis communibus vtriusque termino non quidem eiusdem numero (nunquam enim id D. Thom. excogitauit) sed gradu, aut genere: quod eodem fere modo accidit in conuersione formalis: solumque est differentia, quia in ea manet idem numero subiectum commune, quod non manet in

hac conclusionem: & Caiet. etiam certe non videtur ab hac expositione alienus, dicit enim, hanc conuersionem non esse intelligendam per abstractionem, vel separationem vnius gradus, vel rationis formalis ab alia, scilicet, superioris ab inferiori, ita vt intelligatur manere gradus superior, & fieri conuersio in inferiorem: sic enim (inquit) non conuertetur tota substantia: non ergo intelligit manere eandem rem numero secundum gradum superiorem: alias non non posset fieri conuersio, nisi prædicto modo. Vnde inferius subdit, panem secundum speciem rationem ita conuerti, vt neque in se, neque in suo simili maneat secundum rationem autem, in qua communikat cum alia re, manere non in seipso, sic enim, inquit, non conuertetur sed in seipso simili: sed propterea dicitur saluari formalis ratio eius: non ergo videtur Caiet. male sensisse de re ipsa, non nullas vero locutiones habet, quæ omnino vitandæ videntur: dicit enim (post conuersionem panis entitas conuersa, entitas quadam est) quod D. Th. nunquam dixit: sed potius substantiam, vel entitatem panis post conuersionem non esse aliquid, quia iam transit in aliam entitatem. Alia propositio Caietanæ est, Res conuersa ita saluatur secundum commune, vt eorum prædicationem suscipiat. Quod non video, quomodo possit esse verum: quia sicut panis non est panis, ita neque substantia, neque ergo ita iterum prædicata communia, vt de re conuersa dici possit: sed vt dici possint de re, in quam fit conuersio: & fortasse hoc dicere voluit Caietanus.

ARTICVLVS V.

Verum in hoc sacramento maneant accidentia panis & vini, post conuersionem.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod in hoc sacramento non remaneant accidentia panis, & vini: remouetur enim prior remouetur & posterior. Sed substantia est naturaliter prior accidente, vt probatur 7. Metaph. Cum igitur, facta consecratione, non remaneat, substantia panis in hoc sacramento, videtur, quod non possint remanere accidentia eius.

2. Præterea, in sacramento veritatis non debet esse aliqua deceptio: sed per accidentia iudicamus de substantia. Videtur ergo, quod deceptio humanum iudicium: si remanentibus accidentibus, substantia panis non remaneat. Non ergo hoc est conueniens huic sacramento.

3. Præterea, Quamuis fides nostra non sit subiecta rationi, non tamen est contra rationem, sed supra ipsam, vt in principio huius operis dictum est. Sed ratio nostra habet ortum à sensu, & ergo fides nostra non debet esse contra sensum. Est autem contra sensum, dum sensus iudicat esse panem, & fides credit esse substantiam corporis Christi. Non ergo hoc est conueniens huic sacramento, quod accidentia panis subiecta sensibus maneat, & substantia non maneat.

4. Præterea, illud, quod manet conuersione facta, videtur esse subiectum mutationis. Si ergo accidentia panis manent conuersione facta, videtur, quod ipsa accidentia sint conuersionis subiectum: quod est impossibile: nam accidentis non est accidens. Non ergo in hoc sacramento debent remanere accidentia panis & vini.

Sed contra est, quod August. dicit in lib. sent. Prosper. Neque in specie panis & vini, quam videmus, & res inuisibiles, id est, caro & sanguinem honoramus.

Respondet dicendum, quod sensu apparet, facta consecratione, omnia accidentia panis & vini remanere. Quod quidem rationabiliter per diuinam providentiam fit. Primo quidem, quia non est conueniens hominibus, sed horribile carnem hominis comedere & sanguinem bibere. Et hoc proponuntur nobis caro & sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum, quæ frequentius in usum hominum veniunt, scilicet, panis & vini. Secundo, ne hoc sacramentum ad

infidelibus irriteretur. si sub specie propria Dominum nostrum manducavimus. Tertio, ut dum indusibiliter corpus & sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei.

Nam accidentia panis in hoc sacramento remanent, ut sub eis videatur corpus Christi, non autem sub propria specie, sicut supra dictum est. * Et ideo dicendum est, quod forma substantialis panis non remanet.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dicitur in lib. * de causis effectus plus dependet a causa prima, quam a causa secunda. Et ideo virtute Dei, qui est causa prima omnium, fieri potest, ut remaneant posteriora, prioribus sublati. Ad secundum dicendum, quod in hoc sacramento nulla est deceptio, sunt enim ibi secundum rei veritatem accidentia, que sensibus dijudicantur. Intellectus autem, cuius est proprium obiectum substantia, ut dicitur in 3. de anima * per fidem a deceptione preseruat. Et sic patet responsio ad tertium: Nam fides non est contra sensum; sed est de eo, quod sensus non attingit. Ad quartum dicendum, quod hac conuersio non proprie habet subiectum, ut dictum est, * sed tamen accidentia, que remanent, habent aliquam similitudinem subiecti.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet arti fieri aliquid, cuius forma non est accidens, sed forma substantialis, sicut arte possunt produci rana, & serpentes, talem enim formam non producit ars virtute propria, sed virtute naturalium principiorum. Et hoc modo producit formam substantialem panis virtute ignis decoquentis materiam ex farina & aqua confecta.

COMMENTARIUS.

In hoc articulo nihil circa corpus eius occurrit notandum quia tam assertio, quam congruentia Diui Thomae satis perspicua. In solutione autem ad primum, rationem indicat, ob quam potest accidens a substantia separari, quam infra q. 77. ar. 1. ex professo disputat. In solutione vero ad 2. & 3. agit de cognitione substantiae, quae ex sensibilibus speciebus confectis acquiri potest: de qua re dicemus commodius infra q. 77. disp. 16. sect. 1.

Ad secundum dicendum, quod anima est forma corporis, dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, & esse corporeum, & esse animatum, & si de alijs. Conuertitur igitur forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum, quod dat esse animatum tali anima.

Ad tertium dicendum, quod operationum panis, quaedam consequuntur ipsam ratione accidentium, sicut immutare sensum. Et tales operationes, inueniuntur in speciebus panis post consecrationem, propter illa accidentia, quae remanent. Quaedam autem operationes consequuntur panem, vel ratione materiae, sicut, quod conuertatur in aliquid, vel ratione formae substantialis sicut est operatio consequens speciem eius, puta, quod confirmat cor hominis. Et tales operationes inueniuntur in hoc sacramento, non propter formam, vel materiam quae remanet, sed quia miraculose conferuntur ipsis accidentibus, ut infra dicitur.

COMMENTARIUS.

ARTICVLVS VI.

Utrum facta consecratione remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis.

Hic articulus ex secundo expeditus erat, tamen; D. Thom. illum mouit propter specialem errorem impugandum, quem in illo refert: negat ergo manere formam substantialem panis, & tres rationes assert, quarum prima solum in probabili proportionefundatur, quia cum tota substantia in totam substantiam conuertatur, necesse est materiam & formam in formam conuertari, de qua proportionef infra dicemus.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis. Dicitur enim, quod facta consecratione, remanent accidentia. Sed cum panis sit quoddam artificiale, etiam forma eius est accidens. Ergo remanet, facta consecratione. 2. Praeterea, Forma corporis Christi est anima, dicitur enim 2. de anima, * quod anima est actus corporis physici potentiam habentis. Sed non potest dici: quod forma substantialis panis conuertatur in animam. Ergo videtur, quod remaneat, facta consecratione. 3. Praeterea, Propria operatio rei sequitur formam substantialem eius. Sed illud, quod remanet in hoc sacramento, nutrit, & omnem operationem facit, quam faceret panis existens. Ergo forma substantialis panis remanet in hoc sacramento, facta consecratione.

Secundario est difficilis: infert Diuus Thomas, si maneret forma panis a materia separata, illam fore intelligibilem actu, & intelligentem: quod tamen non sequitur, si illa forma non ex natura sua, sed per diuinam omnipotentiam separata maneat, sed ut supra dixi, Diuus Thomas his rationibus contentus est, probando hoc non esse, fieri iuxta rerum naturas: nam supponit, non esse asserenda miracula, quae nec in verbis formae fundamentum habent, neque mysterio deseruiunt & ad hoc inducit tertiam rationem quae optime probat, inutilem esse futuram huiusmodi formae separationem, & miraculosam conseruationem. In solutione ad 2. & 3. aliqua dicit, quae pertinent ad explicandum terminum conuersionis, & operationis accidentium, quae separata manent, quae non possunt usque ad quaestionem 76. & 77. recte explicari.

ARTICVLVS VII.

Utrum ista conuersio fiat in instanti.

Sed contra, Forma substantialis panis est de substantia panis. Sed substantia panis conuertitur in corpus CHRISTI, sicut dictum est. Ergo forma substantialis panis non manet. Respondeo dicendum, quod quidam posuerunt, quod facta consecratione, non solum remanent accidentia panis, sed etiam forma substantialis eius. Sed hoc esse non potest. Primo, quia si forma substantialis panis remaneret, nihil de pane conuerteretur in corpus Christi, nisi sola materia. Et ita sequeretur, quod non conuerteretur in corpus Christi totum, sed in eius materiam, quod repugnat formae sacramenti, quia dicitur, hoc est corpus meum. Secundo, quia si forma substantialis panis remaneret, aut remaneret in materia, aut a materia separata. Primum autem esse non potest, quia si remaneret in materia panis, tunc tota substantia panis remaneret, quod est contra praedicta. * In alia autem materia remanere non posset, quia propria forma non est, nisi in propria materia. Si autem remaneret a materia separata, iam esset forma intelligibilis actu, & etiam intelligens: Nam omnes formae a materia separatae sunt tales. Tertio est inconueniens huic sacramento. Franc. Suarez Tom. 3.

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod ista conuersio non fiat in instanti, sed sit successiua. In hac enim conuersione prius est substantia panis, & postea substantia corporis Christi. Non ergo vtrumque est in eodem instanti, sed in duobus instantibus. Sed inter qualibet duo instantia est tempus medium. Ergo oportet, quod haec conuersio fiat secundum successionem temporis, quod est inter vltimum instans, quo ibi est panis, & primum instans, quo ibi est corpus CHRISTI.

2. Praeterea. In omni conuersione est fieri, & factum esse.

D d d 2 Sed



Sed haec duo non sunt simul; quia, quod fit, non est, quod autem factum est, iam est. Ergo in hac conversione est prius & posterius, & ita oportet, quod non fit instantanea, sed successiva.

Lib. 4. cap. 5. parum à p. som. 4.

3. Præterea, Ambrosius, dicit in lib. de sacrament. quod istud Sacramentum Christi sermone conficitur. Sed sermo Christi successivè profertur. Ergo hac conversio fit successivè.

Sed contra est, quod hac conversio perficitur virtute infinita, cuius est subito operari.

RESPONDEO dicendum, quod aliqua mutatio est instantanea triplici ratione. Vno quidem modo ex parte formæ, quæ est terminus mutationis. Si enim sit aliqua forma, quæ recipiat magis & minus, successivè acquiritur subiecto, sicut sanitas. Et ideo, quia forma substantialis non recipit magis & minus, inde est, quod subito fit eius introductio in materia. Alio modo ex parte subiecti, quod quandoque successivè preparatur ad susceptionem formæ, & ideo aqua successivè calefit. Quando verò ipsum subiectum est in ultima dispositione ad formam, subito recipit ipsam sicut Diaphanum subito illuminatur. Tertio modo ex parte agentis, quod est infinita virtus. Unde statim potest materiam ad formam disponere, sicut dicitur Marci 7. quod cum Christus dixisset Ephata, quod est, adaperire, statim aperte sunt aures hominis, & solutum est vinculum lingue eius. Ex his tribus rationibus hæc conversio est instantanea. Primo quidem, quia substantia corporis Christi, ad quam terminatur ista conversio, non suscipit magis neque minus. Secundo, quia in hac conversione non est aliquid subiectum, quod successivè preparatur. Tertio, quia agitur Dei virtute infinita.

Ad primum ergo dicendum, quod quidam non simpliciter concedunt, quod inter qualibet duo instantia sit tempus medium. Vicunt enim, quod hoc habet locum in duobus instantibus, quæ referuntur ad eundem motum, non autem in duobus instantibus, quæ referuntur ad diversa: unde inter instantans, quod mensurat finem quietis, & aliud instantans, quod mensurat principium motus, non est tempus medium. Sed in hoc decipiuntur, quia unitas temporis & instantis, vel etiam pluralitas eorum, non accipitur secundum quoscunque motus, sed secundum primum motum cæli, qui est mensura omnis motus & quietis. Et ideo alij hoc concedunt in tempore, quod mensurat motum dependentem ex motu cæli. Sunt autem quidam motus ex motu cæli non dependentes, nec ad eos mensurati, sicut in prima parte dictum est de motibus Angelorum: Unde inter duo instantia, illis motibus respondentia non est tempus medium. Sed hoc non habet locum in proposito, quia quantum ista conversio secundum se non habeat ordinem ad motum cæli, conequitur tamen prolationem verborum, quam necesse est motu cæli mensurari. Et ideo necesse est inter qualibet duo instantia, circa istam conversionem signata, esse tempus medium. Quidam ergo dicunt, quod instantans, in quo ultimo est panis, & instantans, in quo primo est corpus Christi, sunt quidem duo per comparationem ad mensurata, sed sunt unum per comparationem ad tempus mensurans, sicut cum due linee se contingunt, sunt duo puncta ex parte duarum linearum. Vnum autem punctum ex parte loci continentis. Sed hoc non est simile, quia instantans & tempus particularibus motibus non est mensura intrinseca, sicut linea & punctus corporibus, sed solum extrinseca, sicut corporibus locus. Unde alij dicunt, quod est idem instantans re, sed aliud ratione. Sed secundum hoc sequeretur, quod realiter opposita essent simul, nam diversitas rationis non variat aliquid ex parte rei. Et ideo dicendum est, quod hæc conversio (sicut dictum est) perficitur per verba CHRISTI, quæ a sacerdote proferuntur, ita, quod ultimum instantans prolationis verborum est primum instantans, in quo est in Sacramento corpus Christi, in toto autem tempore precedente est ibi substantia panis, cuius temporis non est accipere aliquid instantans proxime precedens ultimum, quia tempus non componitur ex instantibus

2. p. q. 53. ar. 3.

consequenter se habentibus, ut probatur 6. Physic. * Et ideo

In cor. art.

est quidem dare primum instantans, in quo est corpus CHRISTI. Non est autem dare ultimum instantans in quo fit substantia panis, sed est dare ultimum tempus. Et idem est in mutationibus naturalibus, ut patet per Philof. in 8. Physic.*

Ad secundum dicendum, quod in mutationibus instantaneis simul est fieri & factum esse. Sicut simul est illuminari & illuminatum esse. Dicitur enim in talibus factum esse secundum quod iam est, fieri autem, secundum quod ante non fuit.

Ad tertium dicendum, quod ista conversio (sicut dictum est) fit in ultimo instanti prolationis verborum, tunc enim completur verborum significatio, quæ est efficax in sacramentorum formis. Et ideo non sequitur, quod ista conversio fit successiva.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hæc sit falsa, Ex pane fit corpus Christi.

Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod hæc sit falsa.

Ex pane fit corpus Christi. Omne enim id, ex quo fit aliquid, est id, quod fit illud, sed non convertitur: Dicimus enim, quod ex albo fit nigrum & quod album fit nigrum, & licet di. annis, quod homo fiat niger, non tamen dicimus, quod ex homine fiat nigrum, ut patet in 1. Physic.* Si ergo verum est, quod ex pane fiat corpus Christi, verum erit dicere, quod panis fiat corpus Christi. Quod videtur esse falsum, quia panis non est subiectum factionis, sed magis est terminus. Ergo non verè dicitur, quod ex pane fiat corpus Christi.

2. Præterea. Fuit terminatur ad esse, vel ad factum esse. Sed hæc nunquam est vera panis est corpus CHRISTI, vel panis factus est corpus CHRISTI, vel etiam panis erit corpus Christi. Ergo videtur, quod nec etiam hæc sit vera, ex pane fit corpus Christi.

3. Præterea. Omne id, ex quo fit aliquid, convertitur in id, quod fit ex eo. Sed hæc videtur esse falsa, panis convertitur in corpus Christi, quia hæc conversio videtur esse miraculosa, quam creatio mundi, in qua tamen non dicitur, quod non ens convertitur in ens. Ergo videtur, quod etiam hæc sit falsa, ex pane fit corpus Christi.

4. Præterea, illud, ex quo fit aliquid, potest esse illud. Sed hæc est falsa, panis potest esse corpus Christi. Ergo & hæc est falsa, ex pane fit corpus Christi.

Sed contra est, quod Ambrosius dicit in lib. de sacramentis. Vbi accidit consecratio, de pane fit corpus Christi.

RESPONDEO dicendum, quod hæc conversio panis in corpus CHRISTI, quantum ad aliquid, conuenit cum creatione & cum transmutatione naturali, & quantum ad aliquid differt ab utroque. Est enim commune his tribus, ordo terminorum, scilicet, ut post hoc fit hoc (in creatione enim est esse post non esse, in hoc Sacramento, corpus CHRISTI post substantiam panis, in transmutatione naturali album post nigrum vel ignis post aerem) & quod predicti termini non sunt simul. Conuenit autem conversio, de qua nunc loquimur, cum creatione, quia in neutra earum est aliquid commune subiectum utriusque extremorum, cuius contrarium apparet in omni transmutatione naturali. Conuenit vero hæc conversio cum transmutatione naturali in duobus, licet non similiter. Primo quidem, quia in utraque unum extremorum transit in aliud (sicut panis in corpus CHRISTI, & aer in ignem) non autem non ens convertitur in ens. Aliter tamen hoc accidit utroque. Nam in hoc Sacramento tota substantia panis transit in totum corpus CHRISTI, sed in transmutatione naturali materia unius suscipit formam alterius, priori forma deposita. Secundo conueniunt in hoc, quod utroque remanet aliquid idem, quod non accidit in creatione. Differenter tamen, nam in transmutatione naturali remanet eadem materia, vel subiectum, in hoc autem Sacramento remanent eadè accidentia. Et ex his potest accipi, quod differet.

different in talibus loqui debeamus. Quia enim in nullo prædicationum trium extrema sunt simul, ideo in nullo eorum potest unum extremum de alio predicari per verbum substantivum presentis temporis. non enim dicimus, non ens esse ens: vel panis est corpus Christi: vel aer est ignis, vel album est nigrum. Propter ordinem vero extremorum possumus vti in omnibus, hac præpositione, ex: qua ordinem designat, possumus enim vere & proprie dicere, quod ex non ente sit ens, & ex pane corpus Christi, & ex aere ignis, vel ex albo nigrum. Quia vero in creatione unum extremorum non transit in alterum, non possumus in creatione vti verbo conuersionis, vt dicamus, quod non ens conuertitur in ens. Quo tamen verbo vti possumus in hoc sacramento, sicut in transmutatione naturali. Sed quia in hoc sacramento, tota substantia in totam substantiam mutatur, propter hoc hac conuersio proprie transsubstantiatio vocatur. Rursus, quia huius conuersionis non est accipere aliquod subiectum, ea, que verificantur in conuersione naturali ratione subiecti, non sunt concedenda in hac conuersione. Et primo quidem manifestum est, quod potentia ad oppositum consequitur subiectum, ratione cuius dicimus, quod album potest esse nigrum, & aer potest esse ignis, licet hæc non sit ita propria, sicut prima. Nam subiectum albi (in quo est potentia ad nigredinem) est tota substantia albi: non enim albedo est pars eius, subiectum autem forme aeris, est pars eius: vnde cum dicitur, aer potest esse ignis, verificatur ratione partis per Synecdochen. Sed in hac conuersione, & similiter in creatione, quia nullum est subiectum, non dicitur, quod unum extremum potest esse aliud, sicut, quod non ens potest esse ens, vel, quod panis potest esse corpus Christi. Et eadem ratione non potest proprie dici, quod de non ente fiat ens, vel quod de pane fiat corpus Christi, quia hæc præpositio, de, designat causam consubstantialitatis, que quidem consubstantialitas extremorum in transmutationibus naturalibus attenditur penes conuenientiam in subiecto. Et simili ratione non conceditur, quod panis erit corpus Christi, vel quod fiat corpus Christi, sicut neque conceditur in creatione, quod non ens erit ens, vel quod non ens fiat ens, quia hic modus loquendi verificatur in transmutationibus naturalibus ratione subiecti, puta, cum dicimus, quod album sit nigrum, vel album erit nigrum. Quia tamen in hoc sacramento, facta conuersione, aliquid idem manet, scilicet accidentia panis, vt supra dictum est. Secundum quandam similitudinem, aliqua harum locutionum possumus concedi, scilicet quod panis sit corpus Christi, vel panis erit corpus Christi, vel de pane sit corpus Christi, vt nomine panis non intelligatur substantia panis, sed in vniuersale, hoc quod sub speciebus panis continetur, sub quibus prius continetur substantia panis, & postea corpus Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod illud, ex quo aliquid fit, quandoque quidem importat, simul subiectum cum vno extremorum transmutationis, sicut cum dicitur, ex albo sit nigrum, & sic etiam dici potest hoc fit illud, id est, album sit nigrum, quandoque vero importat solum oppositum vel extremum, sicut cum dicitur, ex mane sit dies, & sic non conceditur, quod hoc fiat illud, id est, quod mane fiat dies. Et ita etiam in proposito, licet proprie dicatur, quod ex pane fiat corpus Christi, non tamen proprie dicitur, quod panis fiat corpus Christi, nisi secundum quandam similitudinem, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quod illud, ex quo fit aliquid, quandoque erit illud propter subiectum, quod importatur. Et ideo cum huius conuersionis non sit aliquid subiectum, non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod in hac conuersione sunt plura difficultates, quam in creatione, in qua hoc solum difficile est, quod aliquid fit ex nihilo, quod tamen pertinet ad proprium modum productionis primæ causæ, que nihil aliud præsupponit. Sed in hac conuersione non solum est difficile, quod hoc totum conuertitur in illud totum, ita quod nihil prioris remaneat (quod non pertinet ad communem modum productionis alicuius causæ) sed etiam habet hoc difficile, quod accidentia remaneant corrupta substantia, & multa alia, de quibus in Franc. Suarez Tom. 3.

sequentibus agetur. Tamen verbum conuersionis recipitur in hoc sacramento, non autem in creatione, sicut dictum est.

Ad quartum dicendum, quod sicut dictum est, potentia pertinet ad subiectum, quod non est accidere in hac conuersione. Et ideo non conceditur, quod panis possit esse corpus Christi: In corpore, non enim hac conuersione fit per potentiam passiuam creaturæ, sed per solam potentiam actiuam creationis.

Hic explicat Diu. Thom. modum loquendi de hac conuersione, de quo dicemus sectione penultima sequentis disputationis, explicata prius ipsa re:

DISPUTATIO L.

De transitu seu conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi: qua transsubstantiatio dicitur.

In superioribus disputationibus explicatum est, quid in consecratione huius sacramenti fiat. Nunc exponendum est, quomodo & per quam actionem seu mutationem fiat: diximus enim, in hac consecratione esse successiōem quandam duarum substantiarum, quarum altera definit esse, & habet rationem termini à quo: altera vero incipit esse sub speciebus, & habet rationem termini, ad quem principaliter tendit consecratio: videndum ergo superest, qualis sit hæc successio, seu transitus, que res Theologis omnibus difficillima visa est, quia & omnino supernaturalis est, & nullam similem habet in natura. Quoniam vero tota pendet ex doctrina fidei, primum statuemus, quid de hac conuersione fides doceat: deinde, vt fidei doctrinam declaremus, proponemus ea, que sunt de ratione veræ conuersionis, ac postea singula in hoc mysterio inuestigabimus, ac tandem, quomodo de hac conuersione loquendum sit, docebimus.

SECTIO I.

An sacramentum Eucharistie perficiatur per veram conuersionem, & transsubstantiationem.

Primo hæretici: qui, vel negant præsentiam Christi, vel affirmant præsentiam substantiæ panis conuersionem tollunt, & in hoc inter se conueniunt Lutherani & Caluinistæ, & alij supra relati, qui omnes in transsubstantiationis nomen inuehuntur; illud appellantes nouum, barbarum, & portentosum. Secundo, qui negant, manere substantiam panis, concedunt tamen aliquid illius manere, admittunt quidem conuersionem; transsubstantiationem tamen euertunt, licet fortasse nomen transsubstantiationis retineant; sed de his erroribus, & de eorum fundamentis nihil noui dicendum occurrit, quia non habent noua fundamenta, sed ex falsis principiis consequenter pullulant.

Lutheranus & Calvinistarum hæc est circa transsubstantiationem

• Dico ergo primo: Sacramentum Eucharistie conficitur per veram conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Hæc assertio est de fide: nam licet sub his verbis non habeatur in scriptura, ea tamen docet Ecclesia ab Apostolis edocta, docet simul, panis & uita esse intelligenda verba formæ, & in vero sensu eorum, hanc veritatem contineri. Hinc Concilium Florentinum dixit: Substantia panis in corpus, substantia vini in sanguinem conuertitur, sicut Tridentinum sessione 13. capit. 4. dicens. Quoniam Christus corpus suum id, quod sub speciebus panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit: idque nunc denuo sancta Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conuersionem heri totius substantiæ panis in substantiâ corporis Christi.

i. Conclus. Eucharistia conficitur per veram conuersionem panis & vini in corpus Christi, & est de fide.

Ddd 3 Domini

Domini nostri, & totius substantia vini in substantiam sanguinis eius. Hanc vero esse Ecclesiasticam traditionem, vt Conciliū dixit, constat ex antiquissimis Patribus nomine n. (conuersionis) vtitur Ambr. l. 4. de sacramentis c. 5. & l. 6. c. 1. & libro de Mysteriis, c. 9. vtitur nomine (transmutationis) quod perinde est. Idem Cypr. ser. de Cæna Domini, in illo verbo, Non effigie, sed natura mutatus. Idem Damasc. lib. 4. c. 14. Chrysof. Homil. de prodicione Iudæ & Homil. 83. in Matth. Cyrill. Hierosol. Catech. 4. mystag. & Cyrillus Alexand. in epist. ad Colosirium, aquod D. Th. in Cæna Luc. 22. Greg. Niss. orat. Catech. c. 37. Hefych. l. 6. in Leuit. c. 22. Orig. 8. contra Celsum, dicit, Panem fieri corpus sanctum per precationem. Quod etiam dixit Tertull. 4. contra Marcionem c. 40. quod magis proprie dixit August. in c. Verum sub figura. de consecr. dist. 2. Corpus & Sanguinem Christi virtute Spiritus sancti ex panis & vini substantia effici. & Gaudencius Brixien. tract. 2. in Exod. De pane effici corpus, & de vino sanguinem, & infra. Ne terrenum putes, quod celeste effectum est per eum, qui transit in illum, efficit illud corpus suum, & sanguinem. Sic Iuseb. Emiff. Hom. 5. de Paschate dixit. Sacerdotem visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis Christi secreta potestate conuertere. Et ibidem ait. Panem transire in naturam Domini corporis. & eadem voce transitus vsus est Remig. 1. ad Cor. 10. Anselm. vero epist. de corpore & sanguine Domini, Migrare, dicit panem in corpus. Fulbertus vero epistola ad Bereng. dixit, transfundi, Alger. dixit, tranci & transferri, in lib. de hoc sacramento Theoph. Matth. 23. & Marc. 24. & conuertere dixit, & transelementari, & Ioan. 6. dixit, transformari, & similia verba sepe habet Rupertus l. 5. in Ioannē, & plures loquendi formulas antiquissimas, quæ hanc conuersionem aperte indicant, referam in progressu huius dissertationis, quæ adduximus etiã disput. præced. sect. 2. hanc veritatem confirmant, & ex veritate ibi tradita, petenda est ratio huius conclusionis. Nam ad veritatem verborum Christi necesse est, vt in fine illorum, contentum sub speciebus iam non sit panis, sed corpus Christi: ergo necesse est, vt panis desierit, & vice illius corpus Christi successerit: ergo facta est conuersio vnius in aliud. Probatio huius vltimæ consequentiæ pendet ex omnibus dictendis in hac disputatione nam ex hac ratione nascitur aliud dubium, scilicet an possint verba Christi esse vera, absque vera conuersione.

S. Ambrosius

S. Cyprianus

S. Damascus

S. Chrysofostomus

S. Cyrillus Hierosolymitanus

S. Cyrillus Alexandrinus

S. Gregorius Nissenus

Hefychius

Origenes

Tertullianus

S. Augustinus

Gaudencius

Eusebius Emiffianus

Remigius

Anselmus

Fulbertus

Theophylactus

Rupertus

Conclusio

Prædicta conuersio est de

transubstantiatio

Florentina

Tridentina

Dico secundo: sacramentum Eucharistiæ confici per veram transubstantiationem panis in corpus, & vini in sanguinem Christi. Hæc conclusio non continet rem distinctam à præcedente, sed solum ponitur ad explicandam vocem, qua vsus est Concilium Lateranense sub Innocentio 3. c. 1. vbi sub hac voce definiti huius sacramenti credendam proponit, & ca. 3. anathematizat eos, qui aliter sentiunt: & eandem sententiam probauit Conc. Flor. in decreto Eugenij, quamuis non omnino sub eadem voce, sed illis verbis, Substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertitur. Clarius Tridentinum supra dixit. Quæ conuersio conuenienter & proprie à sancta Catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata: & Canone quarto, quam conuersionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat. Ratio vero huius conclusionis est eadem, quæ præcedentis, quod ad rem attinet, quin hic commutatur tota substantia in totam, quod singulare est huic conuersioni habet ergo propriam & specificam rationem, distinctam ab aliis conuersionibus ex præsupposito subiecto: hanc ergo rationem illa voce significamus. Quod vero attinet ad nomen, ratio est, quia cum hic transeat tota substantia in totam substantiam, quod in nulla alia conuersione accidit, nullum erat nomen conuersiones alias significans, quod propriam rationem huius conuersionis indicaret: quapropter necessarium fuit, nouum excogitare nomen,

quod illa explicaret, tū, vt simpliciter possemus de hoc mysterio loqui, tum ad notandos & cauendos nouos errores circa hoc mysterium insurgentes. Quocirca, licet antiqui Patres vbi fuerint varijs nominibus, vt vidimus inter explicandum hoc mysterium, omnia tamen illa, vel generalia sunt, vt nomen, conuersionis, mutationis, transitus & migrationis: vel accidentariæ mutationi magis sunt accommodata, vt nomen transfigurationis, & si quæ sunt similia: solum illud nomen transelementatio, quo vsus est Theophylactus, magis accedere videtur ad proprietatem mysterij explicandam: quia significat mutationem vsq; ad prima elementa, etiam vsq; ad materiam primam, tamen illa vox & durior est, & non satis accommodata, significare enim potest conuersionem vnius elementum in aliud, vel resolutionem mixti in elementa: at vero transubstantiatio propriissime & accommodatissime significat transitum, seu conuersionem totius substantiæ in totam substantiam. Neque est nouum in Ecclesia ad confutandas Hæreses & explicanda mysteria noua inuenire nomina, quæ res antiquas proprie significant, & veritatem Catholicam satis expriment, & sic olim inuentum est *Quædam*, seu cõsubstantialis, & nomen *ἁπόστασις*, Deipara: sic etiam Euangelista mutationem Christi in clementer splendore & specie transfigurationem vocauit: eodem ergo Spiritu ducta Ecclesia mutationem substantiarum transubstantiationem appellat.

Ex hac fidei doctrina colligitur primò, corrigendos esse Scholasticos, qui hanc doctrinam de conuersione hæc, seu de transubstantiatione non admodum antiquam esse dixerunt; inter quos sunt Scotus d. 10. q. 1. §. Quantum ergo ad istud argumentum, & dist. 11. q. 3. Gabriel lectio 41. in Canone. Constat enim ex dictis, & ex definitione Concilij Tridentini, & ex Concilio Romano sub Gregorio septimo supra relato, rem ipsam antiquissimam esse, ac perpetuo in Ecclesia creditam, quamuis fortasse superioribus temporibus non fuerit tam aperte explicata, sicut modo est.

Secundò infero, si quis confiteatur præsentiam corporis Christi, & absentiam panis, neget tamen veram conuersionem vnius in aliud, in hæreticis labi, quia Ecclesia Catholica non solum dicit priora, sed etiam hoc æternum deinit ac docet, sicut in miraculo factò à Christo, Ioannis 2: non solum de fide est, illis hydris prius fuisse aquam impositam, & postea inuentum illic fuisse vinum, sed etiam est de hæc, aquam conuersam esse in vinum, si quis tamen contemderet rem totam: vocem transubstantiationis abijceret, vt ineptam & barbaram, in re ipsa non existimo esse hæreticam, quia vsus vocis per se non pertinet ad obiectum fidei, esset tamen valde temerarius, scandalosus, ac pijs aures offenderet, ac denique in externò foro habendus esset vehementer de hæreticis suspicatus.

SECTIO II.

Quæ sint ad veram conuersionem & transubstantiationem necessaria.

Hæc quæstio magna ex parte Philosophica est, absquillius tamen cognitione non potest explicari hoc mysterium, nec reddi ratio veritatis traditæ. Supponendum vero in primis est, quid nomine conuersionis significetur, significat enim hæc vox transitum vnius rei in aliam, vt constat ex communi conceptione hominum: Ex hac autem communi conceptione intulerunt aliqui, conuersionem tantum esse relationem talium rerum, seu terminorum inter se, & adducunt Diuum Thomam hic, articulo quarto ad primum, dicentem, conuersionem substantialem importare ordinem substantiarum. Sed hoc, si

hoc, si de propria relatione intelligitur, verum esse non potest, vt ostendemus: potius igitur ex prædicta vocis significatione sumendum primo est, ad conuersionem necessarium esse, vt sit inter duas res positivas, quarum altera habeat rationem termini à quo, & altera, ad quem, quia ab vna fit transitus in aliam, quod videre licet in omni conuersione, si Inductio hat. Et confirmatur, quia in hoc distinguitur conuersio à simplici productione, in qua non sequitur alterius desitio, vel corruptio, & à simplici desitione & corruptione, quæ non terminatur ad alterius rei productionem, creatio enim non est conuersio, neq; etiã annihilatio, neque illuminatio, vel obenebratio: Est autem propria conuersio, quando ex calido fit frigidum, &c.

Dices, motus localis fit inter terminos positivos, & tamen non est conuersio, quia vnum ibi non conuertitur in aliud. Respondetur primo, non diximus omnem transitum inter terminos positivos esse conuersionem, sed è contrario; omnem conuersionem esse inter terminos positivos. Deinde illa etiã mutatio potest dici conuersio non loci in locum, aut Vbi in Vbi, quia vt D. Thom. docet, conuersio non est inter formas, sed inter composita aut concreta: Non enim conuertitur albedo in nigredinem, sed album in nigrum, & similiter in præsentem sit stans, & ex existente in loco superiori, fit existens in loco inferiori.

Sed potest rursus obici, quia generatio ignis est propria conuersio, & tamen, si res attente consideretur, non fit ex termino positivo, sed priuatiuo, quia prius natura expellitur forma ligni, per dispositiones præcedentes, & ita, cum fit ipsa generatio substantialis, iam non fit proprie ex ligno, sed ex non igne. Propter hoc dicunt aliqui, naturalem conuersionem, præsertim substantialem, non esse propriam conuersionem, & in hoc superari à supernaturali conuersione, quæ subito fit, & sine alteratione præuiã, vt quando Christus conuertit, aquam in vinum, vel Deus feminam in statum salis: nam ibi proprie fit transitus à substantia in substantiam. Sed in primis in hoc nulla est differentia, quæ ad rem spectet: nam istæ supernaturales conuersiones in exemplum adductæ, vere sunt conuersiones formales, & non differunt à naturali conuersione in substantia, sed in modo, vt Diuus Thomas docuit, in 2. distinctione 18. quæstione 1. articulo 3. ad 4. & in 4. distinctione 18. quæstione 1. articulo 5. quæstioncula 1. Modus autem ille solum est, quod subito & immediate fit, quod ab agente naturali, non nisi paulatim, & interdum fortasse per multas transmutationes fieri posset: tamen sicut in naturali conuersione præcedunt dispositiones, quæ prius incipiunt, & in instante generationis consummantur, ita in hac supernaturali conuersione formalis, in ipso instante conuersionis subito fiunt integræ dispositiones, quæ natura etiam antecedunt formam substantialem, & eodem modo dici possunt expellere contrariam: ergo reuera nulla est differentia. Nam quod illæ dispositiones prius fuerint inchoatæ, nec ne, nihil refert ad veritatem, & proprietatem conuersionis substantialis, quæ in momento fit. Et confirmatur, quia propriissime dicitur, viuens conuerrere alimentum in substantiam suam. Respondetur ergo, etiam si dispositiones aliquo modo dicantur in suo genere expellere formam, proprie tamen vnam formam substantialem expellere aliam, formaliter, & ex vi generationis vnius sequi corruptionem alterius, & hoc satis esse ad veram conuersionem.

Et addo vterius, etiam si lignum corrumpatur per solam alterationem, quæ extrinsece tantum ad generationem terminaretur, illud fore sufficientem ad veram conuersionem, quia simpliciter illa res fieret ex termino positivo, aliquo modo sibi repugnante, & talis terminus non desineret esse, nisi

ex illo alius fieret, quod satis est ad conuersionem, vt magis ex dicendis constabit.

Secunda conditio necessaria; ad conuersionem, est, vt vnus terminus, ex quo fit conuersio, aliquo modo desinat esse, & alius, ad quem fit conuersio, aliquo modo fiat, seu incipiat esse. Hæc etiam assertio communis est, & fere per se nota ex significatione vocis: patet enim prior pars, quia, quod conuertitur, transit in aliud: ergo necesse est, vt aliquo modo desinat esse. Item in omni mutatione terminus à quo desinit, sed res, quæ conuertitur, habet in hoc transitu rationem termini à quo: ergo necesse est, vt aliquo modo esse desinat. Denique si nullo modo esse desineret, nullo modo mutaretur, nec proprie, nec improprie, sed maneret, sicut antea: ergo nulla esset ratio, ob quã ex talire diceretur fieri alia, magis, quam ex aliis rebus, quæ immutata etiam manent. Altera pars, de termino ad quem, fere eisdem modis probari potest, quia conuersio, vt dixi, non est pura corruptio, vel desitio, sed includit posituum transitum, vel effectum nem aliquam positiuam: ergo necesse est, vt per eam aliquid fiat in re, ad quam conuersio tendit: nam impossibile est, intelligere posituum influxum causæ efficientis, quin illi respondeat aliquo modo fieri, & factum esse in aliqua re. Secundo, quia hoc inuenitur in omni termino ad quem, cuiuscunque alterius mutationis: ergo & in hoc. Tertio quia, si ille terminus eodem modo, se haberet, sicut antea, non esset ratio, propter quam alia res diceretur in eum conuersa, magis, quam in res alias, quia talis denominatio nullum habet in re fundamentum, sed gratis est constituta. Quod ita ostendo & declaro, quia, cum res aliqua dicitur esse terminus, in quem alia est conuersa, vt hæc denominatio est intrinseca tali termino, & sic necesse est sumi ab aliqua re in ipso existente, quæ in illo fiat, noua vel nouo modo, cum denominatio sit noua, & quæ antea non erat, sed ex conuersione prouenerit, ergo, quo ad hoc, necesse est, talem terminum esse aliquo modo de nouo factum, vel illa denominatio est per se extrinseca, & tunc vterius in interrogatio, an sumatur à forma reali positua, licet intrinseca: de qua forma vterius inquiram, vbi fit, & quæ sit, & an facta sit de nouo, & nihil poterit in his omnibus responderi probabiliter, & quicquid dicatur, talis forma, vel compositum, in quo illa fuerit, erit positius terminus conuersionis, quam res illa, quæ dicitur extrinsece denominari, quia realis effectio non tendit per se ad intrinsecam denominationem, vel sumitur extrinseca hæc denominatio solum à desitione alterius termini, & hoc etiam non potest, quia illa desitio est quid priuatiuum, à quo non potest sumi denominatio positua, esse autem terminum ad quem conuersionis, est aliquid posituum, neque etiam intelligi potest, quæ alia denominatio, etiam priuatiua, redundet in terminum ad quem, ex sola desitione termini à quo, quandoquidem ille nulla re priuatur propter desitionem alterius.

Dicunt aliqui posse vnam rem conuerti in aliam, solum, quia desinit in illam: ita vt desitio vnius non terminetur simpliciter ad non esse, sed ad aliam rem: potest autem hoc modo terminari (inquirunt) ad aliam rem, quæ antea existerat, etiam si in illa nihil de nouo ponatur, nec nouum esse, nec nouus modus, nec huius dependentia. Cuius sententiæ videtur esse Caietan. supra, quæstione secunda, articulo primo, & Scotus in 4. distinctione 10. quæstione 1. articulo 2. & in quodlibet 10. Ille enim, etiam in hoc sacramento, videtur distinguere actionem conuersiuam ab adductiuã, & priorem explicare videtur dicto modo, & ita eum intelligunt discipuli eius, unde inferunt, posse fieri actionem conuersiuam panis in corpus Christi, manente corpore in celo, & eodem modo, quo antea, si actioni conuersiuæ non coniungatur adductiuã, & consequenter Caietanus

Impugnatur concedere videtur posse aliquid conuerti in Deum. Sed hæc ratio, & prædicta ratione facta, & suismet illationibus satis confutatur: Interrogo enim, quid sit, definitionem vnius rei terminari ad aliam, si in illa, nec rem, nec dependentiam nouam ponit. Illud enim terminari non poterit esse aliquid intrinsecum in illo termino ad quem, quia in illo nihil ponit de nouo: Si autem est aliquid extrinsecum, illud esse non potest, nisi sola priuatio, quæ non potest denominare talem terminum, cum non priuè illum, neque extrinsecò aliquo, neque intrinsecò. Deinde, illud, quod in termino ad quem supponitur actioni, quatenus supponitur, nõ est terminus, quia, vt sic, nullo modo fit, sed potius, vt sic, se habet ad modum subiecti: Ergo, si actio conuersiua terminatur ad præexistentem, illa quatenus præexistens, non poterit esse terminus. Ergo oportet, vt sit terminus, quatenus aliquid de nouo, vel nouo modo in illa fit: nõ potest enim esse terminus actionis realis, solum quatenus de nouo extrinsecò denominatur, quia necesse est, vt actio realis positiua, habeat realem, & intrinsecum terminum, qui per illam fiat, à quo poterit resultare denominatio extrinsecò, patet antecedens argumento factò, quia actio est realis influxus causæ efficientis, cui respondet realis effectus. Nam, si datur facere, illi respondet fieri, & fieri respondet factum esse. Nec valet distinctio aliorum de actione conuersiua, vel nõ conuersiua: quia actio conuersiua, si est vera actio, vt reuera est, & statim eam probabimus, necesse est, vt illi conueniat id, quod est de essentia actionis realis vt sic. Præterea, si corpus Christi verbi gratia, in celo post definitionem panis, eodem modo profus se habet, quo corpus Virginis, quare panis magis conuersus sit in illud, quam in corpus Virginis? Certe, neq; ex parte corporis, neque ex parte panis, reddi potest ratio. Sed dicere possunt, quia ex intentione agentis, hæc definitio panis terminatur ad corpus Christi, & nõ ad corpus Virginis. Sed quid refert intentio agentis? aut qualis illa esse potest, si in re nihil operatur? Hic vero nihil operatur, quia non ponit maiorem habitudinem in hac definitione, respectu vnius corporis, quam respectu alterius, quia neque ipsa definitio in se aliter se habet, cum sit mera negatio, vel priuatio, neque ipsum corpus aliter etiam se habet, vt prædicta sententia supponit. Denique, quod aliqua creatura possit conuerti in Deum, est factus falsum & absurdum, & contra Diuum Thomam in illa questione, articulo secundo, & fere contra omnes Doctores, vt postea videbimus.

*Enasit**Impugnatur**D. Thom.*

Tertio ex prædictis colligitur, in omni reali conuersione necessariam esse, vt minimum, vnam realem actionem, & duas partiales mutationes, vel quasi mutationes. Hoc totum manifestum est in omni conuersione formali, tam naturali, quam supernaturali. Quod autem hoc sit simpliciter de necessitate conuersionis realis vt sic, facile potest ex dictis probari. Et primo patet prior pars de actione: quia, vt dicebatur, conuersio differt à mera definitione, vel corruptione: ergo conuersio non fit per solam suspensionem influxus causæ agentis: quia ex hac definitione præcise non sequitur, nisi pura definitio vel corruptio: ergo requirit conuersio positiuum influxum causæ agentis: ergo requirit actionem. Quod præterea tantum videtur ex terminis, vt superfluum sit illud probare: quia conuersio positiua sine conuersione actiua, mente concipi potest, & minus intelligi potest conuersio actiua sine reali actione. Dixi autem, vt minimum, quia in dubium verti potest, an necessarium sit actionem hanc esse vnam tantum, vel possint interdum esse plures, quasi partiales, & inter se connexæ: in conuersionibus enim formalibus vna actio sufficit, per quam fit terminus ad quem, & consequenter expellitur etiam formaliter terminus à quo, & hoc fortasse inuenitur in omni alia actione tam naturali,

quam supernaturali extra hoc mysterium, hic vero habet specialem difficultatem, quam infra tractabimus, quia pendet ex dicendis.

Alter pars conclusionis de duplici mutatione factis patet ex dictis, quia in conuersione sunt duo termini, & vnus transit aliquo modo de esse ad non esse: fit ergo in illo mutatio priuatiua, de hoc nullo dubitat, quia, quod conuertitur, quatenus conuertitur, non manet, vt supra dixit Diuus Thomas, artic. 2. & ex ipsa voce est per se notum, alter vero terminus, scilicet, ad quem, aliquo modo fit, seu transit de non esse ad esse, vt probatur: ergo ex parte illius est mutatio positiua, dixi autem, vel quasi mutationes: quia iuxta physicam proprietatem mutatio præsupponit subiectum, & hoc modo est quidem necessaria mutatio in omni conuersione formali, quia in ea fit solum mutatio ratione formæ, manente eodem subiecto sub vtroque termino: Non potest autem hoc esse de ratione conuersionis vt sic, quia potest dari conuersio, quæ non fit ex subiecto: latius ergo potest dici mutatio, omnis inceptio, vel definitio rei, quia, quod incipit, aut definit, aliter se habet, quam antea, & hoc sensu diximus, necessariam esse in omni conuersione duplicem mutationem, vel quasi mutationem. Atq; hinc constat, conuersionem non posse dici relationem si proprie loquamur, quia conuersio actiua, est actio, vt ostensum est: conuersio autem passiuæ, prout se tenet ex parte termini, non potest esse sola relatio prædicamentalis, vt iam etiam ostendimus: sed necessario esse debet dependentia, vel fieri vnius termini cù definitione alterius: & confirmatur, quia, si est relatio, vel est inter terminos conuersionis inter se, vel inter terminum ad quem, seu suppositiuum terminum conuersionis, & ipsum agens, primum dici non potest, quia illa relatio tantum potest esse relatio relationis, quæ est inter ens & non ens, quis autem dicat, realem conuersionem esse tantum relationem rationis: Præterea, quamuis fingatur esse relatio realis, necessarium esset antecedere fundamentum eius, ex quo consequeretur. Non est autem aliud, nisi ipsa conuersio. Idem argumentum fieri potest in alio membro, si dicatur hæc relatio esse inter terminum conuersionis, & causam agentem, quia etiam oportet, talem relationem fundari in ipsa emanatione talis termini ab agente, siue illa emanatio dicat aliquam dependentiam ex natura rei distinctam ab ipso termino, siue essentialiter in formali ratione eius includam, hoc enim ad præsentem questionem non pertinet, dummodo intelligamus, hanc conuersionem passiuam non consistere proprie in illa relatione, sed in fundamento eius, concurrentibus aliis conditionibus, statim declarandis.

Sed occurrit in hac conditione grauis difficultas, an oporteat in conuersione substantiali hanc duplicem mutationem esse substantialem: ex parte vniusque termini, vel alterius: Sunt enim in hoc variae sententiae. Quidam enim existimant, requiri mutationem substantialem ex parte rei conuersæ, non vero ex parte eius, in quam fit conuersio. Ita videtur sentire Okam in 4. quaestio. 6. dub. 3. quem aliqui recentiores sequuntur, fundari solum in nomine conuersionis, quod potissime significare videtur habitudinem termini à quo, qui, dum conuertitur, non manet, sed præsertim videtur inueniri hic dicendum: ad explicandum hoc mysterium, in quo nulla substantialis mutatio fieri videtur in termino ad quem, cum tamen hic fiat sententia mihi non probatur. Primo quidem, quia neq; ad hoc mysterium explicandum est necessaria, vt infra ostendam, neque in aliqua alia conuersione naturali, aut supernaturali habet fundamentum: semper enim conuersio substantialis ad aliquam substantiam terminatur, vel ad aliquod esse substantiale, quod de nouo acquiritur, saltem respectu

Alia enasit etia refutatur.

specu totius compositi, quod dico propter generationem hominis, vel propter conuersionem alimentum in hominis substantiam, in qua, licet non fiant de nouo essentiales partes, ex quibus constat terminus ad quem talis conuersionis, vniuntur tamen substantia- liter, & ita de nouo fit aliqua substantia. Et declaratur, nam, si fingeremus per alterationem fieri corruptionem substantiarum, & tamen forme substantia- li non succedere aliam substantialem formam, sed solum qualitatem aliquam cōseruantem materiam, nullus diceret esse conuersionem substantialem, sed solum corruptionem, sicut opinati sunt multi, ponētes formam corporeitatis, & afferentes, interdū manere materiam cum sola illa, ablata specifica forma. Secundo, quia in conuersione considerari potest, vel actio, quæ dici potest conuersio actiua, vel passio, siue passiuua conuersio, si de actiōe sit sermo, illa necessa- rio est accidentaria, quādo terminus ad quem, est acci- dens, quia actio totam suam rationem & entitatem habet ex termino ad quem. Si vero loquamur de cō- uersione passiuua, illa, vt dicebam, constat ex duplici mutatione, quæ partim fit in termino à quo, partim in termino ad quem: Si ergo illa, quæ fit in termino ad quem, est accidentalis, licet illa, quæ fit in termino à quo, sit aliquo modo substantialis, cur tota conuersio dicatur substantialis, cum acquisitio termini ad quem, sit perse intenta. Desitio vero termini à quo, fit per accidens cōsecuta, cumq; illa mutatio, quæ est ad terminum ad quem, sit postiuua, altera sit tantum priuatiua, ac denique cum omnis alia mutatio suam rationem præcipue sumat ex termino ad quem: Et confirmatur: nam, quis dicat fore conuersionem substantialem, si substantia panis conuerteretur in solum quantitatem corporis Christi, fore vero acci- dentalem, si quantitas conuerteretur in materiam, seu substantiam? Ratio autem fundata solum in nomine conuersionis, non videtur esse vllius momen- ti, quia conuersio vtramque habitudinem significat, nec magis importat destructionem vnius termini, quam alterius effectiōem, & contrarium gratis & sine fundamento assumitur.

Propter has ergo rationes, potest esse secundus dicendi modus, ad conuersionem substantialem per se requiri, vt in termino ad quem, fiat mutatio, seu inceptio substantialis, siue in termino à quo, fiat, siue non: & hoc videri potest verisimilius, quia terminus ad quem, est præcipuus, & per se intentus. Sed nihilominus etiam hoc non placet, quia neque hoc deseruit ad præfens mysterium, in quo clarior est mutatio substantialis in termino à quo, quam in termino ad quem, neque afferri poterit aliud genus conuersionis substantialis, in quo hoc reperitur. Deinde quia cōuersio, licet respiciat terminum ad quem, per se & directe, inuoluit tamen terminum à quo, & vniuersam mutationem quodammodo componitur, & sicut substantia ex substantijs componitur, ita hæc conuersio si substantialis sit, ex mutationibus sub- stantialibus componi debet, & nomen ipsum conuersionis substantialis, significare videtur, substantiam esse, quæ conuertitur, vnde si ex accidentali ter- mino fieret res substantialis, esset quidem illa sub- stantialis productio, non tamen proprie substantia- lis conuersio.

Tertia ergo sententia esse potest, de ratione conuersionis substantialis esse, vt substantia succedat substantiæ, non per inceptiōem, vel desitiōem, aut mutationem substantialem earū, sed per hoc solum quod inter eas fiat talis transmutatio, vt altera vice alterius substituatur. Ita sentit Scotus in 4. distinct. 11. quæstione 3. articulo 2. s. Quantum ergo ad istum articulum, & indicat etiam Ocham supra dubio sexto, & Ferrar. 4. contra Gent. cap. 63. cum enim Diuus Thomas dixisset, conuersionem substantialem esse substantialem successiōem, ipse exponit esse succes-

tionem vnius substantiæ post aliam, iuxta quam sen- tentiam, vt magis intelligatur, si Deus ita transmuta- ret, duos panes inter se, vt substantiam huius sub acci- dentibus illius, & de conuersio substantiam illius sub accidentibus huius poneret, esset mutua conuersio substantialis vnius in alterum. Quod si obijcias, quia ibi nihil substantiale fit, nec deperditur. Respondent, hanc non dici conuersionem substantialem à ter- mino acquisito, vel prædico, sed à rebus vel substantijs, inter quas fit transmutatio, quia nimirum sunt sub- stantiæ. Et aliqui addunt, mutari tunc substantiam in officio substantiæ, quod est sustentare accidentia, & hoc satis esse, vt cōuersio sit substantialis. Hic mo- dus dicendi præsertim inuentus est propter hoc mys- terium, in quo non videtur posse inueniri terminus substantialis, vt ex dubio quarto constat, ex quo in- fert consequenter Scotus, ad conuersionem substantia- lem, quæ hic fit, perse non requiri, vt substantiæ panis simpliciter desinat esse, sed solum, vt fiat extra hæc accidentia, an vero inde sequatur desitio simpli- citer aliunde perendum esse. Potest autem hæc Scoti sententia apparenter confirmari ex Concil. Tridentino, sessione decima tertia, capite quarto, dicente. Quoniam Christus corpus suum, id, quod sub spe- ciebus panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, per consecrationem panis & vini, conuersionem fieri, &c. Ex quibus verbis sic argumentor. Ex sola veritate verborum Christi colligitur vera conuersio, vt aperte docet Cōcilium. Sed ad veritatem verborum Christi satis est, quod substantia corporis Christi in fine prolationis verbo- rum sit sub accidentibus, & substantia panis, iam ibi non fit: ergo hoc præcise sufficit ad veram conuersio- nem: possunt autem illa duo fieri per solum succes- sionem substantiarum sub illis accidentibus, qua- cūq; ratione facta sit: id est, siue substantia panis in nihilum redacta sit, siue alibi cōseruata, & simili- ter, siue Christi corpus ibi fuerit productum, siue ali- unde adductum.

Hæc tamen sententia mihi etiam displicet, quia, nisi abutatur vocibus, illa non est conuersio sub- stantialis, sed commutatio substantiarum, quod non satis est ad conuersionem substantialem, alias quādo- cūq; vna substantia alteri succedit solum in loco, aut situ aut alio accidentali munere, cōuersio fieret sub- stantialis: quod est contra communem sensum om- nium, & contra rationem: quia cum dicitur conuersio substantialis, illa differentia substantialis dicit spe- ciem, non subiectum conuersionis, sicut & dicitur mutatio localis: at vero quādo commutatio est inter substantias in re accidentali, licet subiectū conuersio- nis sit substantia, tamen species conuersionis non est substantialis: vt si Christus mutaret aquam in vinū, in- uisibiliter trāsferēdo in alium locū substantiam aquæ, & inde adducendo vinum, & illud constituendo in locum aquæ: nullus diceret, esse conuersionem sub- stantialem: Vnde Aug. lib. 18. de ciuit. ca. 18. hanc asser- gnat differentiam inter conuersiones miraculosas ac veras, quas Deus facit: & apparentes, quæ sunt à dæ- mone: quod illæ sunt per veram, & substantialem re- rum conuersionem: hæc vero per solum inuisibilem tran- slationem, quam merito negat esse veram conuersio- nem. Tota autem transmutatio, quæ in hac opinione asseritur, reuera non est nisi trāslatio quædam. Illud autem quod addebatur de officio substantiæ, nihil iuuat: quia totum illud officium accidentale est, vt constat ex Diuina: & infra etiam dicam. Vnde in illo casu de transmutatione inter duos panes, cōmu- tatio non fit, nisi ex vno composito accidentali in aliud: quæ tota fieri posset per mutationem acciden- tium: vt, si Deus priuaret aliquam substantiam om- nibus suis accidentibus, mutaretur compositū acci- dentale, & substantia ipsa mutaret modū substādi accidentibus: & tamē ibi sine dubio nulla fieret mu- tatio

Resuscitatus
prædicta sententia.

Aug. 18.

tatio substantialis: in prædicta autem transmutatione duarum substantiarum sub accidentibus, reuera, nihil aliud fit: Nam, quod hæc transmutatio fiat mutando substantias, secundum præsentiam, vel mutando accidentia, non excedit rationem accidentalis mutationis: unde non propterea erit mutatio substantialis. Addo, hoc etiam non posse applicari ad præsens mysterium, quia corpus Christi, ex vi conuersionis præcise: non participat illum modum substanciæ accidentibus, ut in præcedentibus tactum est, & dicimus iterum statim dubio 4.

*Responsio
ad obiectio-
nem scoti.*

Ad obiectiorem in factorem Scoti factam, respondetur, duobus modis colligi posse ex veritate verborum formæ huius sacramenti, fieri hanc conuersionem substantialem. Primo, quia nulla alia ratione etiam per potentiam Dei absolutam, possunt verba illa fieri vera, nisi intercedente vera, propriaque substantiali conuersione, & hic sensus non est intentus à Concilio. Quis enim dicat, Concilium Trident. docuisse aut ad suam doctrinam tradendam supposuisse, quamcunque substantiarum commutationem esse veram conuersionem substantialem? aut fieri non posse à Deo, nisi per eiusmodi conuersionem? hoc enim totum pendet ex principiis metaphysicis, & philosophicis, & ad fidei doctrinam non est simpliciter necessarium. Secundo modo intelligendum est, ex veritate verborum collegisse Ecclesiam, hic fieri conuersionem vnius substantiæ in aliam, quia à Spiritu sancto & ab Apostolis, Patrumque traditione edocta intellexit Deum fecisse hoc mysterium (sicut cætera aliquo modo similia perficere solet) modo sibi maxime proprio, & conuenienti, ipsique rebus, ac verborum significationi maxime accommodato: hic autem modus est, ut fiat per conuersionem propriam ac substantialem, ut in sequentibus. Latius exponemus. Dices ergo, illatio, quam Concilium facit, ex veritate verborum non procedit simpliciter, sed ex aliqua suppositione, scilicet, quod hic Deus operetur modo maxime connaturali, & conuenienti, & quod hic modus, scilicet, per conuersionem talis sit. Respondeo, nullo modo posse illationem illam tenere, nisi aliud quod principium supponatur, in quo illa fundetur, ut in priori sensu supponebatur illud principium, vbi-que fit commutatio substantiarum sub eisdem accidentibus, est vera conuersione substantialis, vel illud: verba formæ non poterant de absoluta potentia Dei verificari, nisi per veram conuersionem: quia ergo non est verisimile, docuisse Concilium Ecclesiam fundasse doctrinam suam de conuersione in solis his principiis metaphysicis, quæ valde infirma sunt, & dubia, ideo nos dicimus, non fundari illam illationem in sola ratione physica, sed in traditione Ecclesiæ: quæ non solum naturali discursu, sed diuinitus illustrata, intellexit, quia Christus in sensu proprio, & vero dixit, hoc esse corpus suum: ideo illud dicendo, effectisse simul conuersionem vnius substantiæ in aliam. An vero ita illud effecerit, quia erat simpliciter necessarium, & quia erat conuenientius, vel connaturalius, de hoc Ecclesia nihil dixit: quia nihil ad fidem pertinebat, sed Theologorum disputationi reliquit. Aliter ergo dici posset: Ecclesiam solum docuisse, hic fieri commutationem substantiarum, quæ omnino necessario sequitur ex veritate verborum: hancque vocasse conuersionem: quia hæc vox in propria significatione quamcunque rerum commutationem significare potest. An vero ibi intercedat substantialis actio, vel mutatio physica, & propria, de hoc non oportet Concilium aliquid definiuisse, quia ad fidem nihil referebat: & ita licet hanc commutationem vocauerit conuersionem, & transsubstantiationem, nunquam tamen appellauit substantialem conuersionem, & posset aliquis dicere, esse conuersionem substantiarum, non substantialem: Quia illa vox significat subiectum, hæc vero intrinsecam dif-

ferentiam, & proprium ac formalem terminum conuersionis, & hoc modo non loquimur de conuersione substantiali. An vero cum hoc rigore & proprietate in hoc mysterio interueniat, hæcenus dictum non est, dicitur autem inferius.

Dicendum est ergo, ad veram conuersionem substantialem requiri, ut ex parte veri-que termini fiat aliqua mutatio vel desinitio, aut inceptio, aut denique noua aliqua dependentia substantialis: id est, ad ipsum esse substantiale aliquo modo terminata. Hanc conclusionem colligo ex Diuo Thoma, tota hac quaestione ab art. 2. & Bonauentura in 4. d. 10. art. 1. q. 1. & ex aliis multis, quos referam statim dub. 4. & huius rei probatio satis constat ex dictis contra alias sententias: neque est in hoc alia difficultas, nisi illa, quæ est in explicando, quomodo hæc conditio possit habere locum in hoc mysterio.

Quarta principalis conditio necessaria ad conuersionem est, ut terminus à quo, & ad quem, seu mutatio vnius & alterius habeant inter se aliquam connexionem seu ordinem, ita ut vna ex altera aliquo modo sequatur. In hoc etiam videntur omnes conuenire. Et ratio est clara, quia, nisi sit habitudo inter res illas, inter quas dicitur esse conuersione, non habebunt rationem termini à quo, & ad quem. Illa autem habitudo debet in aliqua connexionem fundari, alias solū quali ex accidente contingeret, ut, quando vnum desinit, alterum incipiat, quod non satis est ad rationem conuersionis. Præterea conuersione dicitur aliquid quodammodo compositum, ex mutatione vtriusque extremi, ut dictum est: ergo oportet, ut illæ mutationes sint aliquo modo vnitæ, quæ vnio non potest intelligi, nisi ratione alicuius connexionis, aut habitudinis per se inter illas, alioquin solum essent, veluti aggregatum quoddam per accidens, duarum simplicium mutationum, ut si in eodem instante, in quo aer, verbi gratia, fit calidus amittat lucem, non est conuersione, licet sit aggregatio duarum mutationum vnius productiue alicuius rei, & alterius destructiue. Tandem tertio patet Inductio, in omnibus conuersionibus naturalibus: agens enim naturale non conuertit vnum in aliud, nisi ex præsupposito subiecto, in quod inducit formam, & expellit aliam, quæ expulsiua, atque adeo conuersione non est, nisi quia ex natura rei sequitur ex tali actione. Et idem videtur licet in conuersionibus supernaturalibus, ut aqua in vinum, & mulieris in statuam salis, & similibus, quæ formales sunt, & licet quoad modum sint supernaturales, tamen quoad substantiam terminorum sunt naturales, & ideo facile intelliguntur imitari conuersiones naturales, quoad hanc conditionem, quæ sequitur ex repugnantia terminorum. Habet tamen hæc conditio in hoc mysterio singularem difficultatem, qui erit secundus punctus in hac disputatione explicandus.

Quinta conditio est, ut præter terminos à quo, & ad quem, sit aliquod tertium commune vtrique termino, circa quod & termini formales sibi succedant, & aliquo modo repugnent, ac denique fiat tota conuersione. Ita colligitur ex Diuo Thoma hic præsertim articulo 5. & 4. contra Gen. capite 63. & idem sentit Soto. distinctione 9. quaestione 2. articulo 2. ad tertium. Ledesma, quaestione 16. articulo 2. ad articulo 4. dubio 3. & 4. Durandus distinctione 11. quaestione 2. & probatur primo Inductio, nam in conuersione formali manet materia, sed subiectum commune siue conuersione naturaliter fiat, siue supernaturaliter: & in conuersione locali, si intelligatur conuersione fieri inter duo loca, quatenus vnum excluditur, & aliud introducit, manet locus aliquo modo communis: si vero fiat inter diuersa loca, necesse est, ut fiat in eodem subiecto. Denique etiam in hoc mysterio sunt accidentia panis aliquo modo communia vtrique termino, sub quibus fit conuersione. Ratio vero reddi

reddi potest, quia connexio, repugnancia, aut ordo per se inter terminos conuersionis non potest conuenienter intelligi, nisi ratione alicuius rei communis, utriusque in qua, vel sub qua unus introducit, & expellitur alius. Et quoniam in hac conuersione fere nulla est difficultas, quæ ad hoc mysterium pertinet, & ad præcedentes non reuocetur, idcirco solum est notanda differentia inter conuersionem formalem, & hanc sacramentalem, quod in formali, id quod est commune utriusque termino, est subiectum seu receptaculum formæ, & pars integri termini, quem cum forma componit: at verò in hac conuersione, id, quod est commune, sc. accidentia, nec sunt subiectum talis conuersionis, nec pars integri termini, quia conuersio propria non fit ex composito accidentali, ad compositum accidentale, sed ex substantia ad substantiam, vt Conc. Trid. tum antiquis Patribus loquitur: accidentia v. non componunt substantiam, nec sunt partes eius. Vnde fit, quod ad modum loquendi spectat, vt in conuersione formali minime dicatur forma conuerti in formam, vt D. Th. hic annotat, licet, forma succedat formæ in materia, sed dicitur compositum conuerti in compositum, quia terminus integer, qui propriè fit, vel definit, est compositum: At verò hic propriè substantia ipsa cõdistinguita ab ipso tertio, quod manet: id est, ab accidentibus, est, quæ conuertitur, & similiter substantia est, quæ per se intenditur, & quæ suo modo fit per se per hanc conuersionem.

Vltimò cõstat ex dictis, ea omnia, quæ sunt necessaria ad veram conuersionem, requiri etiam ad verã transubstantiationem, & præterea necessariam esse, vt in tota substantia fiat commutatio, & conuersio in aliam substantiam. Primum constat, quoniam transubstantiatio sub conuersione continetur, tanquam sub genere. Omnia autem, quæ sunt de ratione generis, sunt de ratione speciei. Secundum verò patet, quia hæc conuersio differt ab omnibus aliis in eo, quod est conuersio totius substantiæ, vt nomen ipsum præ se fert, & Concilia explicarunt.

SECTIO III.

An in hac conuersione intercedat verã & realis actio, quæ circa Corpus Christi versetur.

Explicatis omnibus, quæ sunt de ratione veræ conuersionis, oportet, vt sigillatim inquiramus, quo modo illa omnia in hac conuersione reperiatur. Quoniam vero diximus in omni conuersione in primis necessariam esse actionem agentis, à quo omnis transmutatio quodammodo incipit. Ideo primò omnium de hac re questionem instituumus. Non desuerunt enim, qui negarent, in hac conuersione intercedere actionem aliquam, sed solã relationem Ordinis Christi ad species, qui occasionem fumere poterunt ex verbis Diui Thomæ, artic. 4. ad 1. dicentis, hanc conuersionem substantialem importare ordinem substantiarum, quarum vna conuertitur in aliam. Item in artic. 4. ad 2. & art. 8. vbi dicit, transubstantiationem similem esse creationi in hoc, quod non fit ex Subiecto: at verò creatio iuxta doctrinam Diui Thomæ quia non fit ex Subiecto, nihil ponit in creatura, præter relationem. Præterea in 4. dif. 11. quæst. 1. art. 3. quæstione. 1. ad 1. ponit differentiam inter hanc, & transmutationem naturalem, quod in naturali intercedit actus imperfectus inter Subiectum, & vltimum ac perfectum terminum: transmutatio autem huius conuersionis, inquit, non ponit aliquem actum imperfectum, sed solum, successiõnem quandam perfectiorum, non solum actuum, sed rerum subsistentiã: ac postea explicat hanc successiõnem esse relationem Ordinis, quam dicit secundum rem esse in pane, qui mutatur: in corpore autem Christi tantum secundum rationem, quia immutatum manet. Et hæc potest esse ratio funda-

mentalis huius sententiæ, quia corpus Christi non mutatur: non enim incipit hic esse per sui mutationem, sed per mutationem panis in ipsum. Ergo non est necessaria aliqua actio, quæ ad illud aliquo modo tendat. Confirmatur: quia vel talis actio esset in corpore Christi: & hoc non, quia non mutatur: vel in pane, & hoc non, quia in instantè conuersionis iam nõ est panis, neq; verò in accidentibus esse potest, quia neque illa sunt subiectum conuersionis, neq; posset actio in illis: recepta circa corpus Christi versari: ergo nulla est talis actio.

In hac quæstione possunt multa includi, quæ oportet distinguere, ne in æquiuoco laboremus. Primum est, an in hoc mysterio necessariò interueniat aliqua actio, quæ versetur circa corpus Christi, aut illud aliquo modo attingat. Secundum, an hæc actio sit in corpore Christi, vel in alia aliqua re creata, vel tantum in ipso Deo, certum est enim, creationem esse solius Dei, cum sit actus vltimus potentie actiue, cumq; per illam aliquid fiat, tamen in quæstione versatur, an hæc actio sit in Deo vel in creatura. Tertium quod in quæstionem vocari potest, est, supponendo, interuenire hic aliquam actionem, an illa sit transubstantiatio, vel intrinseca illi, an verò solum sit præterita, & antecedens ipsam transubstantiationem, atq; illam inducens: & hæc quæstio videtur mihi de nomine suppositis his, quæ de conuersione in genere dicta sunt, vt statim explicabo. Ex his ergo qq. prima est hoc loco præcipue intenta, quia ad explicandum mysterium maxime pertinet, breuiter tamen reliquas attingemus.

Dico ergo primò, in hac conuersione necessariam esse aliquam actionem realem, qua corpus Christi sub speciebus panis constituitur, & hoc sensu dicimus, actionem hanc versari circa corpus Christi. Hanc conclusionem existimo prorsus certam, si ipsi termini intelligantur, supposita ipsius mysterij veritate: & ita in eo consentiunt omnes Theologi, vt scilicet, sequente referam. Probatur primò ex Patribus, loquentibus de hoc mysterio: dicunt enim, Christum, quãdo cõfecrauit, effecisse, quod dixit, & panem effecisse corpus suum, & Christum constituisse sub speciebus, esse opus diuine omnipotentie, & similia multa, quæ videbimus scilicet sequente: & necessariò includunt actionem realem: quid enim est actio, nisi effectio? aut quomodo potest diuina omnipotentia operari, sine actione seu operatione? Confirmatur exemplo Creationis, Incarnationis, aut alterius miraculose conuersionis: quibus exemplis vtuntur Patres, ad hanc rem illustrandam, & in aliis omnibus, quatenus sunt à Deo, vt à causa efficiente necessariò interuenit aliqua actio, quæ fit, vel uti actus vltimus omnipotentie diuine. Ergo similiter in proposito. Vltimò est ratio à priori, quia Christum Dominum esse sub accidentibus panis & vini, est aliquis effectus realis, qui antea non erat, & in ipso corpore Christi existens: ergo necesse est, vt fit per aliquam actionem factus: antecedens satis probatum & declaratum fuit supr. disput. 9. consequentia verò constat, primò inductione in omnibus aliis effectibus, tam naturalibus, quàm supernaturalibus, vbicunq; enim est nouus effectus, noua actio necessaria est. Deinde quia si res nunc est, antea nõ erat: ergo est effecta: ergo per influxum cause agentis, ergo per actionem, quia nomine actionis nihil aliud intelligimus, quam actualem influxum cause agentis.

Posset tamen respondere aliquis, verum quidem esse, poni Christi corpus sub speciebus per aliquam actionem, non tamen per actionem, quæ circa ipsum corpus Christi versetur, sed circa panem, conuertendo ipsum in Corpus Christi, seu expellendo ipsum. Sed hoc nullo modo potest consistere: quia panem expelli, seu desinere esse, est terminus à quo, & priuatius: ergo circa illum per se non versatur actio positua, quæ essentialiter respicit terminum posituant.

Varij huius quæstio, sensu coplanã: tur.

In hac conuersione datur aliqua vera actio, qua corpus Christi sub speciebus constituitur.

Euasie.

Impugnatio

ium, quem efficit, seu ad quē tendit. Deinde quantitas intelligi possit positiva actio circa accidentia panis, separans illa à substantia, & ita consequenter expellens substantiam, tamen per totam illam actionē ut sic, non fit, ut Corpus Christi sit sub speciebus: posset enim tota illa actio fieri sine hoc termino, vel certe cum alio termino, si Deus vellet, expulsa substantia panis potere sub illis accidentibus aliam substantiā: & non corpus Christi. Unde confirmatur ratio facta, nam Christum constitui sub speciebus, est nouus effectus in rerum natura, & non sequitur ex alio effectu: nullus enim talis fingi potest: cum ex desitione panis non consequatur: quoniam si aliqua est consecutio, potius desitio panis sequitur ex introductione corporis Christi, quam è contrario: ergo necessaria est actio, quæ versetur circa ipsum corpus Christi.

Actio illa non est prolatio verborum consecrationis.

Et hinc tandem inferitur, hanc actionem non esse prolationem verborum consecrationis, vt colligitur ex Diuo Thoma infra quæstione 78. articulo 4. & est per se notum, quia prolatio illorum verborum, est actio per se sensibilis, & naturalis, hæc autem actio conuersiua est supernaturalis & insensibilis: vnde illa actio antecedit istam: quia actio, qua profertur verba ad verba ipsa terminatur, vt sunt sonus quidam, habens aliquod esse factum: at vero verba ipsa prolata per hanc actionem sunt instrumentum ad efficiendam transubstantiationem: cum tamen non sint instrumentum ad productionem sui ipsius: sunt ergo hæc actiones distinctæ, quod recte explicatur in formis aliorum sacramentorum, quatenus gratiam efficiunt: actio enim productiua gratiæ, distincta est à prolatione formæ, cum sit actio supernaturalis, pendens ab ipsa forma prolata tanquam ab instrumento diuino: huic enim actioni correspondet in forma huius sacramenti actio conuersiua panis in corpus Christi. Tandem tota actio, quæ est prolatio verborum, reperitur in non sacerdote, vel in sacerdote profereute verba, absque intentione consecrandi: & non est actio illa consecratiua, quæ terminatur seu versatur circa corpus Christi: ergo sunt valde distinctæ, Neque in tota hac doctrina rationem dubitandi inuenio, aut nouam difficultatem, cui respondere necessarium sit.

Talis actio non est in Deo proprie sed in effectu.

Dico secundo: Hæc actio non est in ipso Deo proprie, sed est aliquid creatum in ipso effectu, per quod pendet à sua causa. Hæc conclusio communis est creationi, & aliis actionibus Dei ad extra: & ideo non est hoc loco latius probanda: sufficit illa ratio, quod actio nihil aliud est, quam emanatio effectus ab agente, vt sic: sed hæc emanatio est in effectu: confirmatur in præfenti, quia hæc actio est à verbis, vt ab instrumento: ergo necesse est, vt sit creatum quid. De qua re iterum occurret sermo sectione 5. & infra quæstione 76.

Transubstantiatio, vt est relictiva actio, non est passiva, sed est conuersiua.

Dico tertio: Sicut in omni effectu distinguitur productio actiua & passiua, & in omni conuersione conuersio actiua, & passiua, ita in transubstantiatione distinguenda est transubstantiatio actiua, & passiva, quia in ea reperitur agens efficiens illam, cuius effectio dicitur transubstantiatio actiua, ex parte vero effectus reperitur conuersio vnus rei in aliam, & hæc optime dicitur transubstantiatio passiva, illa igitur actio intrinseca est transubstantiationi actiua, vt ex terminis constat, & inducit transubstantiationem passiuam, sicut actio inducit passionem. An vero illa actio sit tota transubstantiatio actiua, vel cum illa requiratur alia actio, dicam postea sectione 6. & sequentibus. Addendum vero est, etiam transubstantiationem passiuæ intellectam non consistere proprie in sola relatione prædicamentali, sed in dependentia effectus à causa, quæ est per modum cuiusdam fieri, quia si est actio positiva, aliquid per eam fit, & ideo necesse est, vt illi respondeat fieri, quasi passiuum: ergo transubstantiatio quasi passiuam primario consistit in hac dependentia, seu fieri vnus termini,

cū desitione aut ex desitione alterius. Et confirmatur quia in hoc effectu intelligi potest relatio inter ipsos terminos, & hæc non habet rationem conuersionis realis, tum, quia est tantum relatio rationis, tum, quia ipsa relationis oportet esse aliquod fundamentum, & illud non est, nisi ipsa conuersio potest etiam intelligi relatio ipsius termini facti ad causam agentem, & hæc etiam supponit, vt fundamentum, emanationem & dependentiam talis termini à tali causa, siue illa dependentia sit ex natura rei distincta ab ipso termino, siue non, de hoc enim nunc non agimus, nec ad rem præsentem attinet: illa ergo emanatio, & dependentia est prior relatione: in illa ergo per se primo consistit conuersio passiuæ: nam intellecta, præcisè tali emanatione cum desitione alterius termini, intelligitur facta conuersio ante intellectam omnem aliam relationem, & in hoc etiam nullam inuenio difficultatem, quam soluam: nisi fortasse sit quæstio de nomine, & dependentiam ipsam appellando relationem. Ad rationem dubitandi in principio positam respondetur, falso niti fundamento: nam reuera in corpore Christi fit aliqua mutatio per hoc mysterium, vt postea latius dicitur sumus.

SECTIO IV.

Qualis sit hæc actio, & quis terminus formalis eius.

Actio dubij est, qui formalis terminus actionis, videtur esse id, quod de nouo fit in effectu in corpore Christi nihil sit de nouo, nisi præfentia realis sub speciebus: illa ergo erit formalis terminus actionis huius: ergo tota actio erit accidentalis quædam mutatio. In contrarium vero est, quia actio accidentalis, & quæ solum est, quasi totalis quædam morio, seu noui loci acquiritio, non fatis est, ad conuersionem realem, & transubstantiationem.

Propter hæc difficultatem Theologi in explicanda hac actione & termino eius, valde diuisi sunt: Prima sententia est huius actionis terminum esse præfentiam corporis Christi, & actionem ipsam esse Christi aduictiuam huius corporis ad hunc locum. Hæc opinio tribuitur Soto in 4. d. 10. quæst. 1. §. Quantum ergo ad istud argumentum, & dist. 11. q. 3. §. Quantum ergo ad istum articulum, & q. 4. & in quodlib. quæst. 10. Verum est, sententiam Scoti esse obscuriorem: distinguit enim ille duplicem actionem, alteram conuertiuiam, quam dicit terminari ad substantiam corporis Christi secundum se, nulla facta in illo mutatione, neque in aliquo modo, seu dependentia eius: alteram aduictiuam, terminatam ad præfentiam, non tamen satis explicat: an hæc duæ actiones modo de facto concurrant ad conuersionem, an veto sint duo modi distincti conuersionis seu transubstantiationis possibilis, vnus, quo incipiat esse substantia, quæ antea simpliciter non erat, ad quem dicat esse necessariam actionem substantialem, quæ ad substantiam ipsam terminetur, alius, quo substantia, à se libi existens, hic præfens, & huiusmodi esse dicatur, qui de facto est intrinsecus, & in eo ponat solam actionem aduictiuam, cuius formalis terminus est præfentia: adæquatus vero est substantia præfens sub speciebus. Sed omissa nunc priori actione conuertiuiam, non est dubium, quin iuxta hanc sententiam posterior sufficiat ad consecrationem efficiendam, prout de facto fit, & ita sequuntur omnes Scoti in 4. d. 10. 11. Tartar. ibi. quæst. 4. & quodlib. 10. quæst. 1. §. Et si dicas. Leuchet. in 4. dist. 11. quæst. 4. art. 2. §. Vltimus, quantum ad istum articulum. & §. Contra ista Guiljel. de Rubio. quæst. 1. artic. 3. & multi ex Nominalibus, vt Maior. quæst. 1. Franciscus Mayron. quæst. 6. penultima. Oham. quæst. 6. Petrus de Aliaco. quæst. 6. Eandem sententiam indicat Palud. d. 11. q. 3. a. 2. num. 24. vbi

24. vbi dicit, terminum huius actionis esse modum corporis Christi in altari, & infra dicit, panem non conuerti in corpus Christi secundum esse intrinseci additum, sed in modum essendi eius in sacramento. Quae verba refert, & approbat Capreol. lib. ad secundum. Durand. cont. 2. concl. Item Ledes. q. 16. art. 2. ad 9. Scoti, & a. 4. dub. 3. ad 5. dicit enim, ad conuersionem solum requiri successiōnem substantiarum, & noui modum essendi in substantia, quae alteri succedit. Ex aliis vero Theologis fauent huic sententiae Alenf. 34. mem. 3. a. 1. & 2. Bonau. d. 10. a. 2. qu. 1. Marfil. quaest. 8. artic. 2. concl. 7. & 8. dicunt enim per hanc actionem non fieri, quod non erat, sed, quod alibi erat, poni alibi. Item per consecrationem corpus Christi non accipere esse, sed accipere esse hic. Nec multum discor dat D. Thom. q. 78. art. 5. dicens, per consecrationem non fieri, vt corpus Christi fit corpus Christi, iam enim hoc antea erat, sed fieri, vt contentum sub his speciebus fit corpus Christi. Denique Moderni scribentes contra haereticos, libenter hanc sententiam amplectuntur, quia facilius eam quam praefert, vt videlicet in Ioan. Hefels. lib. de corpore Christi fol. 77. & 213. Claud. rep. 7. cap. 6. Guiliel. Paris. tractatu de Euchar. §. 1. paulo ante finem, Bellar. lib. 2. de Euchar. capit. 18. Fundamentum est, quod in principio quaestionis est indicatum. praeterea, quia hoc satis est ad veritatem verborum, quia, si Christus vere fiat praesens sub speciebus, nihil amplius ex hac parte requiritur: ergo nihil aliud est ponendum, patet consequentia, quia, vt Tridentinum docuit, tota haec actio & conuersio solum exigitata est, quatenus in verbis Christi fundamentum habet, & ad eorum veritatem est necessaria, ad quod sine dubio satis esse videtur, quod corpus Christi adducatur sub speciebus, & inde expellatur substantia panis. Ad rationem vero dubitandi in contrarium positam respondebit haec opinio, ad essentiam transubstantiationis satis esse conuersionem, seu successiōnem substantiarum sub eisdem accidentibus, siue haec vocetur conuersio substantialis, siue tantum conuersio substantiarum: Neutrum enim potest ex Concilio definiti colligi. Solum enim dicunt, substantiam conuerti in substantiam, quod potest esse verum, non ratione termini formalis de nouo producti, sed ratione termini adaequati, qui necessario debet includere substantiam, quae loco alterius substituitur, quod etiam ipsum nomen transubstantiationis praefert videtur, quia in illa particula (trans) de se transitum significat, vt patet in his verbis, transferre, transmutare, transuadere. Vnde applicata substantiis, vt fit per eam vocem [transubstantiatio] significat transitum vnus substantiae in aliam, qui veram rationem substantiae obtinebit, siue substantia producat de nouo, siue adducatur. Ex quo tandem fit, vt iuxta hanc opinionem (transubstantiatio) denominata sit, non à termino formalis, sed à materiali, seu subiecto, circa quod fit terminus formalis, sicut lapidare: quemadmodum enim, si intelligeremus accidentia panis esse vacua omni substantia & postea sub illis introduci substantiam aliquam, dici posset hoc sensibile substantiarum illa actio, ita quando fit sub illis mutatio substantiarum, potest dici transubstantiatio, quae sententia sic explicata non est omnino improbabilis.

Secunda sententia dicit, formalem terminum huius actionis esse vnionem corporis Christi ad species sacramentales, quam vnionem dicit esse substantialem modum in ipso corpore Christi, quo supplet vicem substantiae panis, & sustentat accidentia, eodem modo, quo substantia panis seclufa inhaerentia. Ita sentit Soto. d. 9. quaest. 2. artic. 2. ad 2. Scoti. vbi dicit, per consecrationem fieri corpus Christi praesens, sed taliter contentum sub speciebus, qualiter panis continebatur, seclufa inhaerentia, & hoc existimat satis esse ad transubstantiationem: idem latius, artic. 4. §. 1.

Franc. Suarez Tom. 3.

gitur conuertendo. Idem Palacius in 4. d. 11. disput. 1. Indicat Ledesma. quaest. 16. artic. 1. dubio ultimo. & Capreol. distinctione 11. ad 1. & 3. Scoti contra primam conclusionem & ad 1. Durandi, cont. 2. & ad argum. Scoti, Durandi, & Aureoli, contra 3. conclusionem & Claud. rep. 4. capit. 4. & rep. 5. & 7. capite 6. Sed clarissime omnium docuit hoc Alanus libro 1. capite 34. 35. 36. & 37. Fauet D. Thom. infra quaestione 78. art. 5. in verbis supra citatis per verba consecrationis non fieri, vt corpus Christi fit corpus Christi: iam enim hoc antea erat: sed fieri, vt contentum sub speciebus fit corpus Christi: Ergo sentit terminum huius actionis solum esse, contineri, vel vniri corpus Christi speciebus. Et quidem, si supponamus, dari hanc vnionem corpori Christi ad species, videtur satis consequenter loqui haec opinio: quia necesse est vnionem hanc fieri per aliquam actionem. ergo fit per illam actionem, qua consecratur hoc sacramentum: quia, cum hoc sacramentum componatur ex corpore Christi, & speciebus, intrinsece includit hanc vnionem: ergo necesse est, illam fieri per actionem, qua consecratur hoc sacramentum: ergo fit per transubstantiationem: quia per transubstantiationem intelligimus conuerti sacramentum Eucharistiae: ergo formalis terminus actionis transubstantiantis est hic modus vnionis. Quod explicatur exemplo Incarnationis: ibi enim distinguimus actionem, quae fit Incarnatio, & terminum formalem eius, qui est modus vnionis humanitatis ad Verbum, ex qua resultat, hic Deus homo, qui est integer terminus illius actionis, quae substantialis est, quia modus ille est substantialis: & in generatione hominis, actio, qua ex embione fit homo, est substantialis conuersio, & tamen per eam formaliter non fit de nouo, nisi modus vnionis animae ad corpus, vnde resultat homo: sicigitur hic fiet modus vnionis corporis Christi ad species, vnde resultat hoc sacramentum: Quamquam enim supposita hac sententia, intelligi possit modus vnionis, tam ex parte specierum, quam ex parte corporis Christi: & ideo necessaria sit actio, qua vterque fiat, vel resultat, tamē, consequenter in calquendo, dicendum est, actionem hanc, vt est transubstantiatio actiua, directe versari circa corpus vniedo illud speciebus, vt etiam verba ipsa forma praefertur: Hoc est corpus meum: & ideo talem actionem proprie formaliter terminari ad huncmodum vnionis, vt est in corpore Christi.

Vt vero necesse non sit iterum ad hanc opinionem redire, quae, vt à praecedente distinguitur, mihi non videtur fere probabilis, primum necesse est, vt praeter hanc actionem vnitiuam, quam fingit, ponat actionem adductiuam, & terminum eius, prout praecedens sententia asserbat, quia, quandoque res aliqua alteri vnitur, vbi antea non erat, necesse est, vt vel ibi fiat denuo & producat, vel vt aliunde illuc adducatur. Exemplis res constat, nam, quando anima rationalis vnitur materiae, quia non eadem actione, qua vnitur, fit, necesse est, vt alia actione, prius natura ibi fiat, & creetur, & in resurrectione, quia de nouo non creatur, necesse est, vt ad eum locum, in quo vnenda est, corpori afferatur. Ratio est, quia vnio requirit praesentiam vniedorum, & actio vnitiua vt sic, non facit illam: praerquirat ergo illam, vt etiam exemplo Incarnationis constat: Nam Incarnationis actio solum facit vnionem inter humanitatem & Verbum, & ideo supponit actionem, qua fit ipsa humanitas, seu anima & corpus, per quam consequenter fit, vt fit praesens Verbo, quod propter immensitatem vbique est praesens, & hoc modo intelliguntur illa Extrema apta, & satis applicata ad vnionem: cum ergo iuxta hanc sententiam corpus Christi nullo modo fiat, aut producat per consecrationem, & ante illam non sit praesens, vbi sunt species panis, non potest illis vniri, nisi prius illuc adducatur: ergo necessario haec sententia supponere

Ecc debet

Palac.
Ledesm.
Capreol.
Claud.
Alan.
S Thom.

Impugnatur
praecedens
opinio.

debet totam actionem & terminum, quem prima sententia probat. Secundo, id, quod addit hæc opinio, vel procedit ex falso fundamento, vel non potest consistere, nec ad mysterium explicandum conferre. Probatur, quia, si supponat unionem formalem inter corpus & species (vt videtur) falsum supponit, vt supra probatum est, & præterea, licet hanc admittamus unionem, & illam concedamus esse terminum transubstantiationis: non assequitur, quod intendit, scilicet, assignare terminum substantialem huius actionis, quia hæc vnio non potest esse substantialis modus, sed accidentalis, vt supra probauimus, licet substantiam actu subsistere accidentibus, non potest in ea esse modus substantialis, quado quidem ad accidens terminatur, & ad componendum ens per accidens, & non substantiale, ordinatur. Adde, quod illa opinio asserit, vni corpus Christi accidentibus eodem modo, quo substantia panis, seclusa inhærentia, a partem implicare contradictionem, quia ille modus consistebat in hoc, quod substantia vniatur accidentibus per modum subiecti, & in genere causæ materialis, repugnat ergo aufferri hoc genus causalitatis, & remanere eundem modum unionis: excluso autem hoc modo unionis, qui fit per modum causæ materialis, nullus alius intelligi potest superesse, nisi per efficientiam, vt supra ostentum est.

*Quidam
aliorum
plurimum
dicunt.*

Non desunt autem, qui, licet, solam unionem effectiuam in hoc sacramento admittant, nihilominus illam dicant terminum formalem huius actionis, quia per illam datur corpori Christi, vt suppleat officium substantiæ panis, quod non facit, nisi sustentando accidentia, sub quibus continetur, etiam si effectiue solum illa sustineat. Sed hic dicendi modus defendi non potest, quia vnio effectiua non fit nisi per actionem, vt supra declaratum est: actio vero non potest esse formalis terminus alterius actionis, quia essentialiter includit, vt se ipsa fiat, dum per illam terminus fit, alioquin procederet in infinitum. Nec dici potest, illam actionem vnitiuam vocari terminum alterius actionis, non quia per se primo ad illam terminetur, sed quia consequatur terminum alterius actionis, sicut dici solet generatio terminus alterationis, vel illuminatio terminus motus solis. Hoc inquam dici non potest, primo, quia interrogo, quis fit ille alius terminus, ex quo sequitur hæc actio, & ille potius erit terminus formalis huius actionis. Secundo, quia nulla est hic necessaria consecutio. Nam illa vnio effectiua, si est, non ideo est, quia fit necessaria simpliciter, sed ex ordinatione diuina propter maiorem perfectionem: ergo absque tali vnione, manebit integra actio, & formalis terminus eius. Quidam dicunt, hanc actionem esse debitam corpori Christi, ex vi modi, quo hic existit. Sed hoc infra erit latius examinandum. Nunc enim ad præsentem quæstionem non multum refert, quia etiam, si id demus non est satis, vt illa actio dicatur formalis terminus actionis transubstantiationis, & multo minus sufficiet, vt dicatur terminus substantialis. Tertio, quia supra ostendi, hæc vnionem effectiuam, prout est actio corporis Christi & specierum, non inchoari intrinsece in instante consecrationis & transubstantiationis, sed immediate post illud: & tamen in illo instante intrinsece est terminus illius actionis transubstantiationis: ergo. Quarto, quia vnio effectiua includit actionem corporis Christi circa species, & è contrario: ergo, vel dicitur esse terminus huius actionis, prout est actio corporis Christi circa species, & hoc dici non potest, quia illa actio non est in corpore Christi, nec in eo ponit aliquid, sed in speciebus: & præterea tota est accidentalis, vel est actio specierum circa corpus Christi: & hoc etiam dici non potest, quia illa actio non est, nisi conseruatio præsentia localis, quæ etiam est accidentalis: imo solum est conseruatio termini facti per adductionem. Quinto, hæc vnio effectiua

proxime est à corpore Christi, & ab speciebus: at vero actio transubstantiationis, & terminus eius, immediate fit virtute verborum: ergo illa vnio non est terminus illius actionis.

Tertia ergo principalis sententia est, proprium ac formalem terminum huius actionis esse ipsam substantiam corporis Christi. Quia vero tota illa substantia præexistit ante consecrationem, ideo difficile visum fuit explicare, quomodo possit esse terminus nouæ actionis: vnde orti sunt varij modi explicandi hanc sententiam, quos oportet re ferre, antequam auctores asseramus. Primus est: substantiam corporis Christi secundum se præexistere, per hæc vero actionem fieri, quatenus supplet officium substantiæ panis. Sed hic modus non differt à secundo modo explicandi primam sententiam, nuper im probato, in quo enim post dici, corpus Christi suppleat munus substantiæ panis, nisi quia fortasse sustentat accidentia, & continetur sub illis? ostensum est autem, totum hoc non pertinere ad terminum formalem huius actionis.

Alter modus est, substantiam corporis Christi considerari posse, vel secundum se, & hoc modo præexistere, & non esse terminum huius actionis, vel prout id, quod erat panis, nunc incipit esse corpus Christi, & hoc modo non præexistere, sed fieri per actionem hanc conuersiuam, & hunc modum indicat Henricus Caiet. & Richar. disput. superiori, sect. 4. citati. Vnde Caiet. hic art. 4. dicit, substantiam panis, vt conuersam, seu id, quod erat panis, aliquo modo pertinere ad terminum ad quem huius actionis. Sed hic modus, vel incidit in errorem supra improbatum disput. præced. sect. 3. vel in opinionem Scoti: nam, si ille terminus: id quod erat panis: designet aliquam rem indiuiduam, & substantialem, quæ prius fuerit panis, & postea fiat corpus Christi, deouoluitur in prior errorem, & destruit hanc transubstantiationem in verum corpus Christi: quia ponit terminum à quo, manere aliquo modo in substantia sua, ex quo fit, non posse conuerti in verum corpus Christi, vt supra satis probatum est: si vero: id quod erat panis: non designet aliquam rem indiuiduam, & substantialem, quæ maneat sub vtroque termino, sed quati singulare vagum in ordine ad species, scilicet, sub ratione contenti sub illis, quomodo explicandas esse similes locutiones, vt verè sint, docuit Diuus Thomas hic, artic. 4. & 5. d. 1. quæstione 1. artic. 5. quæstione 1. ad 1. Si, inquam, hoc modo exponatur, hæc opinio, non differt ab opinione Scoti: quia in re solum dixit, substantiam corporis Christi, vt contentam sub speciebus esse adæquatum terminum huius actionis, & consequenter formalem terminum eius, solum esse, Christum contineri sub speciebus loco panis: hoc autem totum est accidentale, & in re nihil addit, nisi præsentiam realem sub speciebus: sed hoc ipsum confusius explicatur coniungendo terminum ad quem, cum termino à quo, cum enim dicitur, per hanc actionem fieri, vt id, quod erat panis, fit substantia corporis CHRISTI, nihil aliud dicitur, quam fieri, vt contentum sub speciebus, fit corpus Christi, cum antea esset substantia panis, non autem explicatur, quid per hoc fiat in corpore Christi, præter rationem contenti sub speciebus, quæ in illo non ponit, nisi præsentiam realem.

Tertia explicatio est, substantiam corporis Christi esse terminum huius actionis, quatenus in eam est conuersus panis: dicitur autem panis conuersus in illud corpus, non quia illud de nouo fiat, vel conseruetur: neque quia aliquid etiam additum fit, sed solum quia desitio panis terminatur in ipsum absque illius mutatione. Quod si inquiras, quid sit, desitionem panis terminari in ipsum corpus, quidam respondent, substantiam panis imbibere, & quati absorberi in substantiam corporis Christi: hæc enim

non habet actio conuersiva: Alij verò dicunt; hoc mysterium esse inuestigabile; & non esse amplius inquirendum. Et hanc sententiam videntur supponere Theologi, qui putant conuersionem hanc veri sine ulla mutatione in corpore Christi, vt videtur loqui D. Thom. in tota hac questione, & alij, quos referam sectione sequente, & multi existimant, Scotum non dissentire ab hac sententia: quia licet ponat actio nem adductiuam, videtur simul ponere aliam priorem conuersiuam, quæ terminetur ad corpus Christi, solum priorum modo. Et ita illum exponunt Tartaret. d. 10. art. 1. & Angles in 4. par. 1. q. 5. Euchar. Sed hæc explicatio videtur mente concipi non posse, propter ea, quæ sect. 1. tractauimus: quia, si ex vi huius actionis substantia corporis nullo modo aliter se habet, quam antea, impossibile est, conuersionem panis terminari ad ipsam, vt ibi late probaui, & patet breuiter: quia, si in Christi corpore nihil reale denuo positum est, totum id, quod de illo denuo dicitur, est denominatio extrinseca, de qua nec explicari potest, in quo fundetur, vel à qua forma oriatur, vel quomodo terminet actionem. Secundum, esto admittamus hanc denominationem, & Christum, vt sic denominatum, esse terminum huius actionis, necessario fit formalem terminum non esse substantiam, sed aliquid accidentarium. Probat, quia substantia corporis Christi secundum se negatur esse terminus huius actionis: quia hoc modo supponitur actioni: sed hæc ratio procedit de omni modo seu actione reali, ac substantiali: quia secundum omnem illum supponitur actioni iuxta hanc sententiam: ergo sub nulla ratione substantiali est terminus huius actionis. Rursus dicitur substantia Christi esse terminus, solum quatenus in eam est conuersus panis, seu in quantum desitio panis terminatur ad ipsam: ergo terminus formalis huius actionis non est villo modo substantia Christi, sed solum illa denominatio, qua substantia corporis Christi dicitur esse id, in quod conuersus est panis, seu forma, à qua prouenit illa denominatio, cui substantia corporis Christi supponitur, vt subiectum, cui accidit, & omnino extrinseca est talis denominatio: ergo iuxta hanc sententiam formalis terminus est aliquid accidentarium, eo modo, quo extrinseca denominatio potest dici accidentalis: vt, si quis diceret terminum visionis Dei esse ipsum Deum vt visum, non assignaret pro termino formali aliquam substantiam, & si quis fingeret terminum calefactionis esse corpus, vt ad illud terminatur calefactio, ita tamen vt calefactio nihil in ipso corpore poneret, præterquam quod repugnancia diceret, vt sect. 2. probaui, tamen non assignaret pro termino formali calefactionis ipsum corpus, sed denominationem aliam. Tertio, quia, si ex vi realis modi conuersionis, substantia corporis Christi nullo modo se habet aliter, quam prius: ergo ex vi illius non constituitur substantia corporis Christi sub speciebus panis: quia talis conuersio eodem modo potest fieri iuxta hanc sententiam in corpus Christi in solo celo mansens, & ideo Scotus, ponens talem conuersionem, addit actionem adductiuam: ergo illa conuersio proflus est inutilis ad hoc mysterium, & ad veritatem verborum Christi, nam illa sola facta non satisfecit ad verborum veritatem, & quantum illa fiat, ex illa, vt sic, non sequitur necessarium adductio, sed per se, & quasi noua omnino causalitate faciendae est: quod si hæc fiat, illa sufficeret ad veritatem verborum sine tali conuersione: ergo impertinens est talis modus conuersionis, etiam si esset possibilis.

Quartus modus explicandi hanc sententiam est, formalem terminum huius actionis esse substantiam corporis Christi, non quia nunc de facto hæc actio influat esse substantiale in illud corpus, sed quia de se efficax est ad illud influendum: si alibi non existeret, & hoc satis est, vt hæc actio dicatur nunc transub-

Franc. Suarez Tom. 3.

stantiatio, sicut absolutio sacramentalis simplicitate est absolutio, etiam quando actu non confert gratiam, & remissionem peccati. Hanc opinionem indicat Sorot, distinctione 9. questione 2. articulo 4. in solutione. argum. quamquam illi non omnino acquiescat. In hoc autem dicendi modo magna esse potest æquiuocatio: potest enim explicari iuxta ea, quæ dicemus in vltima sententia: vel si aliter intelligatur, nihil in eo dicitur, quod ad rem pertineat: aliud enim est loqui de virtute verborum, quæ significat actum primum: aliud de actione, quæ significat actum secundum: hic non agimus de virtute, sed de actione: quia actualis consecratio, & transubstantiatio non solum requirit virtutem, sed actionem, & de hac actione inquirimus, quem terminum habeat. Quod autem hæc opinio dicit, ad summum accommodari potest virtuti, non actioni. Quod patet primo exemplo quo virtus: nam si interdum absolutio sacramentalis est informis, & non habet effectum gratiæ, & remissionis peccati, licet de se virtutem habeat ad efficiendam gratiam, tamen hic & nunc, quando est informis, sicut non habet effectum gratiæ, ita neque actionem. Secundum, ex ipsa re, quia, loquendo de actione, implicat dicere, esse aptam ad influendum in aliquem terminum, & non actu influere: quia actio non dicit actum primum, sed secundum: nec posse agere, sed agere: ergo si actio est non solum in potentia, sed etiam in actu, necesse est, vt actu influat in terminum: quia in hoc actuali influxu consistit essentia eius. Confirmatur, & explicatur: quia aut verba consecrationis nunc actu influunt in substantiam corporis Christi, aut non. Si primum: male ergo negatur ab hac opinione, & hoc inquirimus, quomodo fiat. Si secundum: ergo nunc de facto verba non habent actionem, quæ ad substantiam corporis Christi terminatur: ergo, si hæc actio est necessaria ad transubstantiationem, nunc de facto non fit transubstantiatio per verba: esto, concedamus, in illis esse virtutem ad faciendam illam, si esset necessarium: vel, si hæc actio non est necessaria ad transubstantiationem, sine causa fingitur illa virtus in verbis, cum talis actio, neque ad transubstantiationem necessaria sit, neque per verba sit vnquam efficienda. Vnde oritur tertia ratio, quod falso fingatur talis virtus sine actione, nam hæc virtus, si est, non est naturalis, sed obedientialis, & instrumentalis, vt per se constat: virtus autem obedientialis in instrumento diuino præter naturalem entitatem ipsius instrumenti non addit, nisi diuinam eleuationem, seu auxilium proportionatum illi actioni. Verba igitur consecrationis non eleuantur, vt instrumentum, nisi ad actionem quam actu efficiunt, & sine causa finguntur habere paratum diuinum auxilium ad actionem, quam nunquam effectura sunt, neque secundum ordinariam legem possunt efficere, præsertim cum supra ostenderit, hæc verba, sicut, & omnia alia sacramenta, pendere, in sua actione ab existentia humanitatis Christi, & influxu eius. Quarto ita rem totam declaro & confirmo, nam, posita illa hypothesi, quod Christi humanitas alibi non existeret, vel hæc verba efficaciter substantiam corporis Christi per actionem, quam nunc habent, vel per nouam aliam: si primum, ergo non tantum sunt factiua, sed actu faciunt illam substantiam: si secundum, rursus interrogo, an illa actio sit necessaria ad transubstantiationem, vel non: si est necessaria: ergo sine illa non fit transubstantiatio: ergo nunc de facto non fit, si non est necessaria: ergo falso dicuntur verba habere virtutem ad hanc actionem, cum verba tantum habeant virtutem ad transubstantiandum. Ex his facile patet, quid sit dicendum ad exemplum prædictæ sententiæ: actio enim effectiua gratiæ non est necessaria ad constituendum sacramentum penitentiae: sed potius manet ab illo iam constituto, & ideo, quando impeditur ef-

Ecc 2 sectus

fectus propter obicem, cessat actio, manente sacramento, quod de se dicitur habere virtutem ad illam actionem, quia ad illam est institutum, & de facto illam habet, si non ponatur obex: at vero in presenti, actio de qua agimus, est simpliciter necessaria ad constituendum hoc sacramentum: & ex parte materia impediri non potest, si sit verus panis, & ex parte ministrum, ac verborum concurrant omnia necessaria.

Modus quibus explicandi hanc sententiam exponitur.

Quintus ergo modus explicandi hanc sententiam est, substantiam corporis Christi esse terminum huius actionis: quia verba consecrationis reuera in fluunt de facto ipsum esse substantiale in corpus Christi, & consequenter habent veram actionem substantialem, quae nunc dicitur esse per modum conseruationis, quia aliunde supponitur eadem res, alibi antea existens, & in hunc modum posset illa actio dici esse sufficiens productio termini, si alibi non esset: nunc vero de facto solum habere rationem conseruationis, iuxta dicta supra disput. praeced. sect. 1. vbi late ostendi, hunc modum actionis esse possibilem.

Gabriel.

Quod vero de facto ita fiat, docuit in terminis Gabriel. d. 11. quest. 1. art. 3. dub. 2. & lect. 40. in Can. Deinde necesse est, vt Diuus Thomas nos sententiat, quamuis aperte non explicuerit, nam supra artic. 2. & fere in tota hac q. & sequente negat, Christi corpus incipere esse in hoc sacramento per mutationem localem: negat ergo, huius praesens per actionem adductiuam: quia illa reuera non est, nisi quaedam mutatio localis, cum per se primo tantum terminetur ad praesentiam, quae vt diximus ad praedicamentum, vbi, pertinet, exclusa autem actione adductiuam, non superest, nisi praedicta substantialis actio, vt declaratum est, & hoc modo citari etiam possunt pro hac sententia Altius dorensis lib. sum. tractatu 5. cap. 3. Richard. in 4. dist. 11. artic. 1. quaelio. 11. Palud. qu. 2. art. 1. & alij, qui negant, actionem hanc esse similem acquisitioni noui loci. Deinde alia etiam ratione necesse est, vt D. Tho. in hac sit opinio, quia negat actionem hanc esse ex praesupposito subiecto, & in hoc dicit esse similem creationi: at vero, si actio hac esset adductiuam, esset ex praesupposito subiecto, ergo non est adductiuam, sed potius de se productiuam, seu conseruatiua corporis Christi, quod hic praesens: quia vt ex dictis patet, non potest fingi aliud probabile medium. Illud vero, quod hic assumitur, docuit D. Thom. hic artic. 3. in corpore & ad 2. & in 4. distinct. 11. artic. 2. quaelio. 1. Idem Bonauen. distinct. 10. artic. 2. quaelio. 1. Alens. 4. part. quaelio. 43. membr. 3. artic. 1. Henric. quodlib. et. 2. quaelio. 8. Refert etiam possunt, qui dicunt, panem conuerteri in corpus Christi, quod antea existerat, vt Bonauen. in 4. d. 11. art. 1. q. 1. in fine, & q. 3. vbi expresse dicit, terminum finalem huius conuerfionis non esse aliquid de nouo factum, sed prius existens: quod etiam sentit Martil. q. 8. art. 1. conclus. 2.

Altius d. Richard. Palud.

D. Thom. Bonau. Alens. Henricus.

Marsilius.

quiusdam incidentis dubij, & in fine quaelionis in solut. ad secundum, & 4. In quibus authoribus, & in alijs etiam aduertendum est, dicere quidem eos, nihil denoueri in corpore Christi praeter modum praesentiae sub speciebus, non tamen dicere, hunc modum esse formalem terminum conuerfionis, sed ipsummet corpus seu substantiam Christi. Quin potius Capr. d. 11. ad 2. Durandi, cont. 2. concl. approbat sententiam quandam Paludani, dum modo intelligatur, inquit, terminum huius conuerfionis non esse solum respectum, aut modum, sed substantiam sub modo essendi, quod clarius explicat in solutione ad 1. Scoti, cont. 1. concl. dicens, sicut generatio per se primo terminatur ad substantiam, consequenter vero ad proprietates, & locum substantiae generatae: ita actioem hanc per se primo terminari ad substantiam corporis Christi, consequenter vero ad praesentiam illius sub speciebus. Idem dicit Ferrar. 4. contra gent. c. 63. circa 2. dictum D. Th. & ad 3. Scoti. Deniq. omnes, qui absolute dicunt, hanc actionem esse substantialem, & ter-

Capr.

Ferrar.

minum eius esse substantiam, possunt pro hac sententia referri, quia illud non potest aliter probabiliter explicari docuit vero hoc aperte D. Tho. hic art. 3. in corpore, & ad 3. & ar. 4. vbi in hoc docet, conuerfionem hanc conuenire cum conuerfione formali, differre tamen, quia ibi formalis terminus est formalius, vero tota substantia. Idem docet Altius dor. supra Alens. q. 38. membr. 4. Albert. d. 11. & ibi Richard. d. ar. 1. q. 1. Paludan. q. 2. num. 1.

Secundo principaliter ostendo, hunc dicendum esse valde consentaneum antiquis Patribus. Primo, quia vbiq. explicant hoc mysterium per verba, quae sunt quae actionem substantialem, & actionem ad substantiam terminatam indicant. Cyprian. ser. de Coena Domini, dixit, Panem in carnem, & vinum in sanguinem mutari: & infra, Panis iste non effigies, sed natura mutatus, omnipotentia Dei factus est caro: & clarius inferius. Qui vsque hodie (de Christo loquitur) verissimum, & sanctissimum corpus suum creat & sanctissimum, & benedicit, & pie sumentibus, diuidit. Vbi alludit ad illa verba Canonis Missae. Haec omnia Domine semper bona creas, sanctificas, benedixis, & praestas nobis, &c. Ambros. lib. 3. de sacram. c. 4. Panis iste panis communis est ante verba sacramentorum, vbi aduenit consecratio, de pane fit corpus Christi: & infra. Ergo didicisti, quod ex pane fiat corpus Christi. Augustin. e. Vtrum sub figura, de consec. d. 1. dicit: Per Sp. S. potentialiter creati, & ex substantia panis effici. Damasc. lib. 4. c. 14. Panem & vinum in sanguinem suum fecit: Gauden. tract. 2. in Exod. De Gauden. pane efficit corpus. Adelman. Epist. ad Berengar. Chri. dicitur per hos sacerdotem, corpus, & sanguinem suum creat. Nota sunt etiam verba Hieronymi, quae infra a. Huiusmodi de forma latius tractabimus: Sacerdotes ore suo corpus Christi efficiunt. Vnde Bessar. lib. de verb. consecration. Tota (inquit) Trinitas, hoc corpus altaris creat. Quae sane verba omnia, non loci acquisitionem, sed substantialem actionem & mutationem indicant. Secundo, aliquando ex parte termini ad quem, hoc distinctus explicant, Euseb. Emislen. homil. 5. de Paschate dixit, Creaturas in Dominici corporis transfire naturam, non dixit, in praesentiam, sed in naturam, & simile est, quod infra subdit: Vnibiles creaturas conuerri in substantiam corporis Christi. Quo loco etiam notanda sunt verba Concilij Trid. dicens, Substantiam mutari in substantiam. Tertio, semper vtuntur Sancti ex eplis conuerfionis substantialem ad hoc mysterium explicandum: Ambr. supra vtitur exemplo virg. conuerse in colubum. Cyrill. Hierosol. catech. 4. & Cypr. Epist. 63. vtuntur exemplo conuerfionis, quae in vinum. August. apud Vvalden. tom. 2. cap. 33. Conuerfione vtoris Loth in statuam salis: renaus lib. 4. c. 34. alias affert transmutationes naturales: Num per verbum (inquit) Dei lignum fert fructum, & semine ortuum transfert prius in herbas, & deinde in spicas tandem in plenum fructum. Deniq. Damasc. & Ansel. supra explicant per conuerfionem alimenti in substantiam viuens, & specialiter Gregor. Nissen. orat. Catech. c. 37. & Theoph. Ioan. 6. exemplum ponit in illa conuerfione panis in corpus Christi, quae fiebat in eius nutritione vel augmento. Quae fere omnia congerit Innocent. lib. 4. de hoc myst. c. 7.

Tertio principaliter persuadetur hac sententia rationibus. Prima & praecipua est, quia per solum actionem adductiuam reuera non explicatur vera conuerfio substantialis & transsubstantiatio, sed solum translocatio quaedam, vt supra, sectio 2. explicatum reliquimus: est autem de huius, hanc esse veram conuerfionem, & valde consentaneum huius est asserere, esse substantiarum conuerfionem, nam reuera nomen (transsubstantiationis) hoc praesertim & idem significat satis conuerfio substantiae in substantiam, vt loquitur Concilia: quando enim vna substantia solum succedit loco alterius, non potest proprie dici vna conuerfio in aliam: ergo hoc mysterium non

fatis explicatur per solam adductionem, sed non potest præter adductionem excogitari alia actio substantialis, nisi prout in hac vltima sententia explicatur, vt constat: quia euidenter refutauius omnes alios modos, qui vel dicitur, vel fingi possunt. Quod vero hic modus possibilis sit, supra disput. præcedente, scet. i. satis probatum est. Tandem; quod hic sufficiat ad veram actionem transubstantiationis, probatur, quia hoc modo interuenit hic actio influens verum esse substantiale in terminum ad quem, quæ ex ratione & specie sua sufficiens esset ad rem producendam, etiam si alibi non esset: ergo hoc satis superque est ad transubstantiationem substantialem: nam ea, quæ sunt per accidens, non mutant specificam naturam rei.

Secundo potest probabiliter suaderi, hanc actionem esse necessariam: quia sola actio substantialis, qua Christi corpus conseruatur in celo, non videtur sufficiens ad conseruandum illud, prout est in sacramento: quia hic existit modo præternaturali corpori: vnaquæque autem res, vt conseruetur sine modo naturali, maiorem influxum requirit à causa agente: quia necesse est, vt causa efficiens suppleat efficaciam sua defectum naturalis modi, si autem mutatur influxus causæ agentis, mutatur actio. Exemplo res declaratur, nam, quando accidens existit extra subiectum, necesse est, vt distincta actione conseruetur; ab illa, qua conseruabatur in subiecto: quia ex diuerso modo existendi, necesse sequitur diuersitas actionis, quæ suppleat defectum subiecti, vt latius quæstio ne 77. dicemus. Deinde, si Deus conseruet materiam sine forma, vel substantiam materialem sine quantitate, vel aliis dispositionibus accidentariis, necesse est, vt mutet actionem conseruatiuam: quia per efficientiam oportet, vt suppleat defectum formæ, vel dispositionum, sine quibus non posset materia vel substantia naturaliter conseruari. Vnde, si vno loco conseruaret eandem materiam, vel substantiam naturali modo, in alio vero sine forma, vel dispositionibus naturalibus, necessarium esset, vt diuersis actionibus in illis diuersis locis illas conseruaret: cum ergo substantia corporis Christi, tali modo supernaturali sit in sacramento, vt cum illo naturaliter esse non possit, videtur verisimile, actionem, qua hic conseruatur ipsa substantia, esse diuersæ rationis, ab ea, qua conseruatur in celo. Quod præterea hoc modo explicari, & confirmari potest: nam illam actio seu dependentia substantialis corporis Christi in celo ex natura sua postulat extensionem in ordine ad locum, ita vt, sicut terminus eius ex natura sua postulat esse totius in toto, & pars in parte: ita illa actio seu dependentia natura sua, postulet similem extensionem partium, proportionatam suo termino: at vero actio substantialis, qua hic constituitur seu conseruatur substantia corporis Christi ex se est quodammodo indiuisibilis, constituens totum suum terminum, vbiunque est aliquid eius. Vnde fit, vt etiam ipsa quantitas, consequens talem terminum, sic substantialiter effectum, amittat suum naturalem existendi modum, & accommodetur suo subiecto sic effecto: ergo talis actio est diuersæ rationis ab alia, quæ est in celo. Sed, quamuis hic discursus sit probabilis, quia reuera non satis percipitur actio mere accidentalis, & localis, per quam substantia materialis præexistens sub quantitate præcisæ, ac secundum se adducatur ad alium locum, vt in eo existat, modo substantiali & indiuisibili, & ratione illius adducatur quantitas, ac similes existendi modum recipiat, & facilius intelligitur hoc fieri per modum nouæ cuiusdam actionis substantialis, & quasi productionis illius nouæ substantiæ, sub altiori ratione existendi, ad quam consequantur ceteræ proprietates, tali modo existendi accommodatæ, quamuis (inquam) hic discursus nonnullam apparentiam habeat, non ta-

Franc. Suarez Tom. 3.

men satis ostendit necessitatem huius actionis: actio enim, per quam agens influat in effectum, tunc necessario variatur, variato modo existendi talis effectus, quando modus est de intrinseca ratione illius actionis seu dependentiæ effectus à causa, vt contingit in exemplo accidentis in subiecto, vel extra subiectum conseruati. Nam actio illa, qua accidens fit ex subiecto, essentialiter pedit ab illo, & ideo, vt fiat extra subiectum, longe diuersam actionem, & altiore vim agendi requirit: at vero quando modus existendi ipsius rei factæ non est de intrinseca ratione actionis, seu dependentiæ illius rei à sua causa efficiente, sed aliquid omnino posterius, quamquam ille modus exigendi varietur: & ablato modo naturali, tribuatur rei modus supernaturalis, non propterea erit necessaria diuersa actio terminata ad existentiam rei, sed satis erit, adiungere actionem, qua supernaturalis modus fiat, & impediatur naturalis, vt videtur fieri in mysterio Incarnationis, & eadem ratio videtur esse in præfenti, & modus præfentis non est de intrinseca ratione actionis magis, quàm termini, sed est proprietas accidentario consequens, & ideo, vt mutetur hic modus, non videtur simpliciter necessarium, mutari actionem terminatam ad substantiam rei; sed adiungere aliam, qua fiat modus supernaturalis, & naturalis impediatur.

Tertio igitur argumentor, retorquendo argumentum Scoti, quod erat, quia verba sufficienter verificantur per actionem adductuam, contra quod est, quia sufficienter melius ac proprius verificantur per actionem productiuam, vel quasi productiuam: ergo, licet concedamus, vtrumque modum esse possibilem, non recte ipse infert fieri priori modo. Quod autem potius inferendum sit, fieri posteriori modo, declaratur in primis, quia omnes mutationes miraculosæ, quas à Deo factas legimus, possent, quoad omnia quæ sensibiliter fiunt, saluari per transmutationem localem, vt, verbi gratia; in conuersione aquæ in vinum, si aqua præexistens alibi, esset translata, & vinum aliunde inuisibiliter adductum, id satis esset, vt Christus suppleret defectum vini; & nihilominus fatemur, & verisimum ac certissimum est, illud factum esse per conuersionem substantiæ: & idem est de omnibus similibus conuersionibus vt supra annotaui ex Augu. 18. de Ciuitate, c. 18. distinguente in hoc, veras Dei conuersiones ab apparentibus dæmonis: ergo idem dicendum est de hac conuersione, quam perfectissimo modo fieri oportet. Quod si quis dicat, de illo miraculo nuptiarum, dictum esse ab Euangelista: Vt vidit Architrictinus aquam vinum factam, & inde sumptam esse conuersionem, hoc ipsum confirmat intentionem nostram: quia, si præcisè consideremus verba Christi, scilicet, Haurite nunc, & c. & effectum sensibilem, scilicet, vberat aqua inuentum esse vinum, ex hoc præcisè non poterat euidenter constare, an esset factum per adductionem, vel per conuersionem, & nihilominus Euangelista in illis verbis (aqua in vinum factam) intelligitur explicasse, factum esse miraculum per conuersionem. Sed eodem modo explicat Ecclesia, panem fieri corpus, seu ex pane fieri corpus per veram conuersionem substantiæ in substantiam, ergo. Et ratio vtriusque reddi potest, vel propria, & intrinseca transmutatio, facta in rei substantia, veluti ex natura sua postulat, vt substantiali modo fiat, & non per localem adductionem: vel quia hic modus operandi, præterquam, quod est ipsis verbis magis accommodatus, est etiam magis consentaneus diuinæ omnipotentia. Quod item à simili confirmatur: quia etiam descriptio panis, quæ in hoc mysterio fit, si diuinam omnipotentiam attendamus, non fuit necessario substantialis: poterat enim Deus, salua veritate illorum verborum: Hoc est corpus meum: illam substantiam extra locum suorum accidentium conseruare;

Eee 3 vel

August.

Obiectio.
Responsio.

vel nudam, vel sub aliis accidentibus, vel certe, saltem quoad materiam, constitutendo illam sub alia forma: & nihilominus de facto interuenit in hoc mysterio definitio totius substantiae panis, quia hoc magis est consentaneum ipsis rebus, supposito mysterio, cur ergo non eodem modo philosophabimur de termino ad quem?

Vnde sumitur secunda coniectura, quia hic modus ex suo genere est nobilior, & perfectior, & si aliiunde consideretur rei difficultas, non est minus difficile intellectu, quod in substantia materiali praexistente modo quantitatiuo, & naturali, per actionem mere localem adducatur per se primo ipsa substantia, vt condistincta à quantitate, vt in alio loco existat modo indiuisibili, & ratione illius adductionis adducatur quantitas ad similem modum praesentiae: ergo facilius intelligitur fieri ex vi alicuius actionis substantialis, qua substantia secundum se fiat, & consequenter recipiat talem modum existendi modo. Deinde difficile est ad intelligendum, quomodo verba operentur independentes à existentia corporis Christi in caelo, illud inde adducendo, & tamen nihil imprimendo in illo, vt ibi est: nec respiciendo illud, vt hic, tanquam subiectum actionis suae, si tamē actio est productiua ipsius substantiae, facile intelligitur non pendere ab ipsa, vt alibi existente, formaliter loquendo, sed terminari ad illam, vt ad propriū terminum, non quatenus ibi existit, sed secundum se, seu quatenus existit in sacramento. Tertio, est magis accommodatum verbis consecrationis: Hoc est corpus meum: quae non localiter (vt ita dicam) sed substantialiter significant: vnde non indicant aliquid huc adduci sed per modum substantiae; hoc, quod significatur, esse corpus Christi: nec significant aliquid efficere circa corpus Christi, vt est in caelo, sed circa hunc panem, transmutando illum in corpus Christi: ergo hic modus actionis, magis est accommodatus modo significandi horum verborum, quam adductio sola. Et hoc videntur indicare Sancti Patres, quando negant, Christum venire de caelo, vt sub speciebus panis constituitur, sed hoc fieri per conuersionem panis in ipsum: in quo genere obseruatione, digna sunt verba Ecclesiae Orientalis in censura doctrinae Lutheroanorum nuper ad eos missae. c. 10. Ecclesiae sanctae iudiciū est, panem & vinum in corpus & sanguinem Christi virtute Sp. S. transire ac immutari, non quod Christi descendat de caelo, vt in Eucharistia praesens adit, sed quod per transmutationem, & transitionem panis in ipsum corpus fiat praesens. Quae verba fere sunt ex Damasc. lib. 4. de fide. c. 14.

*Obiectio
Damasc.*

Sed, vt hoc amplius explicetur, instare possumus in fauorem Scoti. nam haec actio substantialis sic explicata, sola non sufficit ad conficiendum hoc mysterium, sine alia adductiua, illa vero sufficit sine hac: ergo illa tantum est ponenda. Antecedens explicatur, quia substantia corporis Christi secundum se non constituit hoc sacramentum, sed vt praesens sub speciebus, illa vero actio substantialis attingit substantiam secundum se, non vero praesentia: est ergo necessaria alia actio, per quam fiat praesentia: si autem haec sola fiat, substantia Christi erit praesens in sacramento, quod satis erit, vt illud sit constitutum.

Responsio.

*Difficultates
aliquae
circa dicta
anodantur.*

Respondetur, posita illa actione substantiali, nullam esse necessariam actionem adductiuam, imo, neque proprie actionem aliam: sicut quando creatum fuit caelum, ex vi talis actionis consequenter positum est in tali loco, vel spatio, absque adductione, vt per se constat: nam adductio connotat rem adductam alibi praexistere: illa ergo praesentia localis intelligi potest, vel resultare ex substantia, prout nunc producta: vel certe (quod clarius est) sicut in refecta intelligitur esse realis praesentia, ita & in actione, seu dependentia, quae hic nunc fit, & non alibi. Vnde si

cut per illam actionem, secundum se considerata, resultat esse substantiale: ita ex praesentia eius consequitur, vt terminus eius hic potius, quam alibi fiat, ita vt praesentia actionis sit quasi fieri praesentia termini, & ita nulla multiplicatur actio, sed illud solum asferitur, quod in omni actione necessarium est, scilicet, vt alicubi fiat. Adde praeterea, sacramentum Eucharistiae non constare ex sola praesentia, sed ex substantia corporis Christi praesente, & ideo verba non solum habere vim ad efficiendam praesentiam, sed etiam ad efficiendam substantiam praesentem debito modo, & ordine: scilicet, primario substantiam, & consequenter praesentiam. Quod ita vltierus declaro contra Scotum, quia negari non potest, quin, si hic est substantia corporis Christi, hic etiam sit actio, vel dependentia, per quam conseruatur substantialiter existens in rerum natura, praesertim cum Scotus fateatur, existentiam corporis in hoc sacramento non pendere intrinsece, ac formaliter ab existentia eiusdem corporis in alio loco: ergo prout est hic, sufficenter conseruatur actione propria, conseruante substantiam: haec actio intelligi potest, hic ad esse, vel concomitanter adducta cum termino, hic facta praesente per solam actionem adductiuam, & è contrario, quod ipsa actio conseruatiua per se primo hic fiat, & praesentia sit modus eius, qui consequenter resultat in termino. Sed hic posterior modus est magis proprius ad saluandam conuersionem substantialem: ergo ille potius est asserendus: & posset defendi, etiam si illa actio substantialis, qua hic conseruatur corpus Christi, sit omnino eadem, qua conseruatur in caelo, hic repetita, & quasi de nouo facta. Sed magis hoc necessarium est supponamus, quod qu. 78. probandum est, verba consecrationis efficere physice & actiue, quicquid est in hoc sacramento: nam ex hoc necessario sequitur, actionem illam esse diuersam, quia, vt diximus, agentes de sacramentis in genere, actio, qua fit ab agente principali solo, vel mediante aliquo instrumento, necessario est distincta.

Superiunt tamen circa doctrinam traditam nonnullae difficultates: nam si Christus hic constituitur per actionem terminatam ad substantiam, & de se productiuam, sequitur, verba habere vim ad ponendum hic corpus CHRISTI, etiam si alibi non existeret: consequens est falsum: ergo. Sequela patet, quia actio de se productiua ponit suum terminum, etiam si alibi non sit. Item, quia si haec actio necessario supponit corpus alibi, & tale illud ponit sub speciebus, quale est in propria specie: id est, viuens hic, si alibi viuat, vel exanimē, si alibi sit mortuum, signum est, non hic illud producere, sed aliunde adducere: minor vero patet, tum ex dictis supra disp. 10. tum etiam ex verbis formae: Hoc est corpus meum: quae manifeste supponunt praesentiam illius corporis, tum denique quia si per verba fieret corpus in sacramento, alibi non praesens, vel fieret mortuum, vel viuum: neutrum dici potest, quia de se ad neutrum terminum sunt determinata: sed nunc possunt efficere aut mortuum, aut viuum prout in re extiterit: in eo autem casu non esset, à quo determinarentur. Ex quo etiam sumitur coniectura: quia, cum haec verba ad constituendum Christum in sacramento, supponant illum extra sacramentum: vt etiam sumitur ex pronomine illo: Hoc est corpus meum, cumq; tale constituant corpus in sacramento, quale est extra sacramentum, argumento est, non efficere corpus in sacramento, sed asserere tantum: Respondetur breuiter, negando sequelam: potest enim dupliciter intelligi, hanc actionem pendere à corpore Christi extra sacramentum, vno modo intrinsece, & quasi à subiecto propter imperfectionem ipsius actionis, si formaliter tendat ad efficiendum acciēns, & ideo supponat corpus, circa quod versetur: Alio modo potest intelligi pendere extrinsece, vel propter imperfectionem

stitutionem diuinam, vel certe propter dependentiam in genere cause efficientis: quamuis ergo actio substantialis non pendeat, nec supponat corpus Christi priori ratione, potest tamen pendere & supponere illud posteriori modo, quia eadem actio secundum speciem, seu rationem formalem potest fieri per hoc vel illud instrumentum: ita ut diuersitas instrumentorum materialis sit, & non causet essentialem diuersitatem in actione: hoc igitur modo pendet, ut supra dixi, actio, qua fit hoc sacramentum, à corpore Christi, in propria specie existente, & ideo illa actio esse non potest, secundum præsentem institutionem, si corpus illud in propria specie non existat. Ad argumentum ergo negatur sequela, propter rationem dictam. Et similiter ad confirmationem, negatur illa coniectura: potest enim illa necessitas oriri ex alio capite: quod non deroget perfectioni huius actionis, & rationi transsubstantiationis.

Sed ex hac solutione oritur alia difficultas: nam sequitur idem corpus substantialiter efficere, seu conseruare seipsum, & substantialiter actionem pendere effectiue à suo termino: hoc autem videtur valde absurdum, & contra prima philosophiæ principia: quia si idem posset efficere se ipsum, esset antequam fieret, nec posset ex effectibus inferri existentia causarum efficientium: Respondetur, impossibile esse, idem efficere seu conseruare seipsum secundum primam rationem existendi: vel secundum primam dependentiam vel primum influxum cause efficientis, per quam sufficienter constituitur vel conseruatur in rerum natura, & hoc est, quod demonstrant principia philosophiæ: quia causa efficiens supponit existens & independens à suo effectu, quomodo dixit Diuus Thomas infra quæst. 78. artic. 4. ad 2. non potuisse corpus Christi, vel aliquid ab illo procedens, esse instrumentum ad suam primam formationem ex matre: & eodem modo est efficax ratio argumentandi ab effectibus ad causas efficientes: at vero, si postquam res semel sufficienter existit per actionem & influxum totalem vnus cause, per aliam actionem distinctam, quasi iterum fiat, seu conseruetur, nullum est inconueniens, quod eadem res, ut iam facta, possit esse instrumentum ad hanc actionem: quia iam cessat tota ratio, quæ obitare videbatur, cum res illa supponatur existens ante talem actionem, & aliunde possit Deus uti quacunque re, ut instrumento, ad omnem subsequentem actionem: quia ad hoc est potentia obediens in creatura, & aliunde nulla est contradictio, & ita fit in præsentem mysterio: propter quod dixerunt alij Patres supra citati, Christum Dominum quotidie corpus suum creare.

Aliæ difficultates hic erant de hac actione, an sit creatio nunc. Item, an per illam fiat materia sola corporis Christi, vel forma, vel sola vnio compositi. Item, an per illam fiat etiam vnio hypostatica. Ex quibus prima difficultas tractabitur commode dubio sequenti, aliæ vero pertinent ad quæst. 76.

SECTIO V.

Utrum hæc actio sit vera mutatio in corpore Christi.

Ratio dubitandi est, quia Christus Dominus cum sit in statu gloriæ & impassibili, non mutatur vilo modo ab eo statu: ergo incipit esse in hoc sacramento, sine sui mutatione: ergo actio per quam hic constituitur, non est vera mutatio eius. Atque ita videntur loqui, & sentire antiqui Theologi; qui etiam hinc colligunt necessariam mutationem panis: quia oportet, nouum mysterium fieri per mutationem in aliquo factam, & non per mutationem factam in corpore Christi: ergo saltem per mutationem panis in ipsum: ita sentit D. Thomas, hic præsertim articulo 4. ad 1. in 4. distinctione. 11. quæstion. 11. artic. 3.

quæstion. 1. in corpore, & ad 3. Vbi Capreolus idem docet ex doctrina Diui Thom. quæstion. 1. artic. 2. conclus. 3. & in eius defensione, Bonauent. distinct. 10. artic. 1. quæstio. 1. ad 2. & Richard. distinct. 11. artic. 1. quæst. 5. & 6. Alens. 4. part. quæstion. 34. membr. 3. Marfil. quæst. 8. art. 1. Soto distinct. 9. quæst. 2. artic. 4. paulo ante solutiones argumentorum. Alij vero absolute affirmant, actionem hanc fieri per mutationem corporis Christi. Ita loquitur Scotus, distinct. 10. quæstion. 1. §. Quantum ergo ad istud argumentum, & infra solut. ad 1. Palud. quæstio. 3. num. 14. 15. & 16. Capreolus quæstio. 3. ad 4. & 5. Durand. contr. 2. conclus. Gabr. artic. 2. conclus. 8. & lect. 40. in Canon. O Cham in 4. quæst. 6. & quodlib. 6. quæst. 4. qui absolute vocat hanc mutationem localem, quomodo etiam loquitur Gabr. lect. 46. in Canon. & fere eodem modo loquuntur Nominales omnes.

Hæc quæstio, suppositis his, quæ in superioribus dicta sunt, facile expediri potest: oportet enim distinguere, quid per se primo fiat per hanc actionem, quod vero secundo consequatur. Item oportet recolere, quod supra dictum est, mutationem posse fieri proprie, & in rigore, ut dicitur passionem denuofactam circa præsuppositum subiectum, vel generaliter, ut dicitur quamcumque rei inceptionem, vel destructionem, vel nouum modum se habendi. Denique in superioribus etiam notauimus, mutationem posse fieri, amittendo, vel solum acquirendo.

Primo ergo certum est, hic non posse esse quæstionem de mutatione, qua corpus Christi, prout est in cælo, aliquid amittat eorum, quæ ibi habet: certum deinde est, in hoc sensu non fieri mutationem corporis Christi, quia, ut in hoc sacramento constituitur, nec deserit illum locum, neque aliquid aliud, quod ibi habeat. Et hic potest esse vnus sensus authorum, quos in principio citauimus, & hoc etiam solum probat ratio dubitandi ibi posita.

Secundo etiam est certum, per hanc actionem fieri aliquam mutationem late sumptam in corpore Christi: quia ex vi illius aliter se habet, quam prius: primo quidem, & per se, quia in suo esse substantiali habet aliquam dependentiam, quam antea non habebat: quia per nouum influxum cause agentis recipit idem esse substantiale: secundo vero, & consequenter, quia acquirit nouam præsentiam realem, quam antea non habebat, ut in superioribus explicatum est. Nec vero ad hanc mutationem sufficit mutatio in pane: primo quidem, quia, si sit sermo de substantia panis, mutatio, vel quasi mutatio, quæ in illa fit, est priuatiua, seu negatiua, & terminatur ad non esse: ergo ab illa ut sic, non potest Christus denominari mutatus, & positriue aliter se habens, quam antea: si verò sit sermo de accidentibus panis, licet admitteremus, in illis factam esse mutationem positiuam, tamen neque ab illa corpus potest denominari mutatum, cum longe sit diuersus terminus mutationis, resultans in corpore Christi, ac in accidentibus panis, ut ex supra dictis constat: nam illa præsentia, quæ est in corpore Christi, est quid distinctum ab omni modo accidentium: non potest ergo totum hoc mysterium perfici per solam mutationem accidentium. Secundo, quia ostensum est, de nouo non solum esse in corpore Christi denominationem aliquam extrinsecam, aut propriam relationem: ergo non potest fieri per solam mutationem alterius in ipsam. Quintimo, si præcisè loquamur de eo, quod fit in corpore Christi, ut id fieret, non esset necessaria mutatio alterius in Christum: quia posset hic fieri, vel conseruari substantia corporis Christi, & præsentia eius, absque mutatione vlla facta in substantia, vel accidentibus panis, ut ex supra dictis satis patet.

Tertio ergo addendum est, actionem hanc substantialem, per quam hic fit, seu conseruatur corpus Christi, non esse mutationem proprie dictam, sed

D. Thom. Capreol. Bonauent. Richard. Alens. Marfil. Soto. Scotus. Alens. Capreol. Durand. Gabr. Ocham.

Corpus est per transsubstantiationem fieri aliquam mutationem late sumptam in corpore.

Non est mutatio proprie dicta illa actio substantialis, sed transsubstantiationis.



solum actionem seu dependentiam quandam. Hunc etiam sensum fortasse intendunt primi auctores supra citati, & sequitur ex dictis, quia propria mutatio fit ex praesupposito subiecto: haec autem actio non fit ex subiecto: nam licet fiat ex pane, non tamen tanquam ex subiecto, sed tanquam ex termino, à quo: unde substantia panis nullo modo est subiectum huius actionis: ergo. Et confirmatur ex Diuo Thoma. 1. par. q. 45. dicente, creationem non esse mutationem: quia non fit ex praesupposito subiecto: hic vero articulo §. dicit, hanc actionem in hoc esse similem creationi, quod non fit ex praesupposito subiecto, ergo est in hoc etiam illi similis: quia non est proprie mutatio.

*Imo nec al-
tera illa
quae est ac-
quisitio praesentia locali.*

Quarto denique hinc concluditur, acquisitionem praesentiae: quae consequenter hic fit, non esse proprie mutationem localem, sed acquisitionem simplicem, concomitantem alteram actionem. Et explicatur exemplo: nam quando res creatur, consequenter acquirit aliquem locum, vel praesentiam: quae acquisitio non dicitur proprie mutatio localis: quia non per se fit, sed concomitanter: & quia non proprie facit, ut res aliter existat in loco, quam antea, sed simpliciter constituit rem in loco: sed ad eundem modum se habet haec actio ex vi sua: quia, ut dictum est, per se primo facit substantiam, reliqua consequenter: & ita de se facit hanc praesentiam, ac si corpus Christi alibi non praesisteret: ergo. Et confirmatur: nam propter hanc causam antiquiores & grauius Theologi negant Christum constitui in hoc sacramento per mutationem localem, ut videre est in Diu. Thom. quaestione sequent. artic. 6. Alexand. Alenf. 4. part. quaest. 38. membr. 4. artic. 4. Capreol. & Palud. dist. 10. quaest. 3. & aliis auctoribus ibi: qui negare non possunt, hic fieri acquisitionem localis praesentiae, negant tamen esse proprie mutationem localem, quae non per se fit, sed concomitanter ad actionem substantialem.

*§. Thom.
Alenf.
Capreol.
Palud.*

*Dubium
vtrum actio
transsubstantiationis sit creatio.*

Vna tantum circa haec superest difficultas, praesertim circa tertiam conclusionem: nam ex illa sequi videtur, actionem illam, per quam hic fit corpus Christi, esse creationem: quia est actio ex vi solius causae efficientis sine concursu causae materialis, in quo consistit essentia actionis creativae, quae propter ea dicit esse ex nihilo, quia fit ab agente ex nullo subiecto. Nec satis est, si quis dicat, non esse creationem, quia terminus eius non fit omnino de nouo: sed quasi conseruatur: tum quia actio conseruatiua, quae terminatur ad totum ens, reuera in substantia sua est creatio, & solum denominatur conseruatio, ut denotetur, non incipere de nouo, sed permanere & durare, quae antea inceperat: tum etiam, quia huic actioni per se, & formaliter consideratae accidentarium est, quod terminus eius alibi praesistat, ut ex dictis constat: ergo illa de se, & in substantia sua erit vera creatio, quamuis nunc denominetur potius conseruatio, propter terminorum praesistentiam. Neque etiam satisfacit, si quis respondeat, non esse creationem: quia fit ex pane, aut vino: quae sunt aliquid, cum tamen creatio debeat esse ex nihilo: tum quia illa particula (ex) quando creatio dicitur ex nihilo, solum dicit habitudinem causae materialis, id est, ex nullo subiecto, hic autem significat habitudinem tantum termini à quo: ergo illud non repugnat creationi: tum etiam, quia, ut supra dixi, tota haec actio de potentia absoluta potuisset fieri conseruata substantia panis: tunc ergo non fieret ex pane: ergo illud nunc non est essenziale huic actioni: alias non esset separabile, etiam de potentia Dei absoluta. Solum ergo dicitur fieri ex pane nunc: quia ex ordinatione diuina non fit haec actio, sine desitione panis: ordinatio autem diuina non mutat naturam rei: ergo eiusdem rationis est haec actio, cuius est: si non desineret substantia panis. Tunc autem esset creatio: quia fieret ex nihilo, & tanquam ex subiecto, & tanquam

ex termino, à quo: ergo & nunc est vera creatio. Consequens autem videtur falsum inprimis, quia Diu. Thom. hic articulo §. dicit actionem hanc esse similem creationi, distinctam tamen ab illa. Unde Sancti Patres, arguentes tanquam à maiori ad minus, ex creatione colligunt, hanc actionem esse possibilem: sentiunt ergo esse distinctam, & minoris virtutis, quam fit creatio. Assumptum patet ex Ambrosio libr. 4. de sacrament. cap. 4. & Innoc. lib. 4. de hoc myster. cap. 7. & eodem modo loquuntur Scholastici. Alenf. 3. membr. 3. Bonauent. Richard. Capreol. & Palud. Marfil. & Soto locis paulo ante citatis. Et confirmatur, quia desitio panis non est annihilatio: ergo nec desitio corporis Christi erit creatio.

Ad hanc difficultatem primo responderi solet, actionem hanc non esse creationem, quia non attingit corpus Christi, in quantum ens, seu secundum totam rationem entis, quam in se habet: sed solum in quantum corpus, quia per hanc actionem, nec fit materia, nec forma, sed solum vnio earum inter se, hoc enim satis est, ut illa actio sit substantialis, & consequenter sufficit ad saluandam rationem transsubstantiationis. Sed haec responsio mihi non probatur, & inprimis repugnat illi Diuus Thomas, tum quia dicit, actionem transsubstantiationem non praesupponere subiectum, illa autem actio explicata isto modo supponit materiam, & subiectum, circa quod versatur: tum etiam, quia dicit, in hac conseruatione materiam transire in materiam, & formam in formam, & totum in totum: aperte ergo sentit tam materiam, quam formam fieri, seu attingi per hanc actionem. Secundo ratio transsubstantiationis hoc postulat, quia illa actio explicata dicto modo, ut non sit creatio, erit generatio quaedam substantialis, ergo non est transitus in totam substantiam simpliciter, sicut est contrarium, si ex parte termini, à quo esset desitio panis per separationem formae à materia, manente tamen in rerum natura ipsa materia, esset corruptio quaedam totius compositi, non tamen sufficiens desitio ad transsubstantiationem. Tertio, quia ad intelligendum illum modum actionis, sunt multiplicandae multae actiones valde miraculosae: non potest enim illa vnio inter materiam & formam corporis Christi fieri virtute verborum, nisi sub speciebus: quia, extra illas nihil operantur illa verba; ergo necesse est, illam materiam, & formam praesupponi sub speciebus ad illam vnionem: quia, ut supra dixi, non possunt aliqua vniri intime, nisi vbi sunt praesentia, ergo, vel sunt ibi substantialiter eadem virtute verborum, & habetur intentum: vel adducuntur alia priori actione distincta: & ita iam multiplicentur actiones, & additur nouum miraculum: quia partes alibi vnita, inde adducuntur, sine vnione, ut sola vnio substantialiter alibi fiat. Et praeterea inquiri, an illa adductio fiat virtute verborum, vel non, si non: ergo verba non efficiunt totum id, quod necessarium est ad suam veritatem, quod est contra eorum officium: si vero sit eorum virtute, procedunt argumenta supra facta contra actionem adductam: nam illa probant, verba hic operari quicquid operantur sine dependentia intrinseca, & formali à corpore Christi alibi existente, tanquam à subiecto vel termino, à quo.

Alia ergo responsio esse potest: concedendo illam actionem esse creationem: Patres enim supra citati sic illam vocant: & nullum ex hoc videtur sentiri inconueniens: sed in hoc oportet non discedere à communi modo loquendi omnium, licet forte in re non sit diuersitas: quia reuera hic influxus substantialis habet in substantia sua, quicquid habet influxus creatiuus, ut argumenta in principio facta probant: tamen in hoc mysterio non fit per modum creationis, non solum, quia non fit res omnino de nouo, sed per modum conseruationis: sed praecipue quia

quod per modum conuersionis vnius in aliud: ita; vt ex vi illius modi, quo fit hic corpus Christi a tali agente, requiratur res aliqua positua, ex qua fiat, & sub qua fiat; ita vt verba non habeant virtutem ad efficiendum alio modo illud corpus. Et ex hac parte virtus eorum deficit a ratione virtutis creatiue, estque inferior, quia est magis limitata. Et eadem ratione actio ipsa non appellatur creatio, sed conseruatio, vel transubstantiatio: quia de ratione creationis est, vt nullo modo supponat rem posituam, ex qua, vel circa quam, aut sub qua fiat: sed solum, ac precise causam agentem. An vero hoc causet diuersitatem essentiali in ipsis actionibus positiuis precise consideratis, auctores nihil dicunt: & fortasse non est talis diuersitas. Oportet tamen cauere loqui & explicare propriam vniuscuiusque rationem modo predicto.

Sed hinc tandem vrbegit aliquis: quia si hęc actio est sine subiecto villo modo, cum sit prior natura suo termino, non poterit esse in illo, neque extra ipsam causam agentem fieri: Respondeo, eandem difficultatem esse de creatione, propter quam multi putant, actionem creatiuam non esse extra Deum: sed iuxta nostram sententiam non potest hoc in presenti accommodari. Existimamus enim illam actionem esse a verbis, & non a solo Deo: non potest autem esse subiectiuè in verbis, vt per se constat: quia, vt supra ostendit, est actio distincta à prolatione verborum: & est omnino transfrens respectu illorum: neque etiam potest esse in Deo: quia actio existens in Deo, non potest essentialiter pendere à verbis: & præterea in vniuersum non satisfacit hæc responsio: quia eadem difficultas est de dependentia, veluti passiuæ creaturæ à Deo, quam dubium non est esse in ipsa creatura. Propter quod alij dicunt, hanc dependentiam ita esse in creatura, vt nullo modo, etiam ex natura rei, ab ea distinguatur, sed sit formaliter & essentialiter ipsa creatura, quod tamen presenti difficultati accommodari non potest: quin constat, hanc dependentiam non esse essentiali corpon Christi: quia sine illa existebat antea: & hoc quidem argumentum conuincit aliam etiam dependentiam, quam habet in celo, non esse essentiali, quia sine illa posset conseruari per solam dependentiam, quam habet in sacramento hoc, medijs verbis. Et idem argumentum fieri potest in accidentibus: quæ vna actione, & dependentia conseruantur in subiecto, alia vero distincta extra subiectum: hinc enim euidenter apparet, neutram illarum dependentiarum esse essentiali illi formæ, vel quantitati. Et idem argumentum fieri potest in creatura, quæ diuersis modis, & actionibus fieri potest: vel conseruari. Respondetur ergo, hanc actionem, dependentiam, seu fieri, esse extra causam agentem: non proprie tanquam in subiecto, sed identice, vt in re, cum qua identificatur: est enim quasi modus seu via ad terminum, in quo manet: vnde hæc via, quatenus præintelligitur termino, non præintelligitur in subiecto, sed veluti in se, quasi via quædam substantialis, & quodam modo fieri per se, seu in se: & hoc nullum habet in commodum: quia satis est, quod in eodem instante illud met fieri identificetur cum re facta: imò in hoc differt hæc actio à propria & rigorosa mutatione.

Dices, si illa actio est prior natura, quam terminus, & vt sic, est accidens, quia non est substantia, & videtur esse proprie de predicamento Actionis: ergo vt sic, oportet, vt sit in aliquo subiecto: quomodo ergo intelligi potest prior natura, & absque subiecto? Respondetur primum, non oportere actionem seu dependentiam illam intelligi per modum accidentis, sed per modum cuiusdam substantialis via ad substantiam, quæ reducitur ad predicamentum Substantiæ, sicut de motu dicit Aristoteles in Posterioribus, quatenus via quædam est, reduci ad predicamentum sui termini. Secundo, si quis velit illam con-

stituere in predicamento Actionis: dicat, non oportere in illo priori illam concipere, vt in aliquo subiecto, sed vt ab aliquo agente, & quod habet esse ita diminutum, vt in eodem instante requiratur substantialia terminum, cui per identitatem coniungatur. Quæ responsio est probabilis, sed altera est verior. An vero de actione generatiua eodem modo loquendum sit, non est hoc loco differendum.

SECTIO VI.

Vtrum panis esse desinat ex vi actionis, qua corpus Christi ponitur sub speciebus, vel ex vi alterius.

Explicato termino, ad quem, huius actionis, & modo effectiouis eius, sequitur, vt explicemus terminum, à quo, & modum definitionis illius, & in hoc vltimo est tota difficultas: nam de re ipsa, quæ definit, iam supra dictum est, esse totam substantiam panis, & vini, quæ omnino substantialiter esse definit in rerum natura. De modo ergo est prima sententia, eadem omnino actione, qua corpus Christi Domini sub speciebus constituitur, expelli atque definire esse substantiam panis. Ita sentit Caietan. hic ar. Caietan 4. & Soro d. 9. q. 2. ar. 4. Ledesma i. part. 4. questione Soro 16. ar. 4. Fundamentum esse potest: quia de ratione Ledesma veræ conuersionis est, vt ex vi effectiouis termini, ad quem, expellatur aut destruat terminus, à quo, & consequenter, vt eadem actione, qua vnus fit, alius destruat: vt videre licet inductiue in omnibus conuersionibus extra hanc: ergo. Et confirmatur: primo, quia, si per hanc actionem non destruitur panis: ergo per nullam aliam, ergo per solam suspensionem influxus cause agentis conseruantis: ergo annihilatur, quia annihilatio nihil aliud est, quam defectio totalis per suspensionem influxus. Confirmatur secundo, quia Concilia & Sancti ex presentia corporis Christi colligunt absentiam panis: intelligunt ergo, introductionem vnius esse formalem expulsionem alterius, & consequenter eadem actione fieri.

Secunda sententia extreme contraria est, panis substantiam non definire esse per illam actionem, qua efficitur corpus Christi, neque per vllam aliam positiuam: sed solum ex pacto, & voluntate Dei, qui statuit, non conseruare panis substantiam, statim ac corpus Christi sub accidentibus panis constituere. Scorum. Ita sentit Scotus in 4. dist. 11. quæ. 4. quem ibi sequuntur Scotista. Maior. quæst. 1. Gabriel. q. vnica, & lecl. 40. & 41. in Canon. Ocham in 4. qu. 6. dub. 6. Angel. Euch. i. n. 31. Fundamentum est, quia nulla res definit esse primo per actionem positiuam: omnis enim positiuæ actio per se tendit ad dandum aliquod esse: ad destruendum autem, seu ad tollendum esse, non, nisi ex accidente, & consequenter, quatenus vnus esse alteri repugnat: quod docuit etiam D. Thomas i. part. q. 104. art. 3. ad 1. sed in presenti esse corporis Christi non repugnat cum substantia panis: nec frigi potest aliqua alia res, quæ possit esse terminus actionis positiuæ, quæ eum illa substantia repugnet: ergo nulla est actio positiuæ, per quam illa substantia expelli possit: ergo solum potest definire, quia non conseruatur à causa agente: Inter has tamen sententias media via tenenda est.

Dico ergo primo: Probabilis est, panis substantiam definire esse ex vi alicuius actionis positiuæ. Ita desinare ex sentit Diuus Thomas in his articulis, & clarius in 4. vi actionis d. 1. quæst. 1. articul. 4. quæstiuncul. 1. ad 6. distinctio. 1. quæst. 2. articul. 3. ad 5. Capreol. distinctio. 1. ad argumenta Scoti contra 3. conclus. Et hæc conclusio probabitur à priori statim, declarando, qualis esse possit hæc actio: nunc solum probatur, quia ad

Probabilis est panem esse desinare ex vi actionis positiuæ. D Thom. Capreol.

quia ad veritatem verborum necesse est, vt substantia panis excludatur, vt in superioribus probatum est. sed haec verba habent efficaciam ad veritatem efficiendam, quam significant: ergo possunt expellere ex vi alicuius actionis realis: patet consequentia, quia si illa substantia non expellitur per actionem quicquid verba efficiant, non destruetur, sed, ad summum intelligi poterit, definire esse illam substantiam, quia Deus suspendit influxum ad praesentiam talis actionis: non quia actio hoc requirat ex natura sua, sed quia ex institutione diuina ita ordinatum est. Ex quo etiam conuersionis, nec satis explicari, cur illa substantia non annihilatur.

Non tamen destruitur per eandem actionem, qua introducit corpus Christi

Dico secundo, Substantia panis non destruitur per eandem omnino actionem, qua introducit corpus Christi sub speciebus, sed per aliam distinctam. Hec conclusio sumitur ex D. Thom. & Capreol. citatis locis, quatenus dicunt: verba consecrationis non attrahere effectiue introductionem corporis Christi sub speciebus in se, ac per se, sed solum quasi dispositiue, quatenus effectiue expellunt substantiam panis: quicquid enim sit de veritate huius dicti, quod infra, quaestione 38. examinatur: dum est, in illo tamen euidenter supponitur conclusio posita: quia non solum esset actio distincta, qua introducit corpus Christi, & qua expellitur substantia panis, sed etiam haec posterior censetur esse talis, vt possit per se, ac immediate fieri per instrumentum, scilicet, per verba: prior vero minime. Ratio vero conclusionis sumenda est, partim ex dictis supra disputation. 9. sectio. 3. partim ex dictis disputatione praecedenti sectione: substantia enim panis, & substantia corporis Christi inter se non repugnant formaliter & intrinsece, propria physica repugnantia: ergo actio effectiua vnus, non est physice & intrinsece destructiua alterius. Patet consequentia & fundamento posito in opinione secunda, quod actio non tendit ad destruendum, sed id facit tantum consequenter, quatenus termini inter se pugnant: antecedens vero declaratur: quia, si illa dua substantia absolute considerentur, sine ordine ad aliquod tertium, nullam repugnantiam habent in suo esse: quia hoc modo nulla substantia alteri substantiae repugnat: vt ergo intelligantur repugnare, necesse est, vt sumantur in ordine ad aliquod tertium, seu locus, in quo sunt species sacramentales, nam ibi introducit corpus Christi, & expellitur substantia panis: vel sunt ipsaemet species sacramentales: neutrum autem dici potest. Primum de loco seu spatio constat ex dictis: quia praesentia localis corporis Christi in hoc sacramento talis est, vt sit modo indiuisibili, & consequenter, vt non expellat inde aliam substantiam ex natura sua: imo neque aliam quantitatem, vt de facto sit. Quod si quis fingat, potuisse à Deo fieri talem modum praesentiae, qui ex natura sua repugnet cum praesentia substantiae materialis, non vero cum praesentia quantitatis, neque cum praesentia alterius substantiae spiritualis: nihil quidem & voluntarie dictum videtur, & nulla ratione concipi, aut explicari posse. Nam, si ille modus est indiuisibilis ex se, cur excludit aliam substantiam? Item vna pars substantiae corporis Christi non excludit aliam ab eodem omnino spatio, licet vtraque materialis sit. Item substantia materialis solum, ratione quantitatis habet repugnantiam localem cum quacunque alia re: ergo si corpus Christi sic praesens non repugnat quantitati panis, non repugnat substantiae. Alterum membrum de speciebus sacramentalibus probatur: quia seclusa praesentia, non possunt dua substantiae repugnare in ordine ad accidentia, nisi propter aliquam vnionem cum illis, quia, videlicet vnio vnus, expellit vnionem al-

rius: sed hoc dici non potest in praesente: tum quia ostensum est in superioribus, corpus Christi non habere vnionem formalem cum accidentibus panis: vtiq; autem effectiua non satis est, quia etiam demonstratum est, illam non esse formalem terminum transubstantiationis: tum etiam, quia licet daremus esse aliquam vnionem formalem inter corpus Christi & species panis, illa non esset talis, quae formaliter dissolueret vnionem inter illa accidentia, & substantiam panis: quia per talem vnionem accidentia illa non constituerentur per se: ergo neque ex vi illius separarentur à subiecto: ergo ex vi illius non expelleretur substantia panis ab illis accidentibus: quia non expellitur, nisi quando accidentia separantur ab illa, & per se constituantur. Dici tamen potest, repugnare his accidentibus, habere simul duas vniones, quantum diuersarum rationum, alteram cum corpore Christi, alteram cum substantia panis: & ideo facta vna ex natura rei dissolui aliam. Quae responsio, vt verum fatear, non potest satis impugnari, quantum nec admitti etiam debeat: quia, cum illa vnio, quae superaddi dicitur, supernaturalis sit, solum conuenit subiecto secundum capacitate obiectivalem: ergo, si ex modo suo & effectiua formali non habet directam repugnantiam; & oppositionem cum alia vnione naturali, propter solam multitudinem non repugnant. Quod vero ad rem pertinet, est, quia nulla hinc potest talis vnio.

Sed adhuc possunt duo alij modi excogitari, quibus substantia corporis Christi per se ipsam, & ratione suae praesentiae dicatur formaliter expellere substantiam panis. Prior est, si dicamus, substantiae corporis Christi sic praesentis, sub accidentibus ex natura & conditione illius praesentiae debitum esse, vt alia substantia sub illis accidentibus non conferretur. Quod si ita est, satis erit ad expulsiorem formalem: quia non alia ratione calor expellit formaliter frigus, nisi quia posito calore in subiecto illi debetur, vt frigus ibi non conferretur: illud autem ita verum est, ex communi ratione subiecti & accidentis: nam vni accidenti vnium tantum subiectum debetur, vt de hoc ipso, quod vnium loco alterius constituitur, debitum est, vt aliud excludatur. Hic modus potest quidem facile sustineri, quia, cum hoc omnino nobis constet, qualis sit, cuiusue naturae haec praesentia corporis CHRISTI in hoc sacramento, non est etiam euidentis, quid illi ex natura eius debitum sit. Nihil tamen, quantum ex his, quae cognoscimus, philosophari licet, videtur ille modus voluntarius: quia nullum habemus fundamentum ad asserendum, hoc esse debitum illi praesentiae: quia ratio praesentiae substantialis hoc non postulat, vt ostensum est. Quod vero dicitur, hanc substantiam substitui loco alterius subiecti, si formaliter, & proprie de ratione subiecti intelligatur, falsum est: quia corpus Christi non est subiectum accidentium panis: si latet, & improprie de suppleente vicem subiecti in quocunque genere causae, iam non erit sermo de exclusionem formalem, sed de effectiua: quia corpus Christi non supplet vicem subiecti formaliter, sed effectiue, & per illam effectiua non potest formaliter excludere substantiam panis, vt per se constat, & in sequente conclusione commodius dicitur. Denique, licet verum sit, quando vnium expellit aliud formaliter intercedere illud naturale debitum non consentiendum vnium simul cum alio, tamen hoc ipsum debitum supponit naturalem repugnantiam, vel contrarietatem inter ea, quae sese mutuo excludunt. Ostensum est autem, hic non repetiri hanc repugnantiam, vel saltem nullum esse fundamentum ad asserendam illam: illud ergo, quod de hoc debito dicitur, gratis & voluntarie dictum videtur.

Alter modus posset excogitari: scilicet, quantum ad illa

illa duo ex natura rei formaliter non repugnant, tamen diuina virtute fieri, vt sese formaliter excludat: nam, sicut e contrario facere potest Deus, vt quæ ex natura rei formaliter repugnant, & se excludunt, actu non se excludant: ita e contrario videtur fieri posse, vt, quæ non se excludunt formaliter ex natura rei, se excludant formaliter ex obedientia Dei. Cui enim potest Deus eleuare aliquid ad destruendum aliud effectiue per potentiam obedientialem, & non poterit idem facere formaliter? Respondetur, hoc inuoluerit contradictionem, si sermo sit de vera expulsioue formali. Potest quidem Deus facere, vt posito hoc, infallibili lege aliud tollatur, etiam sine alia actione, vel causalitate positiua ex parte alterius: sed hoc non fatiis est ad intrinsecam formalem expulsiouem, de qua loquimur: nam de alia, quæ est ex lege, vel pacto Dei, nulla potest esse quæstio. Tamen, quod ea, quæ ex natura sua non repugnant, nouam repugnantiam formalem & intrinsecam habeant per solam potentiam obedientialem, id intelligi non potest, quia hæc repugnantia solum oriri potest ex posito effectu formali: hic autem crescere non potest, nec mutari per potentiam obedientialem, non mutata, neque aucta forma: & ideo non est simile de efficiencia. Nam potest eleuari res ad efficiendum aliquid, quod ex natura sua facere non poterat: & ex illa actione potest naturaliter & intrinsece sequi destructio alterius: at vero forma non potest eleuari ad datum nouum effectum formalem per potentiam obedientialem, & ideo neque ad nouam expulsiouem alterius: maxime quia hic loquimur, supposito eodem effectu, vel quasi effectu formali præsentia corporis Christi. Stante autem eadem actione positiua, vel productiua vnus, potest ex illa sequi destructio alius, quæ ex natura sua & intrinsece non sequatur, alias erit solum ex pacto Dei. Denique non est simile aliud, quod adducebatur: quia nulla est repugnantia, quod Deus alicui non conferat actu, quod ex natura sua illi debitum est: quia per hoc non mutatur rei natura, sed solum non expletur, seu satiatur in omnibus: tamen quod alicui intrinsece, & ex vi suæ entitatis fiat de nouo debitum id, quod ex natura rei debitum non erat, non mutata rei entitate seu natura, id concipi non potest: quia hoc debitum nihil aliud est, quam intrinseca conditio, vel proportio palis rei, vel naturæ cum tali actu: non est ergo possibilis ille modus formalis repugnantia.

Dico tertio, substantia panis expellitur per realem actionem, quia accidentia ab illa separantur, & per se constituuntur. Hæc conclusio sumitur ex Diu. Thoma & Capreolo locis citatis, & à sufficiente enumeratione. Duo vero sunt in illa explicanda. Primum est, qualis sit hæc actio, & quis terminus eius per se: nam separatio vnus ab alio, videtur tantum consistere in carentia vnionis: quæ non potest esse terminus actionis positiuæ. Duobus tamen modis potest explicari hæc actio: Primo, quia accidentia panis, quando à subiecto separantur non solum priuantur inhærentia, sed etiam accipiunt positiuum modum per se existendi: hæc igitur actio per se primo efficit in his accidentibus huiusmodi modum: qui formaliter repugnat cum actuali inhærentia, & vnione accidentium in subiecto: quia vnus modus includit negationem alterius: & ideo ex vi huius actionis separantur hæc accidentia à suo subiecto: & hic modus est facilis. Solum habet difficultatem, quia supponit sententiam de illo modo positiuo, quæ non est certa: Satis vero est, quod sit probabilis, & fortasse est probabilior, vt videbimus infra qu. 77. Secundus modus explicandi hanc sententiam, est, quod terminetur solum ad seruandum entitatem ipsorum accidentium absolute, & sine dependentia à subiecto per modum creationis: etiam si illis nullum positiuum modum superaddat. Et in hoc modo explicandi

non est dubium, quin talis actio interueniat de facto, vt infra etiam quæst. 77. demonstrabimus. Difficile vero est, quomodo hæc actio præcisè sumpta repugnet formaliter actuali inhærentiæ & vnioni accidentium eum subiecto, & excludat illam: quia solum terminatur ad entitatem formæ seruandam illa alia actione, & alio modo, quam antea seruaretur: recte autem intelligi potest, quod maneat sub priori modo, & seruaretur priori actione, qua in subiecto seruabatur, & simul etiam seruaretur actione superaddita, quia, vt supra diximus, non repugnat, eandem rem simul seruari duplici actione totali, præsertim quando naturalis est, & alias naturaliter additur. Maxime, quia non desunt, qui existiment, nunc de facto accidentia seruari seu fieri à Deo per actionem creatiuam, & ab agente naturali simul per actionemeductiuam. Sed hoc vltimum mihi improbabile est: illud vero prius est probabile supernaturaliter loquendo, dici tamen potest, fatiis esse, ex natura rei eandem rem non esse capacem illius duplicis actionis, vt vna posita ex natura rei, esset alia. Sed neque hoc plane satisfaciunt. Primo quidem, quia illa actio seruatiua accidentium per se, & sine dependentia à subiecto, cum non sit connaturalis accidenti, sed tantum per diuinam potentiam, non potest dici, illa posita, deberi accidenti, vt priuatur naturali modo seruatiua suæ, sicut, licet infundatur homini scientia infusa, non ideo debitum est, vt priuatur naturali: & idem est de omni perfectione naturali, & supernaturali, quando inter eas non est formalis repugnantia: quæ inter prædictas minime videtur esse, si in terminis earum non inueniantur modi repugnantes. Adde, modum vnionis inhærentiæ esse quid distinctum ab entitate accidentis, qui non seruatur per aliam actionem, qua seruatur accidens independenter à subiecto. Nec vero est, cur per illam destruat, si per illam nihil sit repugnans illi vnioni, etiam si per illam fiat ipsa entitas accidentis alio modo non pendente ab vnione. Denique, esto: verum sit, videri superfluum actionem seruatiuam accidentis, sine dependentia à subiecto, si accidens adhuc manet vnium subiecto, tamen inde non tam fit, vniam actionem excludi per aliam formaliter, quam supponere destructum subiectum: & ideo adiungi talem actionem, ne accidentia simul pereant. Prior ergo modus videtur solidior: quamuis, cui posterior placuerit, poterit illum sustinere.

Alterum explicandum in hac tertia conclusione ^{Quomodo} erat, quomodo, separatis accidentibus à substantia, ^{remota accidentibus} statim illa ex natura rei naturaliter desinat esse. Quod ^{substantia} per principia philosophiæ declarandum est: vel quia ^{naturaliter} remotis accidentibus, tolluntur dispositiones necessariæ ad seruandam vnionem formæ substantialis cum materia: & ideo statim soluitur illa vnio, & consequenter desinit esse forma substantialis, quæ à materia pendeat: & quia hæc actio non est talis, vt per eam introducat alia dispositio, vel forma in materiam, consequenter etiam fit desinitio ipsius materiæ, quæ, sine forma naturaliter esse non potest: vel certe, quia etiam est naturale materia, vt, sine quantitate seruari non possit: per hanc autem actionem priuatur omni quantitate. Potest autem hoc explicari, vel per modum dependentiæ: quia, scilicet materia pendet aliquo modo, vel in aliquo genere causæ, à forma, vel quantitate sua: vel per naturalem quandam connexionem, & connaturale debitum: quia videlicet, ita postulat materia naturalem modum existendi cum quantitate, & forma, vt si omnino illo priuatur, non debeat illi seruatio naturalis sub alio existendi modo: quomodo dici potest, animam naturaliter esse non posse sine intellectu & voluntate, ita vt, si illis priuatur, naturaliter etiam postulet priuari esse suo, & con-

Ad funda-
mentum con-
trarium re-
spondetur.

& conseruatione in rerum natura. Ex his ergo facis
constat, quomodo possit tota substantia panis desi-
nere per actionem positiuam: Ad fundamentum ergo
primæ cum prima confirmatione, dicimus fufius
duabus sectionibus sequentibus. Ad secundam vero
confirmationem dicitur, nunquam Concilia aut Pa-
tres, ex sola præsentia corporis Christi per se sumpta
colligere desitionem panis: sed ex veritate verborum:
vt aperte constat ex Tridentino. Vnde recte colligitur
vtrumque fieri ex efficacia verborum, non vero
fieri eadem in diuisibili actione.

Obiectio.

Sed dicunt aliqui, etiam si verum sit, necessariam
esse specialem actionem ad expellendum substantiã
panis, distinctam ab ea, qua fit hic corpus Christi, ta-
men illam actionem ex natura rei sequi, posita altera
actione, seu termino eius, id est, ex corpore Christi
hic præsentem: & ideo dici posset, ex vi prioris actionis,
per quam constituitur hic corpus Christi, destrui sub-
stantiam panis, non primario, sed effectiue. Sed hoc,
licet videatur pie excogitatum ad inueniendum ali-
quem modum, quo omnia, quæ sunt necessaria ad
transubstantiationem, dicantur esse connexa in vna
actione: tamen reuera, non est fundatum, nec potest
illius sufficiens ratio reddi. Quo enim fundamento
dicitur, ex corpore Christi hic præsentem naturaliter
sequi hanc actionem destructiuam panis? nam illa ac-
tio neque est naturalis corpori secundum se, vt est
per se notum, quia est mirabilis actio & supernatura-
lis; neque etiam est naturalis præsentia sacramentali:
quia illa præsentia per se non est magis actiua, quam
alia præsentia localis. Præterea illa actio conseruati-
ua accidentium sine subiecto, est per modum cuius-
dam creationis: quomodo ergo dici potest, manere
naturaliter ex corpore Christi, aut illi esse naturaliter
debita, ex eo solum, quod ira sacramentaliter existit?
Denique, nulla virtus excogitari potest in illo corpo-
re, cui fit connaturalis illa actio: sed est solū instrumẽ-
talis, per potentiam obedientialem eleuata iuxta
diuinum beneplacitum, & institutionem. Vnde ve-
rius fortasse est, in primo instante consecrationis non
esse illam actionem à corpore Christi, sed à solis ver-
bis: non est ergo necessaria naturalis conexio physica
inter has actiones, sed tota est ex diuina institutione
& lege, quam ex veritate verborum, prout ab Ecclẽ-
na intellecta sunt, colligimus.

Solutio.

SECTIO VII.

Vtrum substantia panis annihiletur.

Qui dicant
in Eucharis-
tia panem
annihilari,
Gabriel.
Maior.
Ocham.
Angelus.

Hæc quæstio ex præcedente expedienda est, qui
enim negant, panem desinere per actionem posi-
tiuam, consequenter non verentur concedere, sub-
stantiam panis annihilari: Ita Gabriel d. 11. qu. 1. & in
Canon. lect. 40. & 41. Maior etiam, dist. 11. quæstion. 1.
Ocham in 4. quæst. 6. dub. 7. Angel. verb. Eucharist.
1. num. 31. quos etiam quæstion. præcedente citauimus.
Tribuitur etiam Scoto, dist. 11. quæst. 4. sed ille,
licet in re non differat, tamen modum loquendi vi-
tare conatur, & fortasse tota quæstio est de modo lo-
quendi. Durandus item idem sentit; supponendo
materiam panis desinere: nam in eius sententia non
fit annihilatio, sed corruptio panis. Hanc vero opi-
nionem probabiliorẽ existimat Albertus, distinct.
10. art. 6. Fundamentum huius opinionis esse potest,
primo, quia substantia panis omnino desinit esse, ni-
hilo illius manente, & non desinit ex vi alicuius actio-
nis positivæ, per quam destruat, sed per solam sus-
pensionem diuini concursus, quo conseruabatur: er-
go annihilatur, maior de fide est: minor supponitur
ab his authoribus ex rationibus factis in præcedente
sectione: consequentia vero patet, quia neq; ex parte

Durand.

Albertus.

termini, neque ex parte modi, aliquid ibi deest ad ra-
tionem annihilationis. Respondet Ledefina quæstio.
16. articul. 4. ex parte termini deficere aliquid ad an-
nihilationem: quia manent accidentia: sicut e contra-
rio, si Deus destruat omnia accidentia per suspensio-
nem influxus, conseruando substantiam, non anni-
hilabuntur, solum quia manet substantia. Sed hæc
responsio non satisfacit, quia accidentia extrinseca
substantiæ: vnde non mutant modum productionis
vel desitionis eius. Quocirca, si Deus nunc produ-
cet integram substantiam panis sub accidentibus, præ-
existentibus, illa nihilominus esset creatio, quia esset
productio substantiæ ex nihilo: ergo e contrario de-
sinitio substantiæ, quamuis maneat accidentia, crit
annihilatio. Quapropter nõ est eadem ratio in exem-
plo adducto, quia accidens pendet à substantia tan-
quam à subiecto, de cuius potentia educitur: & ideo,
quando destruitur, non est annihilatio, sed corruptio
accidentia compositi, manente subiecto tanquam
materia, ex qua educitur accidens: at vero substantia
per se est, & non in accidentibus: vnde, quando tota
desinit esse per suspensionem influxus, quo ab effi-
ciente causa conseruabatur tale esse, illa per se primo
est desinitio totius substantiæ, nullo manente subiecto:
& ideo est propriissime annihilatio, cuius signum et-
iam est, quia ex vi talis desitionis ex natura rei omnia
accidentia desinerent: quod autem miraculose conser-
uentur, non mutant prioris desitionis modum.
Confirmatur, & explicatur: quia annihilatio proprie
opponitur creationi: sed omnis productio rei abique
præsupposito subiecto, est creatio: quamuis contin-
gat, accidens vel formam supponi, vt patet, si post
creatam animam Deus crearet materiam, vniendo
illam animæ præexistenti, vel (sicut infra dicemus)
nunc de facto in hoc sacramento, quando in illo de-
sinit esse corpus Christi, Deus creat materiam, & po-
nit illam sub quantitate præexistente: ergo desinitio
rei vsque ad primum subiectum, seu quæ nullum
subiectum, vel potentiam passiuam relinquunt in re,
quæ desinit esse, est annihilatio. Vnde confirmatur se-
cundo, quia substantia conseruatur à Deo per actio-
nem creatiuam: ergo desinit per suspensionem illius
actionis: ergo per annihilationem: nam, sicut corruptio
opponitur generationi, seu conseruationi forme
in subiecto: ita annihilatio creationi: nihil enim
aliud esse videtur, quam suspensio influxus de se cre-
atiui.

Hanc sententiam sic explicatam non existimo di-
gnam censura aliqua, vel nota: imo neque esse omni-
no improbabilem, & valde miror, quam ob causam
Dominicus Soto d. 9. q. 2. art. 4. ante solutionem ar-
gumentorum dixerit, annihilationis opinionem mi-
nime citra errorem sustineri posse: cum enim hæc
sit opinio grauium, & Catholicorum Doctorem, &
habeat probabilia fundamenta, & probabiliter sal-
uet omnia, quæ docet fides, non video, quo funda-
mento, aut ratione possit ita notari. Præsertim cum
Innocent. libr. 4. de hoc myst. cap. 20. hanc attingens
opinionem, etiam probabilem censet. Dicit for-
tasse; annihilationis nomen & rationem pugna-
re cum ratione, & nomine conuersionis: at prædicti
auctores facile hoc negabunt: quia, licet totus tran-
situs panis in corpus Christi, vt includit duas mu-
tationes, & plures terminos, non possit dici annihi-
lacio: quia altera illarum mutationum tendit ad ter-
minum positiuum: tamen altera mutatio prædicta
sumpta, quæ fit in substantia panis, seu termino, à
quæ est transitus in nihilum: non enim repugnat
eandem substantiam omnino desinere esse, & vt sic
annihilari: & illi succedere aliam substantiam, & vt sic
conuertri: sicut in transmutatione rerum natu-
ralium, eadem res simul corrumpitur, & conuer-
titur in aliam: quia & desinit esse substantialiter per
separationem forme à materia, & illi forme succedit
alia

ratio: quia omnis actio realis, vel est in subiecto, vel sine subiecto: si est in subiecto, non destruit illud, præsertim si loquamur de actione substantiali, cuius subiectum sit materia, & eadem ratio est de omni actione, cuius subiectum est res simplex, quæ destrui non potest per actionem in se receptam: quia actio, præsertim momentanea, non destruit aliquid nisi in instante, quo existit: ergo, si in illo instante est in subiecto, necesse est: vt in eodem instante existat subiectum: ergo impossibile est, per illam actionem destrui subiectum: ergo illa actio non potest esse destructio totalis illius rei, quam per se supponit: vnde non erit vera annihilatio: talis ergo actio non potest esse annihilatio: si vero actio sit sine subiecto, illa terminatur ad rem non receptam in subiecto: & consequenter ex sola sua vi & efficacia non infert totalem defitionem alicuius rei: quia per actionem non destruitur alia res, nisi in quantum est incompossibilis cum termino talis actionis. Si autem actio & terminus eius non respiciunt aliquod subiectum, non habebunt repugnantiam in existentia cum alia re: quia duæ res vt sic absolute consideratæ non repugnant simpliciter, nisi in ordine ad aliquod tertium, quod sit subiectum, vel quasi subiectum: & ideo inter substantias vt sic, id est, quatenus subsistentes sunt, non est contrarietas nec oppositio: quia vna, hoc ipso quod est, destruat aliam, ne sit in rerum natura: imo neque contrariæ qualitates hoc modo inter se pugnant, nisi in ordine ad idem subiectum: ergo ex actione, quæ nullo modo respicit subiectum, non potest intrinsece sequi villo modo destructio alterius rei.

Confirmatur

Et confirmatur hæc ratio, applicando illam præsentem mysterio: definit enim substantia panis per actionem, qua separantur accidentia ab illa: ergo ex vi actionis per se primo non destruitur substantia, vt totum quoddam est, sed destruit vt compositum ex illa substantia & accidentibus, & consequenter illa substantia definit omnino esse, non tamen proprie annihilari: quia non definit, vt totum quoddam per se, sed vt quædam pars illius compositi, manente alio extremo in rerum natura, quod est veluti subiectum illius actionis, præsertim, si actio illa efficit in quantitate modum per se existendi, formaliter repugnantem actuali inherentiæ. Nam explicata hoc modo illa actio, optime dicitur versari in quantitate, tanquam in subiecto. At vero si sequamur alium dicendi modum, quod quantitas solum conferuatur per actionem independentem à subiecto, & ex vi illius separatur ab illo, non poterit dici proprie quantitas subiectum talis actionis, sed solum terminus: quia illa actio solum fit per modum creationis, quod videtur ob stare discursui facti, & ideo supra existimauimus hunc modum dicendi dubium & difficilem. Dicit tamen potest, huiusmodi agendi modum solum posse esse causam defitionis alterius rei, quando ex illo sequitur dissolutio alicuius compositi, cuius alterum extremum componens ex vi illius dissolutionis definit esse: & tunc eandem vim retinet ratio: quia necesse est, alterum extremum manere conferuatum per talem actionem: vnde fit, vt illa non sit annihilatio. Et iuxta hanc rationem potest explicari, & accommodari alia ratio, quæ dari solet: scilicet, panem ea ratione non annihilari, quia aliquid eius manet, nimirum accidentia. Hæc enim ratio si solum ex parte termini, qui definit esse, consideretur, apparebit insufficientis: quia accidentia sunt valde extrinseca substantiæ, & ideo substantia potest per se creari sine accidentibus, vel sub accidentibus præexistentibus: & ideo videtur etiam posse annihilari, si per se primo desinat esse, etiam posse accidentia eius, alias conferuentur in esse. At vero explicata ratio hæc ex parte modi actionis, seu de-

fectionis, est probabilis, & coincidit cum præcedente: scilicet, hanc non esse annihilationem, quia fit ex vi cuiusdam actionis conferuantis accidentia per se existentia, & consequenter destruentis substantiam, non per se primo, vt totum quoddam est, sed vt componebat vnum cum accidentibus, quæ manent.

Sed instabit aliquis: quia, licet verum sit, ex hac actione immediate sequi dissolutionem illius compositi, tandem vero fit totalis destructio substantiæ panis, ita vt nihil illius maneat. Respondetur, iam hoc pertinere ad quæstionem de nomine: in omni enim vera, vel etiam probabilis sententia, supponi debet, substantiam panis ita definire, vt nihil illius maneat: vnde post conuersionem illa substantia omnino non est, ac si esset annihilata, vel ac si nihil sub accidentibus illi successisset: quia, reuera, post conuersionem illa substantia est omnino nihil, cuius signum euidentis est, quia post se sterum à Deo creari ex nihilo: si ergo propter hanc solam causam dicatur annihilatio, erit quæstio de nomine: impropria tamen erit locutio: quia ad rationem annihilationis non tantum est attendendum, ad quid tandem terminetur rei desitio, sed etiam qualis fuerit modus mutationis vel defitionis, sicut in corruptione rei naturalis, forma tandem ad hoc terminatur, vt omnino sit nihil: cuius etiam signum est, quia potest ex nihilo creari, & nihilominus non annihilatur: quia solum definit ad dissolutionem compositi: ergo idem etiam erit in præsentem dicendum. Et hinc colligitur differentia inter corruptionem & annihilationem: nam, quia illa opponitur generationi, quæ fit per vniorem formæ cum materia, quæ est subiectum illius actionis, ideo potest proxime ac necessario sequi corruptio ex generatione: at vero annihilatio proprie opponitur creationi, & dicit destructionem entis, in quantum ens, seu quatenus habet esse per creationem: creatio autem non versatur circa subiectum, & ideo esse rei, quatenus ab illa pendet, non potest destrui per actionem illi esse repugnantem, ac propterea non potest sequi annihilatio ex actione positua, sicut sequitur corruptio. Et ex his latius factum est rationi dubitandi initio huius sectionis posita.

Sed obiicit aliquis, quia sequitur, panem non fore annihilandum, etiam si corpus CHRISTI illi non succederet: pater sequela, quia etiam tunc desineret substantia, non per suspensionem influxus, sed per actionem posituam, ex qua per accidens sequitur destructio illius: consequens autem videtur falsum: tum quia fere omnes contrarium sentiunt, dum dicunt, illam non esse annihilationem, quia est conuersio in substantiam corporis CHRISTI: tum etiam, quia si illa non est conuersio, neque est annihilatio, neque corruptio quid: tandem erit, vel quomodo appellabitur illa desitio? Tandem: quia, si intelligeremus, per alterationem expelli formam substantialem à materia, & illi non succedere aliam, propter hanc causam materiam omnino definire esse, fateremur illam annihilari, licet illa desitio per accidens consecuta sit. Respondetur, concedendo, etiam in eo casu, illam non esse proprie, & in rigore annihilationem: quia vt dixi, annihilatio est desitio totius entis secundum se: per hanc autem actionem non definit substantia, quasi per se, vt est quoddam totum, sed quatenus componit vnum cum accidentibus: ex quo tandem sequitur, vt omnino non sit. Neque est inconueniens, quod illa desitio sit innominata: nam etiam actio, qua separantur accidentia à subiecto, & per se constituantur, innominata est, & nunc etiam non habet proprium nomen: quia nomen conuersionis non significat illam partialem mutationem priuatiuam, sed transitum vnius rei in aliam: illa autem

rem mutatio generali nomine vocatur desitio substantiæ: sicut in motu locali descensus, verbi gratia, significat transitum a superiori ad inferiorem locum: in quo includitur amissio vniusiocum, & acquisitio alterius, quæ sunt partiales mutationes, propriis nominibus carentes. Addi præterea potest etiam in eo casu deficere ex alio capite rationem annihilationis: quia illa actio separatiua accidentium à subiecto quodammodo ad hoc terminatur natura sua, vt sub illis alia substantia introducatur: nam, cum accidentia sint propter substantiam, connaturale illis est, vt non sint vacua omni substantia: atq; adeo, vt, si aliquando separentur, non propter se tantum separentur, sed vt alteri modo alteram substantiam continent: illiq; deseruiant: hoc igitur modo illa actio ordinatur ad conuersionem: & ideo desitio, quæ per illam fit, non est annihilatio, etiam si per accidens non consummatur conuersio. Neq; est simile illud aliud de materia: tum, quia ibi totalis fieret desitio, ita vt nihil omnino maneret: tum, quia ex ipso hoc sequitur, illud non posse fieri ex vi alicuius actionis, quæ fit in instante desitionis materia: quia oporteret talem actionem recipi in subiecto, quod esset impossibile, si iam in illo instante materia non esset: neque esset aliud quod accidens separatum, vt supponitur: deberet ergo fieri per solam suspensionem diuini influxus.

SECTIO VIII.

An prædicta actio & desitio substantiæ panis ad rationem conuersionis & transubstantiationis sufficiant.

Sancti Ratio dubitandi potest esse duplex. Prima est, quia hæc actio non est substantialis, sed accidentalis, cum solum versetur circa accidentia, quibus præbet modum per se essendi. Altera & maior dubitatio est: quia hæc actio non est ex natura rei connexa cum actione effectiua præsentia corporis Christi: quia vna non sequitur necessario ex alia: nec terminus vnus ex termino alterius: supra enim ostendimus, posse hic constitui substantiam corporis Christi, manente substantia panis: & eadem ratione posse Deum conseruare per se accidentia, excludendo substantiam panis, non introducendo corpus Christi, neq; aliud aliud: vnde tandem videtur hic non fieri vnum ex alio, sed vnum post aliud: quod non satis est ad rationem conuersionis.

Propter hanc difficultatem dixerunt aliqui Theologi, ad rationem conuersionis non esse necessariam connexionem inter amissionem vnius termini, & effectiorem alterius, ita vt ex sola rei natura vnum ex alio sequatur, sed satis esse, quod ex lege & pacto Dei connectantur. Ita sentit Scotus in quodlibet. 10. Gabr. lect. 40. in cano. Maior, in 4. d. 11. quæ. Guil. de Rub. quæst. 1. artic. 3. Palac. disput. 2. in fine. & idem sentit Capreol. ibi, citans varia loca D. Thomas, quæst. 1. artic. 1. conclus. 3. Ferrar. 4. contra gen. capit. 63. Ledesma 1. p. 4. q. 16. dub. 3. in fin. Quod si obicitur: quod diuina lex, seu ordinatio non mutat rerum naturas: & ideo, si vnus inceptio, & alterius desitio non habeant ex se connexionem sufficientem ad conuersionem, etiam si Deus statuat, non facere vnam absque alia, non propterea fore meram conuersionem. Respondere poterunt: primo, in naturalibus rebus, quæ naturis rerum coaptantur, id verum esse: tamen supernaturales, & miraculosas mutationes, quæ solum ex omnipotentia agentis mensurantur, non habere aliam naturam neque aliam legem, nisi quam Deus statuit: & ideo, quia hoc opus est omnino supernaturale, & Deus statuit, vt non fieret, nisi transmutando vnam rem in aliam: id satis esse, vt hæc actio censetur vera conuersio, et si ex pluribus actionibus non habentibus inter se naturalem connexionem componatur. Vt secundo dicere poterunt hanc conuersionem non esse o-

Franc. Suarez. Tom. 3.

mnino physicam & naturalem, sed sacramentalem & artificialem: & ideo mirum non esse, quod actio, per quam fit, non fit simpliciter vna, sed ex multis partialibus constans per artificialem compositionem, sicut est edificatio domus, & similes. Et ad hanc satis est connexio, illarum duarum mutationum ex pacto, seu institutione diuina. Quod ita potest explicari. Quia, quod sacramenta physice causant, non est vndeque certum: & quamuis supponatur, causare physice aliquos effectus: nihilominus necessario fatemur, aliqua etiam causare tantum moraliter: quando, vel effectus ipse talis est, vt physice causari non possit, vel quando alia ratio sufficiens occurrit ad impediendam causalitatem physicam: sic igitur in præsentem mysterio actiones, & mutationes, quibus fit præsentem Corpus Christi, & accidentia panis per se constituuntur, & à substantia separentur, & ipsa substantia excluditur, ac definit esse, efficiuntur physice: quia in rebus ipsi nulla est repugnantia: at vero connexio per interinas actiones non est physica: quia inter terminos earum nulla est repugnantia intrinseca, & formalis: nam cum non sit conuersio formalis & totalis, termini non respiciunt subiectum aliquod, nec tertium aliquod, sub quo formaliter repugnet: solum ergo est connexio sacramentalis, & quasi artificialis ex institutione diuina: quæ sufficit, & consentanea est termino huius conuersionis, qui non est vnum simpliciter, sed artificiale, includens corpus Christi & species, quod etiam sufficit ad propriissimam veritatem verborum formæ, & rerum omnium, quæ Concilia & Patres de hac conuersione docent. Et hic modus dicendi sic explicatus, non est certe improbabilis. Ad maiorem tamen magisque propriam huius rei explanationem duo addenda videntur.

Primo igitur addi potest, non esse de ratione conuersionis simpliciter dictæ, vt illæ mutationes inter se necessario connexæ sint propter formalem terminorum repugnantiam, sed satis esse, vt vna ad alteram ordinetur, & propter illam fiat ex intentione agentis naturis rerum magis consentanea: quia nulla est ratio, quæ prober, aliud esse de ratione conuersionis. Nam, licet in omnibus conuersionibus formalibus id fortasse reperiat propter specialem rationem talis conuersionis, quæ fit circa idem subiectum, non est tamen, cur hoc attribuamus omni conuersioni vt sic: quia vbi est singularis modus conuersionis, ibi etiam potest esse alia ratio vinculi, seu ordinis inter mutationes, ex quibus constat conuersio: vt in translocatione, quæ non fit circa idem subiectum proprie, sed inter diuersa corpora, respectu eiusdem spatii, seu continentis, inuenitur quodammodo alius modus transmutationis: nam vnum corpus expellit aliud, non tantum formaliter, sed etiam effectiue: & fortasse prius effectiue, quam formaliter: vnde alia actione, & mutatione recedit vnum, & alia introducit aliud: interdum enim Angelus, verbi gratia, omittit vnum partialem locum, vt alterum acquirat: quæ potest dici vera conuersio, seu commutatio locorum: quamuis fortasse illa loca non repugnent simul eidem Angelo: suppono enim, esse in adæquata. Denique ratio est, quia tota hæc connexio harum mutationum solum existimatur necessaria, ne illæ videantur concurrere quasi per accidens, sed habeant inter se aliquod vinculum, & vnionem: sed ad hoc satis est, vt sint per se ordinatæ, & vna ad aliam tendat. Quod autem in hac conuersione hoc reperitur, ita explicari potest. Nam in primis actio, qua excluditur substantia panis, ad introductionem Corporis Christi ordinatur: propter quod non male dixit Soto, dist. 9. q. 2. art. 4. post recitatam quartam opinionem, expulsiorem illius substantiæ esse, quati modum ad introductionem alterius: & in idem ferere dicit, quod di-

Explicatur
& probatur
relata, in sen-
tia.

Soto.

Ferrar.

cit Ferrar. 4. cont. Gent. cap. 63. circa tertium dictum Diui Thomæ, illam expulsionem esse dispositionem ad aliam introductionem. Et supra declarauit, hoc habere aliquod fundamentum in ipsis naturis rerum, ne accidentia maneant vacua omni substantia: & aliunde consentaneum etiam est, vt sub eisdem accidentibus nõ contineantur duæ substantiæ corporales, & integræ. Vnde, cum hic introduciatur substantia corporis Christi, vt sub illis accidentibus contineatur, & per illa ita significetur, vt simpliciter & absolute hoc sensibile possit dici esse corpus Christi, & non aliud quid: valde consentaneum, & quasi debitum huic mysterio est, vt ad introductionem corporis Christi expellatur alia substantia: vel vt hæc expulsio ad illam introductionem ordinetur.

Secundo adiungi potest, ad rationem conuersionis nõ oportere, vt effectio vnus termini, & destructio alterius coniugantur, propter formalem repugnantiam terminorum secundum se, sed satis esse, vt ratione agentis sint necessario coniuncta, v. g. si ignis non posset producere ignem ex ligno, nisi corrumendo illud, non propter formalem repugnantiam formarum substantialium, sed propter solas dispositiones præcise sumptas: quia videlicet non potest introducere formam ignis, nisi medijs dispositionibus destruentibus dispositionem ligni, & consequenter expellentibus formam ligni: hoc præcise consideratum sufficit, vt ignis dicatur conuertere vnum in aliud: quia simpliciter vnum expellit, & introducit aliud, & eius virtus determinata est ad agendum hoc ordine, & modo: siue hoc oriatur ex causalitate formali, siue ex dispositiua, vel effectiua: & siue id fiat vna simplici actione, siue duabus subordinatis: cur enim, sicut conuersio est composita ex duplici mutatione, non poterit interdum componi ex duplici actione subordinata, & connexa, saltem in ordine ad talem causam, quæ non potest aliter producere talem effectum? Ad hunc ergo modum intelligi potest in præsentia, verba non habere vim ad agendum vnum terminum, nisi expellendo alium: & quia non potest expelli, nisi per aliam actionem, ideo non posse vnã efficere, nisi veluti præmittendo aliam: seu in ordine ad aliam: & ideo merito dici, virtutem verborum esse conuersiuam, & non agere, nisi conuertendo: quod totum fundatur quidem in significatione verborum, & consequenter in diuina lege, tanquam in prima radice, proxime tamen fundatur in virtute verborum: quia sicut posita institutione, verba reuera habent virtutem ad agendum, quod significant, ita in illa virtute connectuntur necessario ille duæ actiones, vel mutationes, quod satis est ad rationem conuersionis: nam, sicut illa est virtus actiua physica, ita etiam est virtus conuersiua non naturalis sed obediens: cuius ratio non ex pura rerum natura, sed ex modo, quo ad agendum assumitur, & ex auxilio, seu modo concursus, quem habere potest secundum legem ordinariam, sumenda est.

Et hinc obiter colligitur: primo, qua ratione existimata fuerit necessaria conuersio ad conficiendum hoc mysterium, prout nunc à CHRISTO institutum est: tota enim hæc necessitas fundata est in necessitate verborum, cui eorum efficacia est accommodata: sunt enim verba practica, quæ virtutem habent, vt sese vera efficiant in simplicissima significatione sua: & ad hoc fuit necessaria conuersio substantialis, vel simpliciter, vel iuxta modum agendi perfectiorem, & magis accommodatum, vt explicatum est.

Secundo colligitur responsio ad primam difficultatem positam: nam ad rationem conuersionis substantialis ex parte termini à quo, satis est, quod defectio eius sit substantialis, siue sequatur proxime ex actione substantiali, siue ex accidentali: hoc enim

non refert: quia illa actio formaliter, & intrinsece non est de conceptu substantialis conuersionis, sed sola defectio: potest autem substantia desinere esse per actionem accidentalem, quatenus ab accidentibus pendere, vel cum eis necessario connexionem habere potest: quia vt res desinat esse, non est necessaria specialis actio præter eam, qua destruitur aliud, à quo ipsa pendet: quia defectio, vt sic, non fit per actionem, sed potius per carentiam actionis: secus vero est de productione & effectiue substantiæ, quia illa fieri non potest per actionem accidentalem: quia requirit actionem, quæ directe tendat, dandum esse substantiale.

Tertio inferitur, si Deus de potentia absoluta efficeret corpus Christi præsens sub accidentibus panis, conferuando simul substantiam panis, illam actionem tunc non fore conuersionem, vt per se constat: quia non fieret ex termino positivo destructio: nihilominus tamen illa actio, quoad totam priuatiuam rationem suam, eiusdem esset rationis cum actione, quæ nunc fit circa corpus CHRISTI: quia ad eundem terminum, eodem modo & ex eodem termino à quo priuatiuè tenderet: actio autem vt sic ex his principijs sumit rationem suam. Quod etiam in naturalibus actionibus & conuersionibus videre licet: conuersio enim vltra rationem productionis solum addit respectum & ordinem ad terminum à quo, positium: qui non est de necessitate actionis vt sic: sed interdum necessario coniungitur ex parte materiæ circa quam versatur actio, vt calefactio, si fiat in subiecto carente omni frigore, est simplex actio, non conuersio, si vero fiat ex subiecto frigido, erit conuersio frigidum in calidum: & tamen illa actio positua, tendens ad calorem, eiusdem rationis est, cum inter eosdem intrinsecos terminos, & eodem modo versetur. Idem ergo, & maiori ratione esset in præsentia mysterio in prædicto casu: quia solum deesset mutatio termini à quo, & etiam illa actio, per quam terminus ille nunc excluditur. Quocirca cum auctores interdum ex præsentia corporis Christi in hoc sacramento colligunt conuersionem, intelligendi sunt, vel, supposita veritate verborum, & efficientia illis accommodata: vel iuxta modum actionis, vel mutationis magis accommodatum naturis rerum, vt sæpe explicatum est.

Quarto sequitur, totam hanc conuersionem vno instante ac momento perfici, ita vt primum esse corporis Christi sub speciebus, sit primum non esse substantiæ panis: & primum esse per se existentiæ accidentium & separationis eorum à subiecto: in his enim omnibus non potest esse successio: quia non prius consecratur vna pars materiæ, quam alia: nec prius, etiam per instans, introduciatur corpus Christi, quam expellatur panis, vel è contrario. Quia in nullo momento, aut accidentia sunt vacua vtraque substantia, aut vtramque simul sub se continent: Vnde vehementer errant, qui corpus CHRISTI incipere ibi per primum sui esse, substantiam autem panis desinere per vltimum sui esse dicunt: nam, si loquuntur proprie, & in ordine ad eandem mensuram, & ad idem indiuisibile instans nostri temporis, sequitur in aliqua duratione reali simul esse sub accidentibus substantiam panis, & corpus CHRISTI, quod est erroneum. Quod si inquiras, quod sit illud instans, responderet Diuus Thomas artic. 7. & cum illo cæteri Theologi d. 11. esse illud, in quo sensus verborum consumatur, sicut in genere dictum supra est de formis sacramentorum: est enim eadem ratio. Solum vero hic referri Aristot. lib. 4. Sum. tract. 5. cap. 2. quod dicat, hanc conuersionem non in instante, sed successiue perfici: si tamen attente legatur hoc, non affirmat, nec ab aliquo probabiliter affirmari potest.

Quinto sequitur ex dictis hanc conuersionem omni ex parte esse supernaturalem, scilicet, ex parte actionum

tionum, quæ in ea interueniunt, & ex parte terminorum, qui per illas fiunt. Deniq; ex parte agentis, quia per materialia verba fit à Deo tam admirabilis transmutatio. Et propter has causas Sancti supra citati hoc opus valde exaggerant, tanquam vnum ex maximis omnipotentis Dei.

Solet vero à Theologis quæri, quod sit maius opus, creationis, aut incarnationis, aut transsubstantiationis, quod ex parte attingit hic D. Th. art. 8. ad 3. & Iacobi in 4. d. 11. q. 1. Gab. ibi. art. 3. Bonauen. d. 10. art. 1. q. 1. ad 2. Alenf. q. 3. 4. membr. 3. & Innoc. libr. 4. de hoc myst. c. 7. Sed quod ad incarnationem attingit, non est dubium, quin sit maius opus: nisi fortasse quatenus in hoc mysterio ipsa Incarnatio quodammodo iterum fit, de quo dicemus q. sequente: nam, licet demus, ita esse, tamen illud est solum concomitanter, & præter rationem transsubstantiationis, vt sic. De creatione autem iam in superioribus dictum est, & D. Th. supra fatetur, in hoc mysterio esse plura mirabilia, magisq; naturas rerum superantia, quam in creatione.

Deniq; solet quæri, an hoc opus dicendum sit proprie miraculum: aliqui enim Theologi negare videntur, vt videtur licet in Alber. dist. 11. art. 3. & Carth. ibi qu. 1. & ratio est, quia, quod consuetum est, & quasi ordinaria lege statutum, non est miraculum, vt docuit etiam Caietan. quæst. 105. art. 8. quia miraculum dicitur, quasi admirationem inducens, quod autem ordinaria lege, & consuetudine fit, non efficit admirationem: & ideo iustificatio impij non est miraculū. Alij vero existimant, hanc conuersionem dicendam esse miraculosam: quibus fauet D. Th. 2. 2. q. 1. ar. 8. ad 6. Et ratio est, quia hoc opus non solum est admirabile, sed etiam est compendium quoddam admirabiliū operum Dei: vnde de se natum est causare maximam admirationem, licet per accidens fortasse in fidelib; vel propter consuetudinem, vel quod non satis attente rem considerant, hunc effectum non habeat. Sed hæc controuersia est de modo loquendi: res enim de se satis constat.

SECTIO IX.

Quomodo loquendum sit de hac conuersione, siue transitu vniuersi in aliam.

Hæc quæstio mouetur à Theologis propter varios modos loquendi Sanctorum Patrum, eamque optime expeditur D. Thom. in artic. 8. cuius doctrina ad tres breues regulas reducit. Prima est: Propositiones significantes successiōem terminorum, seu transitum vnius in alium, esse veras, & proprias: huiusmodi sunt: ex pane fit corpus, quia illa particula, ex latissime patet, & non necessario dicit habitudinem cause, vel principij, sed successiōis, vel termini à quo: vnde dicimus, cælum fieri ex nihilo, & ex nocte diem. Similes sunt illæ locutiones: panis conuertitur in corpus, seu, transit in corpus: & hæc locutiones sunt valde vitate inter Sanctos Patres, vt constat ex adductis sect. 1. huius disputationis. Et ratio etiam est ex dictis manifesta: quia illis verbis nihil aliud significatur, quam habitudo & successiō terminorum inter se: sed hæc habitudo & successiō reuera interuenit inter substantiam panis, & corpus Christi: ergo locutiones illæ, quæ hoc significant, vere ac propriæ sunt.

Secunda regula est, Propositiones, quæ denotant subiectum substantiale, seu materialem causam communem vtrique termino, improprie sunt, & in rigore falsæ. Vnde, si alicubi inuenta fuerint in probatis authoribus, pie explicandæ sunt. Ratio regulæ clara est, quia in hac conuersione nullum est subiectum, commune vtrique termino: ergo propositiones, quæ illud supponunt, nituntur falso fundamentum: ergo falsæ. Primum exemplum fit in hac pro-

Franc. Suarez Tom. 3.

positione, De pane fit caro Christi: nam illa particula (de) in rigore significat consubstantialitatem, atq; ita in illa locutione significatur, aliquam materiam, vel substantiam panis transire in corpus Christi, vel communicari corpori Christi. Ita sumitur ex cōmuni doctrina Theologorum, in 1. dist. 16. & in 3. d. 4. & D. Th. in 1. p. q. 41. art. 3. & hac 3. p. q. 32. art. 2. Nihilominus tamen reperitur illa locutio apud Ambr. de sacram. cap. 4. dicentem: Vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi: & eodem modo loquuntur nonnulli ex supra citatis, qui non vtuntur illa particula in tanto rigore, sed in sensu primæ regulæ: ita vt idem sit dicere (de pane) quod, ex pane. Secundum exemplum est: Panis fit caro, & vinum fit sanguis: quæ quidem in formali conuersione verificantur ratione subiecti communis: & quidem in conuersione accidentali sunt propriissimæ: quia manet idem suppositum sub vtroq; termino. & sic dicimus, calidum heri frigidum: tamen in conuersione substantiali, etiam formali, videntur minus proprie: quia non manet idem suppositum commune. Nihilominus tamen habet aliquod veritatis fundamentum, quia manet eadem materia communis: atq; hoc modo dicitur, Ioann. 2. Cum vidisset, aquam vinum factam: ergo in conuersione totali, vbi non est commune subiectum in rigore non est propria, nec vera illa locutio. Potest autem altero è duobus modis explicari. Prior est, vt nō tam panis dicatur fieri corpus, quam corpus fieri panis: non quidem sumendo panem specificè pro tali cibo materiali, sed pro cibo resiciente hominem, & præsertim pro illo cibo, qui sub forma panis datur. Quomodo i. ad Cor. 11. Quotiescunq; manducabitis panem hunc, &c. Et multæ locutiones, quæ sunt Ioã. 6. possunt in hunc modum explicari: & in VII. Synodo, act. 6. to. 3. circa finem dicitur: vere nos coniteri, diuinum corpus panem fieri. Sic etiam Ambr. libr. 5. de sacram. c. 3. Non iste panis est (inquit) qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Sic Cypr. serm. de Cœna Domini. Ipse enim & panis, & caro, & sanguis, idem cibus, & substantia, & vita factus est Ecclesiæ suæ. Secunda explicatio est iuxta sensum primæ regulæ: vt scilicet, verbum illud explicetur transitu, scilicet, Panis fit corpus, id est, transit in corpus. Sicut Damasc. libr. 4. de fide, cap. 14. dicit. Panis ipse ac vinum in corpus & sanguinem Dei immutantur: nam verbum faciendi valde commune est & ad significandam quamcunq; similem habitudinem inter terminos conuersionis extendi potest: sic exponendus est August. citatus à Beda, 1. ad Corinth. 11. & habetur in cap. Non omnis: de consecrat. d. 2. cum ait, Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi. Sic etiam exponi potest Cyril. Carech. 4. & alij statim citandi.

Tertia regula fit fere præcedenti similis: Propositiones, in quibus id, quod erat ante consecrationem, affirmatur de corpore Christi, & generatim, quæ significant aliquid commune vtrique termino manere, vt veræ sint, non debent sumi pro re aliqua, vel substantia indiuidua, sed abstractiue pro re contenta sub accidentibus panis, aut vini. Sic exponenda est hæc locutio. Panis & vinum post consecrationem sunt verum corpus, & sanguis Christi, quæ habetur in cap. Ego Bereng. de consecrat. d. 2. & apud Damasc. lib. 4. de fide, c. 14. Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Et illa, Panis fit corpus, & vinum sanguis, consecratione: & similes reperiuntur apud Innocentium libr. 4. de hoc mysterio, cap. 6. & apud alios Patres supra citatos. Ratio ergo prioris partis huius regulæ est: quia præter accidentia nulla res indiuidua manet communis vtrique termino: ipsa autem accidentia in recto, & proprie de nullo terminorum prædicantur: non enim quantitas dici potest esse id, quod erat panis: ergo illæ locutiones non possunt esse veræ, si subie-

sum earum supponat pro re aliqua singulari communi vtrique termino. Et hinc facile patet altera pars regulae: quia termini huius conuersionis inter se conueniunt in ratione contenti sub his speciebus: ergo, vt locutio illa sit vera, oportet, vt subiectum praecise supponat pro contento: & hoc modo sunt verae, quamuis non admodum proprie, quia illud subiectum in rigore priorem modum supponendi indicat: vsurpatur tamen ad indicandam proprietatem verae conuersionis, scilicet, quod in ea maneat aliquid commune vtrique termino, quae praedicto modo in hac conuersione saluatur, vt in superioribus explicatum est, & tota haec doctrina in his regulis contenta, facilis est, & communis Theologorum in 4. d. 11. vbi etiam videri potest D. Thom. q. 1. art. 4. & Bonauent. art. 1. q. 6. Scotus, q. 3. Albert. ar. 6. Alenf. 4. p. q. 39. memb. 2. & 3. Gabr. lect. 49. Soto, d. 9. q. 2. art. 8.

D. Thomas.
Bonauent.
Scotus.
Albertus.
Alenf.
Gabriel.
Soto.

SECTIO X.

Vtrum quodlibet possit conuerti in quodlibet.

Hactenus explicuimus mysterium Eucharistiae, nunc ad complementum doctrinae, generaliter dicendum est, an possit haec conuersione alio modo fieri: & in vniuersum, an possit qualibet res in aliam conuerti. Theologi enim absolute, & sine distinctione affirmant: indicat D. Thomas, hic artic. 4. ad tertium, dicens, Deum propter infinitam virtutem, quam habet supra omne ens, posse totum ens in aliud totum conuertere hoc ipso, quod in ratione entis conueniunt. Quae ratio inter qualibet entia procedit. Sentit ergo D. Thom. diuina virtute posse quodlibet conuerti in quodlibet, & ita exponit, & late defendit Caietan. ibi, & Soto, dist. 9. q. 2. artic. 4. in fine. tenet Scotus, dist. 11. q. 1. artic. 2. quaest. 2. in principio. & quodlib. qu. 10. Idem sentit Richard. dist. 10. artic. 3. quaest. 1. Paludan. d. 11. quaest. 3. num. 3. Capreol. artic. 3. ad 1. Durand. cont. 2. conclus. Maior quaest. 1. artic. 3. Guil. Rub. q. 1. artic. 3. Gab. q. 2. & lect. 40. in Cano. Quam sententiam debere esse fidelibus indubitata lib. 3. de Euch. c. 13. dicit Bellar. Sed non existimo posse quaestioem hanc ita generatim sumptam commode definiri, & explicari.

Caietan.
Soto.
Scotus
Richard.
Palud.
Capreol.
Maior
Gabriel.
Bellarm.

Vt ergo res tota intelligatur, distinguenda sunt varia genera rerum, & conuersionum: sunt enim in rebus substantiae, & accidentia: & inter substantias quaedam sunt compositae ex materia & forma, aliae simplices, & integrae, vt Angeli: & partiales, vt materia, & forma. Accidentia vero considerari possunt, vel per se, vt sunt quaedam entia simplicia, & completa, vel vt cum subiecto vnum aliquid componunt. Rursum conuersio vna est formalis, quae fit per successionem diuersarum formarum in eodem subiecto: altera intelligi potest materialis, vt si vnum compositum conuertatur aliud ex parte materiae, seu subiecti, manente eadem forma: altera esse potest totalis ex parte vtriusque extremi, quae intelligi potest, vel inter simplicia entia integra inter se, vel inter ens simplex, & compositum substantiale: vel etiam accidentale. Altera denique conuersio esse potest totalis ex parte tantum alterius extremi, vt si tota aliqua substantia conuertatur in materiam, vel formam alterius: & in his omnibus potest esse magna varietas, materialis potius, quam formalis.

Dico ergo primo: Conuersio formalis, vel materialis proprie esse non potest inter res simplices, neque inter rem simplicem & compositam. Probat ex definitione conuersionis formalis: est enim illa, quae fit inter duas res: ratione formarum, manente eodem subiecto, vel materia communi vtrique: ergo haec conuersio essentialiter postulat in vtroque extremo compositionem ex materia seu subiecto, & forma,

proportionatam conuersioni. Confirmatur, quia si vterque terminus sit simplex, per modum integre substantiae, aut per modum materiae non poterit informare subiectum, & ita non poterit esse terminus huius conuersionis: si autem intelligatur esse res simplex per modum formae separatae a materia, vel naturaliter, vt est anima rationalis, vel diuina virtute, vt si Deus conseruet et aliam formam per se existentem, & tunc, si illa forma iterum vnatur materiae, excludendo ab illa aliam formam, fit quidem conuersio, non inter res simplices, sed inter composita, ad quae per se primo terminatur actio, vel corruptio: ergo nunquam huiusmodi corruptio fieri potest, si alter terminus est omnino simplex. Et hic discursus eadem proportione procedit in conuersione, quam materialem vocabimus.

Sed contra, fingamus materiam sine forma, & Angelum illi praesentem seu vnium illi, vt motorem: hoc posito Deus posset conuertere illum Angelum in animam rationalem vniedo illam materiae, vel in animam equi: ergo illa esset conuersio formalis, & tamen fit ex re simplici in compositam. Respondetur si talem modum conuersionis admittamus, illam non esse proprie conuersionem formalem, sed potius esse transubstantiationem Angeli in animam, cum qua coniungitur simplex productio alterius compositi. Quod quidem recte dicitur, si anima illa sit rationalis, quae prius natura fit, quam vnatur, & distincta actione: at vero in aliis formis materialibus, quae nec prius, nec alia actione sunt, quam vniantur, non videtur hoc habere locum, cum ex parte termini, ad quem terminatur conuersio, tantum sit vna actio, quae non ad formam, sed ad compositum per se primo terminatur: & ideo videtur tunc illa conuersio, quasi mixta ex transubstantiatione & conuersione formali. Et fortasse verius est, illam non fore veram & proprie conuersionem, vt amplius ex dicendis constabit.

Dico secundo: Vt fieri possit conuersio formalis inter res aliquas compositas, etiam de potentia Dei absoluta, duas condiciones concurrere necesse est. Prima, vt vna forma ita cum alia pugnet aliquo modo, vt ad introductionem vnus altera excludatur. Secunda est, vt subiectum sit capax vtriusque formae, saltem capacitate obediuntiali. Probat primo exemplis: nam, licet caelum consistet materia & forma, si tamen illa materia non est capax formae ignis: aut e contrario: si forma ignis nullo modo potest conferre in illa materia suum effectum formalem, non potest caelum conuerti in ignem, & idem est de compositis accidentalibus: nam album vt sic, non potest conuerti in iustum aut sapiens, quia subiectum albedinis proprium non est capax sapientiae, aut iustitiae. Et eisdem exemplis declaratur altera conditio. Nam quia albedo nullum ordinem habet cum sapientia aut iustitia, non potest compositum ex vna talium formarum in compositum ex alia conuerti. Et similiter, si fingamus, nullam esse formam, aut modum postituum, ex quo se quatur desitio luminis, non poterit lucidum vt sic, per conuersionem in aliud destrui, sed tantum per simplicem corruptionem: ratio vero vtriusque partis est, quia huiusmodi conuersio per se fit inter composita, quorum vnum desinit, & aliud per conuersionem fit: ergo, vt locum habeat talis conuersio, necesse est, vt possit fieri compositio ex subiecto seu materia, & forma, ad quam introductionem alia expellitur: ergo ad hanc conuersionem necessario supponendum est subiectum, quod vnam formam amittat, & sit capax alterius: concurrentibus autem his duabus conditionibus, fieri potest haec conuersio inter quascunque res, cum neque in subiecto, neque in terminis sit repugnantia.

Dico tertio: Vt conuersio materialis seu ex parte subiecti

Subiecti fieri possit, duæ etiam conditiones necessariz sunt. Prima est, vt fiat inter composita ex subiecto & forma realiter distincta. Altera est, vt forma, sub qua lit conuersio, apta sit afficere subiectum vtrumque & consequenter, vt vtrumq; subiectum sit capax talis formæ. Ratio vero primæ conditionis est, quia, si forma non sit res distincta, sed tantum modus, non poterit conseruato tali modo, seu forma, destrui subiectum, quia essentialis ratio illius entitatis est ipsa ratio subiecti, & ideo non potest conseruari illa entitas, destructa ratione subiecti: non conseruata autem illa entitate, non potest conseruari modus eius: quia per se non habet propriam entitatem, in qua conseruetur: & hac ratione non potest istud subiectum conuerri in aliud sub eadem numero substantia, vna natura alteri succedente: quia destructa natura non potest conseruari substantia, quæ tantum est modus eius: & eadem ratione non potest hic globus conuerri in alium, succedentibus sibi quantitatibus sub eadem numero figura. Ratio vero alterius conditionis est eadem, quæ præcedentis conclusionis, quia etiam terminus istius conuerſionis est compositum ex forma manente, & subiecto illi succedente: ergo necesse est, vt forma possit vniri vtrique subiecto, & consequenter, vt vtrumque subiectum sit capax formæ: quia si filius vnioe inter ipsa non fiet compositum: si autem forma non sit apta ad informandum subiectum, vel hoc non sit capax eius, non poterit inter ea formalis vnio intercedere: suppono enim ex tractatis disput. 47. non posse interuenire aliud genus vnionis: & ex dictis hac disput. sect. 4. sumo, solam vnionem effectiuam nihil referre ad terminum huius conuerſionis: quia non facit veram conuerſionem, tum etiam, quia consistit in actione, quæ non potest esse terminus actionis: requiritur ergo illa duplex conuerſio ad hoc genus conuerſionis, illis vero concurrentibus, poterit fieri à Deo hæc conuerſio inter quascunque res: quia nulla est repugnancia ex parte alicuius termini, nec aliunde, vt patebit facile applicando conditiones omnes conuerſionis supra expostitas.

Sed quares, an hæc conuerſio sit transsubstantiatio. Respondeo primo, si sit conuerſio ex parte solus materiæ, quia, v.g. sub eadem forma vna materia alteri succedit, & ita ex vno composito fit aliud: illa non erit transsubstantiatio: quia non erit conuerſio totius substantiæ: si vero sit commutatio totius substantiæ in totam substantiam sub eisdem accidentibus, distinctione opus est: quia variis modis potest hoc accidere: Primo, per solam adductionem totius substantiæ, & quasi localem expulsionem alterius. Secundo, per vnus adductionem, & deſitionem alterius substantiæ: Tertio è contrario per productionem vnus, & solam localem expulsionem alterius: & hos tres modos existimo nõ iustificare ad transsubstantiationem, vt supra dixi: Quarto intelligi potest, hoc fieri per transsubstantialem, totamq; deſitionem vnus substantiæ & effectiõnem alterius, & hæc erit vera transsubstantiatio, siue cum illa actione coniugatur actio vnus ipsam substantiam cum accidentibus, siue non: vtroque enim modo fieri potest, & neuter transsubstantiationi repugnat.

Solum est aduertendum, huiusmodi conuerſionem totius substantiæ non esse proprie conuerſionem materialem, de qua nunc loquimur, quia conuerſio materialis proprie dicta, est, quæ per se primo fit in compositum ex parte tantum materiæ, quatenus est pars illius compositi: in supradicta vero conuerſione totali per se primo fit tota substantia: vnio vero, vel compositio illius cum accidentibus, est accidentalis, & extrinseca, siue consequatur, siue non.

Dico ergo quarto, Quælibet res existens sub accidentibus realiter à se distinctis, si ab illis in suo esse pendeat, potest conuerri in aliam, quæ loco illius

sub eisdem accidentibus constituitur ac fiat. Hæc conclusio in primis probatur exemplo præsentis mysterii, quia nulla maior repugnancia in qualibet alia re ostendi potest, siue substantias materiales inter se comparemus, siue spirituales inter se, siue materialem & spiritualement, siue spiritualement & materialem, quod omnium difficilimum est. Explico breuiter singula: primum enim membrum de substantiis materialibus facile est: quia est prorsus eadem ratio in omnibus aliis, quæ in pane & vino, & corpore ac sanguine Christi. Vnde obiter colligo eadem proportionem posse vnã quantitatem conuerri in aliã diuinã virtute, v.g. sub eadem albedine, vt ex eisdem principiis constat.

Secundum membrum est difficilium, quia substantiæ spirituales vix habent accidentia, quæ ab illis posse fieri separari: nihilominus tamen, ponendo, intellectum & voluntatem distinguere ipsa à substantia angeli, probabile sit, posse ab illa separari, & consequenter posse aliam substantiam spiritualement sub illis accidentibus constitui, vel per modum subiecti, vel per intimam præsentiam cum vnione aliqua effectiua, similis sacramentali.

Tertium membrum facilius est, supposito mysterio Eucharistiæ: quia, sicut loco substantiæ panis fit sub accidentibus, substantia corporis Christi per veram actionem conuerſiuam: ita fieri potest quælibet substantia angelica, quæ realem præsentiam, & similem vnionem habeat cum illis accidentibus: nulla est enim maior repugnancia: nam, licet corpus Christi materiale sit, tamen hic fit, & constituitur ad modum rei spirituales.

Quartum membrum propterea difficilimum est, quia non solum pendet ex separatione accidentium spiritualement à substantia spirituali, sed etiam ex eo, quod non apparet, quomodo sub accidentibus spiritualement substantia materialis constitui possit. Nihilominus tamen multi existimant, hanc conuerſionem spiritus in corpus non implicare apertam contradictionem, quia sub accidentibus angelicis potest etiam constitui substantia materialis, vel per modum subiecti, vt quidam volunt, vel saltem per intimam præsentiam, & aliquem modum vnionis effectiue, quamquam hæc non sit essentialis conuerſio, sed eam consequatur. Ex quibus facile patet, idem iudicium esse (sicut in primo membro dixi) de accidentibus, quæ sub aliis à se realiter distinctis existunt. Nam sua illis commutari seu conuerri possunt. Quæ omnia eodem modo intelligi & applicari possunt ad conuerſionem, vel accidentium inter se, vel accidentis in substantiam, vel substantiæ in accidentia, dummodo transitus fieri possit sub aliqua re vtrique termino communi: est enim eadem ratio vt facile consideranti patebit.

Dico quinto, si aliqua res omnino destruat, ita vt nihil illius maneat, id est, nec substantia, nec accidens aliquod, non potest proprie in aliam conuerri. Declaratur, ne forte dispitemus de modo loquendi: potest n. Deus aliquam substantiam cum omnibus accidentibus eius destruere, & loco illius aliam constituere: de quo nullus potest dubitare: quod vero hoc non sufficiat ad propriam rationem conuerſionis, sed solum sit ibi annihilatio vnus substantiæ, & creatio alterius, sintque substantiæ sibi succedentes ex voluntate diuina, patet ex supradictis, quia nulla alia connexio vel ordo inuenitur inter duas illas mutationes, vel quasi mutationes, neque deſitio illa sequitur ex vi alterius actionis, ac deniq; non sibi succedunt illæ duæ res in aliquo tertio, in quo aliquo modo sibi repugnent.

Dices, si in eodem corpore continente Deus omnino mutaret corpus contentum in aliud, illud posset sufficere ad rationem conuerſionis, etiam si nulla alia res maneret communis vtrique termino, vt verbi gratia, si Deus in loco vnus cœli, verbi gratia, o-

ria, octava sphaera produceret aliud corpus caeleste, ex natura rei necessaria esset expulsiō corporis caelestis, quod nunc ibi est, & consequenter sequeretur defectio substantialis illius: quia non posset per solam motionem localem discedere, quia non posset penetrare alios caelos, neque illos diuidere, vt transiret: ergo hoc factis esset ad conuersionem, quando-

Solutio.

quidem ex vi productionis vnus, sequitur defectio alterius. Respondetur, introductionem vnus corporis in alium locum per se & ratione formali nō sufficere ad conuersionem, sed ad translocationem: quia ex vi illius solum sequitur localis mutatio in alio corpore. Quod si fortasse ob alia corpora interiacentia, & impediencia, non possit corpus extra locum suum moueri, non poterit substantialiter destrui ab alio corpore introducto, praesertim, si illud, quod antea erat, sit incorruptibile, ita vt neque diuidi, neq; comminui possit, sed potius impedire, ne aliud illud introducatur. Vnde, si Deus velit aliud corpus ibi creare absq; penetratione, oportebit, vt prius saltem natura, suspendat influxum, quo conseruabat aliud corpus, vt desinat esse, vt cedat alteri corpori ibi creando. Sed contra, quia esto, haec omnia vera sint, vt reuera esse videntur, illud factis erit ad rationē conuersionis, quia non est de ratione conuersionis, vt ex vi productionis vnus terminus desinat alius, vt agens, prout potuerit, destruat vnū, & faciat alium, praesertim si ad talem actionem, prout hic & nunc fit, necessaria sit talis defectio.

Replica.

Solutio.

Respondetur, explicando hoc modo has mutationes, & earum conuersionem, saluari aliquam rationem conuersionis, tamen eo modo, quo ibi est conuersio, manere sub vtroq; termino aliquid commune vtrique, quod licet non fit proprie accidens illis inhærens, est tamen per modum accidentis, quatenus circumdat, & continet vtrumque: nam ex hac circumscriptione oritur repugnantia, & consequenter connexio inter inceptionem vnus, & desinationem alterius. Sed vrgebis: fingamus, illam conuersionem non fieri circa aliquod corpus continens, vel circumdanda, sed solum in eodem spatio, vt si Deus totum hunc mundum subito transmutaret, in alium constantem alia materia, & aliis corporibus, ac substantiis. Respondetur, illam non fore propriam conuersionem, sed annihilationem vnus, & creationem alterius, quia solo Dei arbitrio simul coniungerentur: & si viderentur habere aliquod vestigium conuersionis, solum est, quatenus aliquo modo concipiuntur illi termini cum habitudine ad idem spatium.

Alterarepl. ca.

Responsio.

Et hinc obiter colligo non posse vnā rem in alteram conuerti, quin res, in quam fit conuersio, succedat in praesentiam rei conuersae; ita vt ibi fiat praesens, vbi alia erat, quamquam Scotus 10. qu. 1. & Durand. dist. 11. contrarium sentiant, dicentes, quando conuersio fit in rem praesistentem, potius trahi rem conuersam ad locum & conditionem eius, in quam conuertitur. Exemplum ponit Durand. in alimento, quod, vt conuertatur in substantiam aliti, trahitur, vbi alitum est. Sed non satis perpenderunt, & considerauerunt: nam Patres omnes, vt magis explicarent praesentiam Christi, vsi sunt nomine conuersionis: supponentes, si panis conuertitur in substantiam Christi, necessarium fore, vt Christus fiat praesens, vbi erat panis: Quod recte etiam docuerunt Scholastici distinct. 11. Richardus art. 1. qu. 12. ad 2. Capreolus ad 5. Scot. contra 5. concl. Gabr. qu. 1. art. 2. Maior. quaest. 1. Palacius disput. 1. concl. 2. Ferrar. 4. cont. gent. cap. 62. & eodem sensu dixit D. Thom. & docent omnes discipuli eius, conuersionem esse rationem huius praesentiae: quia est quasi via, ex qua necessario sequitur talis praesentia, vt in superioribus explicatum est. Praeterea quod Scotus dicit, posse fieri conuersionē panis existentis in terra, in Corpus Christi existens in caelo, prout ibi est, nulla mutatione in eo facta, nec mente concipi potest, cum nihil omnino resulset in

Scotus. Durand.

Rich. Capreol. Gabriel. Maior. Palacius. Ferrar. S. Thom.

illo termino, nec sit aliqua successio, aut vera habitudo realis inter illas res.

Deinde exemplum, quo vtitur Durandus, non est ad rem, vel potius confirmat, quod intēdimus: quia viuens conuertitur alimentum in se, non vt praesens est, sed prout nouam partem acquirit, secundū quam reuera acquirit partialem praesentiam ibi, vbi erat materia alimenti, in instante, in quo fit illa partialis conuersio. Ratio denique est, quia conuersio proprie, vt supra dictum est, non fit in rem, vt praesentit, sed vt terminat conuersionem, & consequenter vt recipiat aliquo modo esse per illam, & quoniam conuersio debet fieri circa aliquod commune vtrique termino, in quo sibi repugnant, ideo necesse est, vt respectu illius sibi succedat in reali praesentia. Dices, fieri posse, vt in instante conuersionis res illa, circa quam fit conuersio, in alium locum transferatur, v. g. si species panis, quae dum proferturur verba, hic sunt, in instante, quo perficitur consecratio diuina virtute ponatur alibi, tunc nihilominus erit vera conuersio, & tamen corpus Christi non succedet ibi, vbi fuit panis. Respondetur primo, illud fieri nō posse naturaliter: deinde in eo casu, quasi materialiter variari praesentiam: nam formaliter Christus succedit sub eisdem speciebus, sub quibus erat panis, & ita ibi fit praesens, vbi adesse substantia panis, si tunc maneret, & hoc per se pertinet ad rationem conuersionis, & ita est intelligendum, quod diximus.

Ex his dico sexto, quamlibet creaturam posse in aliam conuerti, non quidem omni genere conuersionis, sed vno aut altero, vnicuique rei accommodato pro earum diuersitate. Haec assertio constat ex dictis. Solum potest obici Aug. 1. 6. super Gen. ad lite. c. 9. & 12. & 1. de immortalitate anim. c. 15. & Boet. 1. de duabus naturis, qui negant corpus posse conuerti in animam, vel in spiritum. Sed hi Patres loquuntur de conuersione naturali cuiusque rei, vel certe disputant de eo genere conuersionis, in quo ex vna substantia fit altera: non solum vt ex termino a quo, sed vt ex subiecto vel parte, quae maneat in termino conuersionis.

Vltimo addo omnia haec, quae de rerum conuersionibus diximus intelligenda esse inter res creatas: nam inter Deum & creaturam nulla potest esse conuersio: quia, nec Deus potest conuerti in creaturam, vt est per se euident, quia non potest mutari, nec desinere esse, vt recte docuit S. Thom. supra, qu. 2. artic. 1. & 4. contra Gent. c. 31. & VValdenis. tomo. 2. de sacram. c. 20. nec creatura potest conuerti in Deum, vt communior Theologorum sententia docet in 4. d. 11. Paludan. q. 3. nu. 16. Cap. ad 3. Scoti cont. 3. concl. Scotus, qu. 2. & quodlib. 8. art. 1. & 2. Gab. q. 2. art. 1. & lect. 40. in Canon. Henric. quodlib. 11. qu. 4. Scotus d. 8. q. 2. ar. 4. Ledef. q. 16. art. 4. dub. 5. Ratio vero est clara ex supra dictis, quia in termino ad quem conuersionis, necessario fit aliquis modus mutationis, inceptions, aut nouae dependentiae: quia sola denominatio extrinseca non sufficit: illa vero omnia Deo repugnant, vt recte etiam docuit D. Tho. sup. qu. 2. art. 1. Vbi hoc explicuimus. Confirmatur primo, quia Deus non potest succedere substantiae desinenti: esse ratione nouae praesentiae: quia ante omnem creaturae mutationem est vbique praesens: nec ratione noui modi existendi ipsius Dei: quia repugnat immutabilitati eius, nec ratione nouae vnionis alterius ad ipsum, quia illa vnio non potest esse nisi hypostatica, & tunc non fieret conuersio secundum se, sed in assumpta natura: hic autem loquimur de conuersione in Deum, secundum propriam entitatem increatam, vt si Deus assumeret naturam, quae prius existeret in propria persona posset, quo dammodo dici persona creata conuerti in diuinam: proprie tamen formalis terminus illius conuersionis esset vnio illius naturae ad personam diuinam: nam ex subsistente in se fieret vnita, & illa esset quasi conuersio formalis: quia

quia in eadem humanitate succederet modus vni-
 onis modo substantiae: & ita conuerſio proprie non
 eſſet in perſonam diuinam ſecundum ſe: poſſet ta-
 men Deus ſuccedere quodammodo ſubſtantiae crea-
 ta in officio ſuſtentandi accidentia per efficientiam,
 vti, deſtructa ſubſtantia panis, conſeruaret Deus ſe
 ſolo accidentia eius: ſed hoc non fatiſt, vt dicatur
 panis conuerſi in Deum: quia nullo modo ſe habet,
 vt terminus actionis ſeu conuerſionis, ſed ſolum vt
 principium efficiens illam mutationem: alias etiam
 nunc panis traſſubſtantiaretur in diuinitatem: quia
 illa eſt principalis cauſa effectiue ſuſtentans acciden-
 tia, ſine ſubiecto. Contra hanc vero partem opinatus
 eſt Caiet. ſupra q. 2. art. 1. & Maior. d. 11. q. 1. quia ſicut
 poſſet Deus aſſumere corpus, teſte Auguſt. 3. de Trin-
 it. c. 12. vel fieri homo ſine ſui mutatione, ita exiſti-
 mant, poſſe eſſe terminum conuerſionis ſine ſui mu-
 tatione: Sed non eſt ſimile: quia Deus dicitur aſſu-
 mere corpus vel per ſolam efficientiam, vel quia ter-
 minat vniorem corporis ad ipſum, quod facere po-
 teſt, ſine ſui mutatione, per mutationem alterius: at
 vero non poſſet eſſe terminus actionis realis, quia in-
 cludit intrinſecam dependentiam talis termini ab
 agente per actionem illam, qua dependentia repu-
 gnat Deo.

QVÆSTIO LXXVI.

Demodo, quo Chriſtus eſt in hoc ſacra-
 mento, in octo articuloſ di-
 uiſa.



Deinde conſiderandum eſt de modo, quo cor-
 poris Chriſti exiſtit in hoc ſacramento.
 Et circa hoc quaeruntur octo.

- Primo, vtrum totus Chriſtus ſit ſub hoc ſacra-
 mento.
- Secundo, vtrum totus Chriſtus ſit ſub vtraque ſpecie ſacra-
 menti.
- Tertio, vtrum totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte ſpecierum.
- Quarto, An diſenſiones totius corporis Chriſti ſint in Eucha-
 riſtia.
- Quinto, An corpus Chriſti ſit localiter in Eucharifia.
- Sexto, vtrum corpus Chriſti moueatur ad motum hoſtia,
 vel calicis poſt conſecrationem.
- Septimo, vtrum corpus Chriſti prout eſt in hoc ſacramento,
 poſſit videri ab aliquo oculo, ſaltem glorificato.
- Octaſo, vtrum verum corpus Chriſti remaneat in hoc ſacra-
 mento, quando miraculoſe apparet ſub ſpecie pueri, vel car-
 nis.

ARTICVLVS I.

Vtrum totus Chriſtus contineatur ſub hoc
 ſacramento.

Ad primum ſic proceditur. Videtur, quod non totus
 Chriſtus contineatur ſub hoc ſacramento, Chriſtus e-
 nim incipit eſſe in hoc ſacramento per conuerſionem panis &
 vini, ſicut dictum eſt. Sed manifeſtum eſt, quod panis & vi-
 num, non poſſunt conuerſi, neg. in diuinitatem Chriſti, neg.
 in eius animam. Cum ergo Chriſtus exiſtat ex tribus ſubſtan-
 tijs, ſcilicet diuinitate, anima, & corpore (vt ſupra habitum eſt)
 videtur quod totus Chriſtus non ſit ſub hoc ſacramento.

2. Præterea, Chriſtus eſt in hoc ſacramento, ſecundum
 quod competit reſectiōi fidelium, qua in cibo & potu conſi-
 ſtit ſicut ſupra dictum eſt. Sed Dominus dicit Ioan. 6. Caro
 mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vero eſt potus. Ergo ſolum
 caro & ſanguis Chriſti contineantur in hoc ſacramento. Sunt
 autem multæ aliæ partes corporis Chriſti, puta, nerui, oſſa &
 aliæ huiusmodi. Non ergo totus Chriſtus continetur ſub hoc
 ſacramento.

3. Præterea, Corpus maioris quantitatis, non poſſet totum
 contineri ſub minoris quantitatis menſura. Sed menſura pa-
 nis & vini conſecrata eſt multo minor, quam propria menſu-

ra corporis Chriſti. Non poſſet ergo eſſe quod totus Chriſtus ſub
 hoc ſacramento contineatur.

Sed contra eſt, quod Ambroſ. dicit in lib. de offic. in illo ſa-
 cramento Chriſtus eſt. Refertur &c.

Reſpondeo dicendum, quod omnino neceſſe eſt conſiderari ſe-
 cundum ſidem Catholicam, quod totus Chriſtus ſit in hoc ſa-
 cramento. Sciendum tamen, quod aliquid Chriſti eſt in hoc ſa-
 cramento dupliciter. Vno modo, quaſi ex vi ſacramenti, alio
 modo ex naturali concomitantia. Ex vi quidem ſacramenti,
 eſt ſub ſpeciebus huius ſacramenti id in quod directe conue-
 ritur ſubſtantia panis & vini præexiſtens, prout ſignificatur
 per verba forme, qua ſunt effectiua in hoc ſacramento, ſicut &
 in cæteriſ mutationibus, puta cum dicitur, hoc eſt corpus me-
 um, vel hic eſt ſanguis meus. Ex naturali autem concomitan-
 tia eſt in hoc ſacramento illud, quod realiter eſt coniunctum ei,
 in quod prædicta conuerſio terminatur. Si enim aliqua duo
 ſunt realiter coniuncta, vbicumq; eſt vnum realiter, oportet &
 aliud eſſe. Sola enim operatione anime diſcernuntur, qua rea-
 liter ſunt coniuncta.

Ad primum ergo dicendum, quod quia conuerſio panis &
 vini non terminatur ad diuinitatem, vel animam Chriſti,
 conſequenter eſt, quod diuinitas, vel anima Chriſti non ſit in ſa-
 cramento ex vi ſacramenti, ſed ex ali concomitantia. Quia
 enim diuinitas corpus aſſumptum nunquam depoſuit vbicum-
 que eſt corpus Chriſti, neceſſe eſt, & eius diuinitatem eſſe, &
 ideo in hoc ſacramento neceſſe eſt eſſe diuinitatem Chriſti con-
 comitantem eius corpus. Vnde in ſymbolo Epheſino * legitur.
 Participes efficiuntur corporis & ſanguinis Chriſti, non vt co-
 munem carnem percipientes, nec viri ſanctificati & Verbo
 coniuicti ſecundum dignitatis vnitatem, ſed vere viuifica-
 tricem & ipſius verbi proprium factam. Anima vero realiter
 ſeparata ſunt a corpore, vt ſupra dictum eſt. * Et ideo, ſi in illo
 triduo mortis fuiſſet hoc ſacramento celebratum non fuiſſet
 ibi anima Chriſti, nec ex vi ſacramenti, nec ex reali con-
 comitantia. Sed quia Chriſtus reſurgens, ex mortuis, iam non
 mortuus (vt dicitur ad Rom. 6.) anima eius ſemper eſt realiter
 corpori eius vnita. Et ideo in hoc ſacramento corpus quidem
 Chriſti eſt ex vi ſacramenti: anima autem Chriſti ex reali
 concomitantia.

Ad ſecundum dicendum, quod ex vi ſacramenti ſub hoc
 ſacramento continetur, quantum ad ſpecies panis, non ſolum
 caro ſed totum corpus ſcilicet Chriſti oſſa, nerui, & alia huiusmo-
 di. Et hoc apparet ex forma huius ſacramenti, in qua non di-
 citur, hoc eſt caro mea, ſed, hoc eſt corpus meum. Et ideo cum
 Dominus dicit Ioan. 6. Caro mea vere eſt cibus: caro ponitur
 ibi pro toto corpore, quia ſecundum conſuetudinem humanam
 videtur eſſe magis manducationi accommodata, prout, ſcilicet,
 homines caribus animalium veſcuntur communiter, non
 autem oſſibus, vel alijs huiusmodi.

Ad tertium dicendum, quod ſicut ſupra dictum * eſt) fa-
 cta conuerſione panis in corpus Chriſti, vel vini in ſanguinem
 accidentia vtriuſq; manent. Ex quo patet, quod diſenſiones
 panis vel vini non conuertuntur in diſenſiones corporis Chri-
 ſti, ſed ſubſtantia in ſubſtantiam. Et ſic ſubſtantia corporis
 Chriſti, vel ſanguinis, eſt ſub ſacramento ex vi ſacramenti.
 Vnde patet, quod corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento per mo-
 dum ſubſtantiae, & non per modum quantitatis. Propria au-
 tem totalitas ſubſtantiae continetur in diſſerenter in parua vel
 magna quantitate ſicut tota natura aeris in magno, vel par-
 uo aere: & tota natura hominis, in magno vel paruo homine.
 Vnde & tota ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti conti-
 netur in hoc ſacramento poſt conſecrationem, ſicut ante con-
 ſecrationem continebatur ibi tota ſubſtantia panis & vini.

COMMENTARIVS.

Senſus tituli huius articuli [vt à ſequentibus diſtin-
 guatur] eſt, an ſub toto ſacramento, ſive ſub ſin-
 gulis ſpeciebus, ſive ſub vtraque ſimul ſumpta con-
 tineatur totus Chriſtus, id eſt, perſona eius, & intrin-
 ſeca